This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

8 7
P 8
183

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS.

On souscrit, à Paris,

CHEZ P. A. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
J. DIDOT, l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont-de-Lodi, n° 6.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
J. RENOUARD, rue de Tournon, n° 6.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

SEXTI AURELII

PROPERTII

OPERA.

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT

NATU MAJOR

REGIS TYPOGRAPHUS.

D 1138

SEXTI AURELII

PROPERTII

ELEGIARUM

LIBRI QUATUOR

CUM NOVA TEXTUS RECENSIONE, ARGUMENTISQUE
ET COMMENTARIO NOVO,

QUIBUS ACCEDUNT

IMITATIONES

ET INDEX VERBORUM LOCUPLETISSIMUS.

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR.

MDCCCXXXII.

878
P8
1832

IN PROPERTIUM

PRÆFATIO.

Quod volumen istud nullius interpretis nomine inscriptum prodeat, mirum forsitan tibi videbitur, lector optime; sed quum notas et cætera totius operis ornamenta diligenti animo recognoveris, admirationem profecto majorem futuram tibi facile crediderim. Doctrinam etenim, studium industriamque adeo non huic libro defuisse invenies, tamque patientem ubique et peritam interpretis deprehendes manum, ut laudem satis amplam, quicumque curam hanc gravem susceperit, vindicare tibi potuisse censeas, nedum cognosci vereretur. Totum enim hunc laborem vir nobis amicissimus confecit, et pace illius dicam, perfecit. Quum autem summam operi manum nondum imposuisse sibi videretur, et minus probarentur quædam etiamnunc partes, præsertim quod ad Indices attinet, nec jam sineret tempus, urgente hujus editionis lege, sedulitati nimium argutæ immorari, nomen suum vir doctus nobis invidit, ne, si quid adhuc castigatius desideraretur, reus fieret, singularique illa religione et ut ita dicam ambitiosa modestia se meritæ laudis fructu defraudavit.

Cedendum igitur fuit huic voluntati, quanquam quum unum e tanto numero Latinorum auctorum sine certo interpretis nomine evulgari, tum doctissimum

aliquem laboris illius nostri participem in partem etiam laudis non venire haberemus iniquum. Annuimus tamen, et te monitum voluimus, lector benevole, ne ipse in suspicionem incidas non peculiarem Propertio curam, neque Eruditissimi viri facultates adhibitas fuisse. In tuis autem manibus habes, quanta diligentia et sagacitate emendata simul poetæ verba et enucleatæ sententiæ sint, ita ut Romanus iste Callimachus ab integro retractatus studiosis omnium animis novus omnino commendetur.

Accedit etiam huic editioni proprium quiddam, *Imitationes* scilicet, id est, loca Gallicorum scriptorum selecta, quæcumque cum Propertii verbis, aut sententiis certe congruunt. Quorum ampla et sagax collectio tibi, ut spero, oblectamento pariter et fructui erit. Illic enim oculis occurrent nota sæpius nec non interdum ignota : quorum alterum dulcem animis memoriam acuet, alterum discendi studio amœnam materiem dabit.

Quid multa? Ultimum illud est Bibliothecæ nostræ volumen. Exactum est multorum annorum, multorum tædiorum opus; nec illius piguit patruum meum, quem tantis laboribus minime imparem et ad ipsius vitæ jacturam in difficillimo consilio constantem novisti. O utinam saltem tanti conditorem monumenti, quum jam perducto ad optatum finem incœpto oblivisci curarum et fama operose nimium empta frui liceret, securo suorum amori non subripuisset improvisa mortis acerbitas!

P. A. Lemaire.

JOH. ANT. VULPII

VITA PROPERTII

EMENDATA BREVIOR.

Sex. Aurelium Propertium in ea Umbriæ regione natum fuisse, quæ fines Etruriæ proxime contingit, certo scimus; id enim ex elegiarum ipsi[1] testimonio satis constat[1]. Cuinam tamen Umbriæ oppidorum, quæ adhuc supersunt, egregius hic civis adjudicari debeat, omnino incertum est. Plerique Mevanatem, ex Mevania scilicet Umbriæ oppido, fuisse contendunt; Ameriam alii, nonnulli Assisium, Hispellum aliqui, vel Fuginium, vel Falcum, vel Spoletium, vel Perusiam, ejus patriam faciunt[2]. Eg. vero implexa hujusmodi spineta atque odiosa prorsus declinare statui; neque enim mihi argumenta, quæ singuli adtuleru., per otium considerare licuit. Præterea iniquum fortasse fuit ab homine alieno causas Umbrorum disceptari, quibus ve. ingenium superat, quo sua quique jura strenue defendant, vel animi moderatio, ad hæc minus utilia relinquenda. Si enim Propertius Umber est, ut certe est, cur ejus natalium gloria, civilibus rixis compositis, in omnes pariter Umbros derivari non possit? (Moneo tamen eruditos, tum demum veram poetæ nostri patriam detectum iri, quum primum inscriptio vetus aliqua exstiterit, quæ nos doceat, ex quo Umbriæ municipio fuerit Passiena familia. Sane pervulgata sunt, quæ scribit Plinius, epist. VI, 15: « Passienus Paullus, splendidus eques Romanus et inprimis eruditus, scribit

1. Vide lib. I, eleg. 22, vss. 3—10.

2. Vide mox Propertii Vitam Chronologicam.

elegos. Gentilitium hoc illi: *est enim municeps Propertii, atque etiam inter majores suos Propertium numerat.* » Fortasse mater Passieni Pauli ex Aurelia municipali familia originem duxerat.) Hisce igitur in præsens omissis, de nomine et cognomine Propertii dicamus.

Aurelia gens Romæ, ut viri docti consentiunt, plebeia quidem fuit, si primum illum delectum spectemus, quo Romulus et alii Romani reges a reliquo populo patricios distingui voluerunt; sed nihilominus curulibus magistratibus postea gestis valde nobilitata. Dividitur ab historiæ peritis in familias tres; Cottarum, Orestum, Scaurorum. Hæ singulæ viris illustribus floruere, quibus reipūblicæ dignitas prima semper fuit, potiorque vita ipsa. Nihil autem Propertio nostro, equiti municipali, cum senatoriis hisce familiis: quamobrem neque honores adeptus est, atque ab iis petendis abstinuit. Jacere semper eum voluit fortuna; id ipse Tullo patrono suo narrat[1]; Cynthiamque suam alloquutus, neque se sanguine avito nobilem, neque triumphos ullos majorum ostentare posse libenter fatetur[2]; quæ tamen non ita sunt accipienda, ut putemus, eum domi obscuro genere atque ex plebe media fuisse[3].

(De natalibus ejus, quos rationibus insistens parum idoneis Vulpius incidere in annum statuit U. C. 696, Vitam confer Chronologicam, et quæ notata Lachmannus illic subjicit ad ann. 721).

Narrat, se, quum adhuc puer esset, orbatum patre, spoliatumque paternis opibus tristissima illa tempestate, qua post Philippense bellum prædia Itala veteranis Augusti militibus demensa et distributa sunt; sumtaque virili toga, ingenium spreto foro convertisse ad Musarum studia[4].

Non ita multo post a patris interitu matrem quoque, apud quam educatus fuerat, amisit[5].

Ope ingenii et facultate scribendi carminis, Mæcenatis pa-

1. I, 6, 25.
2. II, 34, 55 sq. Cf. II, 24, 37 sq.
3. Satis clare docet Plinii locus (VI, 15) adlatus modo; præterea *bullam auream* gessit Propertius puer (vide IV, 1, 131), quod fuisse insigne scimus nobilibus pueris proprium. Ed.
4. IV, 1, 127—134.
5. II, 20, 15.

trocinium et amicitiam consequutus est, cujus hortis in Esquilina regione positis proxime habitavit[1].

Gallo cuidam[2], viro nobili, amoribus dedito, nec non Tullo consularis familiæ, qui plures in urbe forisque magistratus gessit[3], gratissimus fuit Propertius. Ovidium, Ponticum, Bassum poetas, æquales suos, familiariter dilexit; quorum judicia, si quid populo recitaturus esset, prius experiri consueverat. Hostiam puellam, summo genere natam, quam, vero nomine dissimulato, Cynthiam dicere maluit, ut ab Apuleio accepimus, immodice amavisse videtur. Hanc omnibus naturæ artisque dotibus ornatam nobis describit, a Musarum præcipue sacris non abhorrentem. Qui vero Propertium una Cynthia contentum credidere, elegiam illam satis considerasse non videntur, qua se multis amoribus obnoxium et cujuslibet formæ mulierum spectatorem elegantissimum sincere admodum profitetur[4]. Octaviano Cæsari non semel blanditus est, immemor, puto, injuriarum, quas ab ipso et militibus ejus acceperat, maximique principis gratiam obsequio carminis aucupatus.

Callimachum et Philetam ad imitandum sibi proposuit[5]; sed falso Elegiam a se primum ex Græcis fontibus apud Romanos deductam canit[6], quum ante illum Catullus id tentavisset magno successu. Helladem certe omnem depopulatus, transmarino sale scripta sua condivit, veterum fabularum, uti adparet, studiosissimus. Credibile est, Ovidium ad Fastorum libros et Heroidum epistolas conscribendas Propertii lectione excitatum; præivit enim poeta Umber pluribus libri quarti carminibus. Quamquam autem vires ingenii sui consulto extenuat, magno tamen spiritu et heroicis aptissimo præditus fuit: cujus rei fidem faciunt ea, quæ de antiquitatibus Urbis Romæ[7], de Augusti victoriis[8] et de Cornelia matrona Paulli censoris uxore[9], magnifico verborum adpa-

1. III, 23, 24.
2. Elegiæ plures exstant libri I sub ejus nomine. Vide not. ad Vitam Chronolog. pag. 11.
3. Vide mox pag. 20.
4. II, 22.
5. Conf. III, 1, 1 sq.
6. III, 1, 3 sq. Vide quæ infra dicuntur pag. 29.
7. IV, 1.
8. II, 10; III, 4, etc.
9. IV, 11.

ratu et numeris Elegiæ modum excedentibus erudite cecinit. Nonnulli, ut testatur Quintilianus (Instit. Orat. X, 1, 93), Propertium Tibullo in Elegia præposuere. Passienus quoque Paullus, gentilis ejus, carmine scribendo, si Plinium audimus, ab ipsius vestigiis ne latum quidem unguem discessit.

Iratus amoribus suis, quod non ex sententia succederent, Athenas petere decrevit: an vero profectus fuerit, incertum est.

(Juvenem Propertium esse mortuum Barthius et Lachmannus in Vita Chronologica ostendunt, cujus ætatem Vulpius ad senectutem perduxerat.)

SEXTI AURELII PROPERTII

VITA,

PER ANNOS, QUANTUM LICUIT, PROBABILI CONJECTURA, DIGESTA,

AUCTORE

FRID. GOTTL. BARTHIO.

A. U. C. Varr. 702; Propertii 1.
Pompeius III sine collega, supremis mens. Scipio Metellus consules.

In hunc annum nos, probabili conjectura, non tam J. Dousam et Heynium sequuti, quam ratione ipsa ducti, vel potius compulsi, Propertii nostri natales conferimus. J. Dousa in Sched. Succid. in Tibullum, « duobus minimum lustris, vel certe sesquilustro juniorem » fuisse vult nostrum Aurelium Albio Tibullo, cujus natales Ayrmannus falso in A. 705, ipse vero in A. U. 697, referebat. Idem Dousa loc. cit. Propertium post Horatium (A. U. 689, L. Aurelio Cotta et L. Manlio Torquato coss. natum) anno plus minus octavo, nonone, an decimo, natum autumat. Heynius autem, Vit. Virgil. ad A. U. 711, tom. I, p. 147, « Hoc anno, » inquit, « a. d. XIII Kal. April. (XX Martii) Ovidius natus est; nec multo ante Propertius; Tibullus autem jam ante 705 natus erat; quamquam alii ejus natales ad A. 690, Propertii autem 697, referre volunt. » Nos igitur, rebus diu pensitatis, momentisque vitæ Propertianæ modo sic, modo aliter ordinatis, tandem mediam hanc ingressi sumus viam, qua omnia satis probabiliter cohærere nobis videbantur, sibique invicem respondere; quamquam neque negare, neque inficias ire volumus, annum 697,

quem Vulpius Nostri natalem statuit, quemque Jo. Christoph. *Gatterer*, *in Handbuch der Universalhistorie*, p. I, pag. 933, utrique poetæ, et Tibullo et Propertio, vindicat (namque A. M. 3926 incidit in A. U. C. 697), prima fronte præferendum quibusdam videri posse. Sed neque nos multum aberrabimus a vero. Ovidius enim in Trist. IV, 10, 41—54, sic enarrat tempora poetarum ævo suo celebratissimorum, ut Gallum, Virgilium, Tibullum, Horatium, non tam inter ἡλικιώτας et plane συγχρόνους sibi, sed inter veteranos ac seniores quasi poetas recenseat. Propertium vero diserte vs. 46 ait sibi jure sodalitii junctum fuisse, quemadmodum etiam Ponticum et Bassum, amicissimos Propertio nostro, dulcia refert convictus sui fuisse membra:

Temporis illius colui fovique poetas;
Quotque aderant vates, rebar adesse deos.
Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque necet serpens, quæ juvet herba, *Macer*.
Sæpe suos solitus recitare *Propertius* ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.
Ponticus heroo, *Bassus* quoque clarus iambo
Dulcia convictus membra fuere mei.
Et tenuit nostras numerosus *Horatius* aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Virgilium vidi tantum; nec avara *Tibullo*
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit *hic* tibi, *Galle*; *Propertius illi*;
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Cornelius Gallus totis annis 30 (nempe A. U. C. 681) ante Ovidium natus, obiit morte voluntaria A. U. C. 728, secundum eumdem Dousam l. c. cujus rationes etiam Burmanno probari video ad Anthol. Lat. Tibullus nascitur secundum Dousam A. 697, ut inter hunc et Gallum 16 anni interjecti sint, totidemque dentur intervallo usque ad Ovidii natales. Propertius tamen successit Tibullo, sicut ipse Naso Propertio nostro. Hic certe non pauciores quam 6 vel 8 anni inter utrumque adsumi posse videntur. Propertius quoque propior adhuc Nasoni fuisse videri possit, dum se ejus sodalem profitetur, quod in hominem multis annis majorem non cadit,

uti agnovit quoque doctus Anglus Crusius in *the Lives of the Roman poets*, vol. I, p. 104, interpretatt. German. Christ. Henr. Schmidii, qui nobiscum facit, et eumdem A. U. C. 702 Propertio adsignat natalem, licet aliam æram sequi videatur, unico anno a nostra, quæ Varroniana est, differentem.

De patria Propertii nova subnascitur difficultas, dum non septem, sed vel novem urbes, uti e Donnolæ libello *de Patria Propertii* constat, de hoc inter se certant honore. Attamen plures harum urbium sunt vel recentioris originis, ita ut diu post Propertium ipsum natæ sint; vel ita situ suo dispositæ, ut descriptioni, quam poeta de sua subpeditavit patria, minime respondeant, adeoque, veritatis vi repulsæ, de petitione sua Propertium sibi vindicandi decedere cogantur. Quatuor igitur inprimis urbes restant, quæ celebres satis ac disertos causæ suæ patronos nactæ sunt, quarumque jura jam adcuratius ad examen vocanda sunt, ut adpareat, secundum quam illarum vindicias dare integrum judicem deceat.

Tribus in locis Propertius de patria sua egit. E primo loco, nempe lib. I, eleg. 22, adparet, Umbriam ejus esse patriam. Sic enim ait ad Tullum:

> Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra,
> Italiæ et duris funera temporibus,
> .....
> Proxima subposito contingens *Umbria* campo
> Me genuit, terris fertilis uberibus.

Obiter tantum observo, *Perusiam* ipsam, quæ Ciatti opinio est, non posse patriam poetæ haberi, neque adeo in censum quatuor illarum urbium venire, quæ de patria poetæ nostri contendendi aliquam juris speciem habeant. Nam Perusia non in Umbria, sed in Etruria sita est.

Ex altero loco, IV, 1, 65 sq. adparet, Propertii patriam in valle Umbriæ ita sitam fuisse, ut arces ejus scanderent de vallibus. Ita enim canit Romanus Callimachus:

> *Scandentes* si quis cernet *de vallibus arces*,
> Ingenio muros æstimet ille meo.

E tertio denique ejusdem elegiæ loco, vs. 121—126, co-

gnoscimus in Umbria sitam fuisse patriam ejus oram, et quidem ubi *nebulosa cavo rorat Mevania campo.* Hæc enim sunt verba Astrologi ad Propertium:

> *Umbria* te notis antiqua Penatibus edit.
> Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
> *Qua* nebulosa cavo rorat *Mevania* campo,
> Et *lacus* æstivis intepet *Umber* aquis,
> *Scandentisque arcis* consurgit vertice murus,
> Murus ab ingenio notior ille tuo.

Hæc omnia si recte pensitamus loca, patria Propertii non erit *Mevania* ipsa, quæ est plurimorum, et in his quoque Broukhusii opinio, sed potius urbs in vicinia Mevaniæ sita (quod agnovit etiam Chr. Henr. Schmidius ad Crusii Vit. poet. Rom. tom. I, pag. 100, n. *o*), qua parte lacus Umber æstivis aquis intepet. Accedit, quod Mevania urbs in planitie sita est, non vero, ut Propertii patria, in colle. Neque vero ipsa urbs rorare dicitur, sed *Mevania nebulosa cavo campo*, ut adeo Mevania h. l. totum agrum significet, non urbem.

Sed neque *Ameria*, quæ Scaligeri sententia est, intelligenda est. Namque illa urbs extra vallem Spoletinam sita est neque Mevaniæ proxima, sed 30 prope passuum millibus ab ea, longiusque a Perusiæ finibus abest.

Eadem ratio excludit quoque *Assisium*, 9 circiter millibus passuum a Mevania remotum; licet Maittairius in edit. Londin. post Mevaniam hoc oppidum nominet: accedit, quod hic quoque frustra lacus Umber quæratur.

Relinquitur ut HISPELLUM adsumamus Propertii patriam, eique civem hunc addicamus, qui, licet minor sit magno Homero aut Marone, inter elegiacos tamen poetas non ultimum locum obtinet, satisque decoris habet ad patriam suam ornandam. Hispellum nempe, cum agro suo, in valle Spoletina, unice situm illum habet, quem Propertius ll. cc. designavit. Namque ejus *murus*, sicuti Donnola ex oculari docuit inspectione, acclivis est, et ex imo ad verticem *consurgit.* Verbum enim *scandere*, quo Propertius utitur, est, *pedetentim et per diversos gradus sese adtollere*, quod fit in urbe ad clivum quemdam reclinato situ posita. Tum *lacus* ipse *Umber* aperte est

Clitumnus. Tandem Perusiæ obposita est ita, ut per campum Mevanatem et Clitumnum progrediendum sit ad urbem patriam Propertii, *quæ consurgit vertice scandentis arcis*, sive *montis paulatim se cum urbe adtollentis.* Adde quod Hispellum solum *noti Penates* vocari possunt ab Horoscopo, partim propter coloniam Romanam a Jul. Cæsare eo deductam, partim propter balneum ibi frequentatissimum [1]. Hæc omnia Donnola fusius exposita testimoniorum auctoritatibus munivit, aliis etiam levioris momenti argumentis adjectis plurimis. Cæterum sepulcrum Propertii, recentiore ætate Hispelli detectum (vid. infra pag. 30), non leve pondus addit Donnolæ sententiæ, ut adeo Propertium in posterum *Hispellatem* habendum vix dubitari posse videatur. Satis interim ridicule auctor Memor. Trivolt. loco infra laudando : « J'accorderais « sans beaucoup de peine à Thaddée Donnola qu'il était de « Spello, quand il se serait épargné de prodiguer tant de « doctrine sur un sujet tel que celui-là. » Ne igitur et nos cuipiam prolixitate nimia in hac re occasionem demus fidem Donnolæ elevandi, verbum non amplius addemus.

A. U. C. 711 ; Propertii 10.
C. Vibius Pansa ; A. Hirtius.

Bellum Mutinense. Ovidius natus. Circa hoc tempus, vel certe non ita multo post, fortasse anno sequente, pater Propertii mortuus sit necesse est. Vulgaris post P. Crinitum sententia, quam et Maittairius et Crusius, Angli, sequuntur, fert, eum, L.Antonium sequutum, in Perusina clade interiisse, et ad aram divi Julii cum aliis equitibus ac senatoribus immolatum fuisse. Enimvero haud dubie falsi sunt, hanc amplexi opinionem. Namque libro IV, 1, 130, *pertica tristis*, quæ in A. U. 713 incidit, subjungitur morti patris Propertii, quum Perusina deditio in A. U. sequentem 714 demum incidat. Neque poeta hæc tempora Augusto in memoriam revocaturus fuisse videtur. Phrasis quoque *ossa legere* indicat haud ob-

1. Vide nos ad Propertii locum (IV, 1, 121). Ed.

scure, patrem Propertii domi potius suæ mortuum; num ex vulnere in eo bello accepto, an ex dolore quoque de fama agrorum militibus distribuendorum, incertum. Hoc dubitatione caret, poetæ nostri ætatem tum adhuc teneram fuisse, quum pater ipsi eriperetur: vid. A. U. 714.

A. U. C. 713; Propertii 12.
P. Servilius Vatia Isauricus II; L. Antonius.

Octavianæ perticæ metatio etiam Propertio nostro, patre jam orbato, maximam agrorum partem aufert; qua de re poeta IV, 1, 129:

Nam tua quum multi versarent rura juvenci,
Abstulit exultas *pertica tristis* opes.

Cf. Heynii Vit. Virgil. per annos digest. ad hunc annum. Circa hanc tempestatem Tibullus non potest puer novem annorum fuisse, quoniam longe aliter de hac clade loquitur, quam vel Noster, inprimis IV, 1, 184—191:

Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi dltantes ordine sulci
Horrea, fœcundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles.,
Et domino satis, et nimium furique lupoque;
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Quum memor *anteactos* semper dolor admonet *annos*.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis, etc.

Et I, 1, 19—22:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos;
Nunc agna exigui est hostia magna soli.

Ubique tamquam dominus et paterfamilias, qui ipse rem suam familiarem curat et administrat, loqui mihi videtur. Præterea Propertius etiam majorem fecisse jacturam videtur, quam Tibullus: nam Propertio *parva domi fortuna relicta* erat (II, 34, 55), unde etiam Augusti et Mæcenatis maxime liberalitatem implorasse credendus est, quod Tibullus non fecit. Vide in hanc rem J. Dousæ Præcid. in Tibull. cap. 18.

A. U. C. 714; Propertii 13.
Cn. Domitius Calvinus II; C. Asinius Pollio.

Bellum Perusinum. Hoc in bello videtur *Gallus*[1], Propertii nostri amicus, vel propinquus, insidiis latronum interfectus fuisse. Cf. I, eleg. 21, inprimis vs. 7 et 8; eleg. 22, 6—8.

A. U. C. 717; Propertii 16.
M. Vipsanius Agrippa; L. Caninius Gallus.

Hoc anno ineunte, togam virilem pro more sæculi illius Propertius sumsit, Vid. quos laudat Heyn. in Vit. Virg. ad A. U. 699. Ita enim Noster IV, 1, 131:

> *Mox* ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
> Matris et ante deos libera sumta toga;
> Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
> Et vetat insano verba tonare foro.

Neque est, quod particula *Mox* quempiam moveat, quasi inter *perticam* illam *tristem* et *togam puram* non intercesserint integri quatuor anni: notum enim est, vel historicos, nominatim Florum, similibus connectendi particulis tam late ac vage uti. Et Noster alibi pari ratione hanc vocem ponit IV, 11, 33; et III, 11, 29, *modo* similiter satis longum spatium designat. Adsumo vero hunc inprimis annum, quia poeta cum eo statim conjungit studium carminis scribendi; in quod Romæ maxime incubuisse, adeoque circa idem tempus eo se contulisse censendus est, sicut e versu breviore colligas, qui

1. *Gallus*, nomen proprium amici Propertii haud dubie fictum I, 5, 31; 10, 5; 13, 3; 20, 1. Certe non est confundendum cum celebri illo Cornelio Gallo, Forojuliense, elegorum scriptore, et Euphorionis Chalcidensis interprete. Namque is paulo grandior natu videtur, quam ut omnia loca in eum satis commode conveniant. Adde quod is jam A. U. 717 Lycoridem suam amiserat. Ejusdem tamen poetæ, qui, quum præses Ægypti esset, se ipse interfecit, meminit Propertius II, 34, 91. Ab utroque diversus est ille propinquus Propertii, in bello Perusino occisus, cujus fit mentio I, 21, 7. Tandem Gallus quoque est filius Arriæ, frater Luperci, qui concidit ante aquilæ signa cruenta IV, 1, 95. Barthius.

spretam juris scientiam a Nostro subindicat, forique meminit. Cui Propertii ætas nondum apta satis pangendo carmini videtur, is velim cogitet, Ovidium quoque admodum juvenem carmina sua recitasse publice, sicut ipse canit Trist. IV, 10, 55:

Utque ego majores, sic me coluere minores;
Notaque non tarde facta Thalia mea est.
Carmina quum primum populo juvenilia legi,
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.

A. U. C. 721; Propertii 20.
Cæsar Octavianus II; Volcatius Tullus, L. filius.

Circa hoc tempus *Lycinna* quædam Propertium Veneris sacris initiat, ita tamen, ut ipse non tam amet, quam ametur: unde jure suo de Cynthia, posteaquam amoris tirocinium jam posuerat, I, 1, 1:

Cynthia prima suis miserum *me cepit* ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Et I, 12, 20:

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.[1]

De Lycinnæ autem conatibus irretiendi Nostrum, ipse III, 15, 5; quam elegiam equidem vel maxime tamquam filum quoddam Ariadneum in computandis annis Propertii sequor. Inde enim, nisi me omnia fallunt, manifesto patet, Propertium statim a sumta virili toga in Lycinnæ amoribus per unum aut alterum annum versatum esse, quod et Passeratio ad istum locum ita videtur. Sed captus post a Cynthia Noster Lycinnam deserit, et, quum elegiam 15 lib. III scriberet, per triennium fere cum Cynthia consueverat, sicut ipse canit vs. 7:

Tertius, haud multo minus est, quum *ducitur annus*:
Vix memini nobis (*mihi et Lycinnæ*) verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor; nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Jam si Propertius quinque annos serviit Cynthiæ, ut ipse III, 25, 3, canit,

Quinque tibi potui servire fideliter *annos*,

rationibus bene subductis adparebit, hos septem annos simul sumtos incidere in annum ætatis Propertianæ 17, usque ad 24. Ad idem temporis spatium quoque plurimarum elegiarum conscriptio, amatoriarum nimirum, necessario referenda erit. [1]

A. U. C. 723; Propertii 22.
Cæsar Octavianus III; M. Valerius Messala.

Cynthiam amare incipit Propertius. Factum id inprimis videtur, posteaquam illa ab amatore suo, Africam petente,

1. Elegiarum recensionem per annos, qualem sistunt ea, quæ sequuntur Barthii, Lachmannus rejicit, quæritque fundamentis novis magis certam; Propertii distributionem suam, ut, qui vulgo liber contextis carminibus secundus est, bipartitus constituat duos, secundum ac tertium, explicat, in Præfatione sua, pag. 18 sqq. ita:

At restabat aliud, in quo si hos, qui nobis anteiverant, superare possemus, operæ nos pretium facturos esse existimabamus. Scilicet Scaligerum, qui primus de sensus cohærentia in hoc poeta accuratius quæsivit, quum in multis sententiarum ordinem non recte procedere sentiret, nulla librorum scriptorum reverentia, omnia audaci conatu, eventu infeliciore, ita, ut libebat ipsi, pervertisse ac transposuisse satis constat. Sed de his quidem Scaligeri transpositionibus, quamquam eas acceperit Broukhusius, Burmannus autem ulterius propagaverit, jamdudum inter viros doctos conclamatum est: hoc dubium est, an Vulpius eum, qui in Codd. scriptis habetur, versuum ordinem bene semper tuitus sit, et singulorum carminum argumenta sententiarumque connexum recte ubique exposuerit. Hoc ut olim Schradero persuaderi non potuit, ita neque hodie omnibus, certe optimis, nondum persuasum esse, fidem facit, quod vir præstantissimus, Eichstadius, in libello academico, Jenæ anno 1806 in publicum prodito, quo nonnulla novo Tibulli editori vel cavenda vel facienda disputat, a Propertii editore jure exspectari scribit, ut, desertis Scaligeri transpositionibus, mutilum poetam et laceratum in multis, fragmenta potius carminum, quam carmina ipsa, exhibeat. Me vero, quo minus de hujus judicii, quod ei præter alios Hemsterhusius fere præiverat, veritate dubitarem, magna viri auctoritas prohibere non potuit, a quo dissensum in re, quæ opinione nititur, leniter et consueta humanitate latum iri confido. Nam dissentire me omnibus curiose examinatis profiteor, qui multa a Vulpio non bene explanata agnoscam, cui, quoties non satis faciebat, subveni; multa quoque corrupte ac perverse scripta videam, quibus corrigendis omnem, quam potui, operam impendi; pauca etiam disticha, in locum suum a nobis re-

derelicta fuerat : cf. III, 20.* Hæc enim elegia mihi quidem videtur una ex illis esse, quas Propertius ante omnes reliquas, etiam libri primi, scripsit; quam vero cum quibusdam aliis, utpote nondum satis emendatam, neglexit et rejecit tum, quum librum primum ederet. Cur hoc mihi persuadeam, hæc inprimis causa est, quod in illo carmine nomen Cynthiæ nondum occurrit, quod a poeta post id demum tempus adhibitum, Hostiæque impositum fuit a Cyntho (sicut a Delo nomen Deliæ), quum in amicitiam amoremque ejus insinuasset. Neque enim de nuptiis et conjugio Propertii cogitandum est cum docto Anglo Crusio (*Lives of the Roman poets*), obnuntiante etiam jure ejus interprete Schmidio, sed prætexit modo poeta honestatis speciem turpi amori. Tantum vero aberat, ut

ducta, ibi, quo in libris scriptis reposita sunt, turbare sensum concedam; aliquot autem carmina, quæ male avulsis aut assutis partibus feruntur, his, quæ jungenda erant, jungendis, aliis, quæ separanda, separandis, integra facienda esse putaverim : cæterum lacunam majorem, præter eas, quæ me, ut libros, qui hactenus ferebantur, quatuor in quinque dispescerem, coegerunt, nullam in toto opere invenire potuerim.

Sed hæc quidem passim suis locis in annotatione nostra exposuimus : nunc de hoc ipso, quod modo commemoravimus, auso nostro pluribus agendum est, ut rem, quam nullis Codd. scriptorum suffragiis adjutus perficere non erubui, si fieri posset, veram ac necessariam fuisse ostendam, meque audaciæ ac temeritatis, qua nihil critico turpius, crimine quam maxime purgem atque exsolvam.

Primum igitur, quod Eichstadii non minus, quam nostræ sententiæ favet, Propertii carmina nostro tempore non integra, sed sui parte truncata legi, aliorum scriptorum testimoniis evincitur. Nam Fulgentius grammaticus, in libello de Prisco Sermone, n. 34, in vocabulo *Dividia* hunc sub Propertii nomine pentametrum habet, quem nostra exempla nusquam agnoscunt :

Dividias mentis conflcit omnis amor.

Sed eum quidem viri docti Petronio adscribere malunt, quem tamen in versu pentametro hoc vocabulo obsoleto uti potuisse non credo; neque hæc ratio, opinor, hujus grammatici auctoritatem penitus subvertit, quod ea, quæ in *Catillare* (n. 22) Propertio tribuit, ab alio auctore profecta esse apparet : « Catillata geris vadimonia, publicum prostibulum. » Aliud Propertii fragmentum Servius exhibet ad Virgil. eclog. V, 21 :

testes sunt sidera nobis.

* Scilicet unam hic elegiam Barthius cum scriptis Codicibus facit, ubi nos cum Scaligero agnoscimus diversas duas. Ed.

hæc cautio a Propertio adhibita vim aliquam in Cynthiæ animo ad constantiam amoris haberet, ut potius mox alium præferret amatorem, quocum in Illyriam proficisci meditabatur. Neque per absentiam illius prætoris Illyrici sine rivale esse potuit poeta, uti colligas e II, 24, 31, qui ille ipse videtur, qui uxorem habebat II, 21, 4. Illum prætorem Macedoniæ et Achaiæ censet Scaliger, quod Macedonia Illyricum

Idem ad Georg. I, 19, *uncique puer monstrator aratri*, « Alii, inquit, Triptolemum, alii Osirim volunt, quod magis verum est, ut dicit Propertius vel Tibullus (I, 7, 29). Nam Triptolemus frumenta divisit. » Hæc quoque eripere nobis tentant, jure an injuria non facile dicam, priora verba referentes ad illa II, 9, 41,

Sidera sunt testes, et matutina pruina;

in altero loco hæc verba *vel Tibullus* tribuentes correcturo errorem, qui Propertio commemorando commissus fuerit. Sed certe non omnia nostri poetæ scripta superesse, locupletem testem habemus Ovidium, qui Trist. II, 461, de Tibullo ita loquitur :

Multaque dat talis furti præcepta, docetque,
Qua nuptæ possint fallere ab arte viros :
Nec fuit hoc illi fraudi, legiturque Tibullus,
Et placet, et jam te principe notus erat.

Tum subjicit de Propertio :

Invenies eadem blandi præcepta Properti :
Districtus minima nec tamen ille nota est.

Ubinam, quæso, inveniemus, quum ejusmodi præcepta nulla hodie in Propertii carminibus legantur?

Jam vero, si veteres scriptores ea a Propertio scripta commemorant, quæ in his, quæ exstant, carminibus non comparent, mirabile esse non potest aliquot lacunas in illis carminibus interrrupto sententiarum filo passim se prodere. At quum nos in notis nostris nihil usquam, nisi in libri secundi priore parte, quæ tota lacera ad nos pervenit, periisse docuerimus, nihil superest, nisi ut quæramus, si forte judicio aliquo intelligi possit, quantam Propertii carminum partem illæ, quæ in libro secundo sunt, lacunæ haurire potuerint. Id vero qui ostendat, unus locus est, qui, quum adhuc interpretibus fuerit difficillimus, omnem hanc rem insperata luce ita perfundit, ut ipse rursus ab eadem re lucem sibi debitam accipiat. Scilicet in libro secundo (eleg. 13, 25) duos versus legimus, quos non ad secundum, sed ad tertium librum pertinere ipsa eorum sententia arguit :

Sat mea sat magna est si *tres* sint pompa *libelli*.
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

Cautior cæteris hic Scaliger, « Nescio quomodo, inquit, jubet tres libellos sibi *πομπεύειν*, quos nondum scripserat, ut qui ne secundum quidem dimidium confecerit. » Broukhusio iste videntur « huc esse tracta ex libro tertio. » Burmannus locum in libro tertio, in quo repenat, quærit. Leviora etiam conjectura Heinsius in notis Propertianis, pag. 689: « Forte, inquit,

Magna satis duo trevve mei sint pompa libelli. »

Vulpius non Propertii, sed Mim-

continebatur : vid. Castigatt. in Propert. pag. med. 219. Circa idem tempus videtur etiam elegia 21 lib. III scripta fuisse, quum ex impatientia amoris, cui Cynthia non satis respondebat, iter Athenas suscipiendum simularet. Vix enim adducor ut credam, poetam umquam iter fecisse, ne per elegiam

nermi, Callimachi, et Philetæ libellos intelligit, cui commento quantumvis inepto Burmannus, ut est levis et mutabilis, et ipsi assentitur. Barthius in Vita Propertii (infra pag. 25), « Si quis ex se quærat, cur hæc libro secundo legantur, nec demum tertio, facilem esse responsionem » dicit, « quoniam nimirum neque Propertius neque Horatius carmina sua ordine chronologico composita ediderint, sed ille promiscue conjecerit in illos duos libros (secundum ac tertium intelligit Barthius), quidquid elegiarum ad manus esset, sicuti Horatius odas libri I et II, uno tempore conjunctim editi, promiscue ordinaverit. » Damus hoc : sed absurde tamen egit poeta, si hoc carmen, in quo trium librorum mentio injicitur, nulla quidem necessitate cogente, secundo inseruit. Hoccine igitur, an potius hoc carmen olim in libro tertio lectum fuisse, postea autem, quum secundi magna pars intercidisset, hos duos libros pro uno habitos esse existimabimus? Accedit, quod unum est inter illa fragmenta, quod, quum locum, cui debetur, argumento suo clare indicet, conjecturam nostram nova confirmatione in tuto collocat. Nempe hi versus (II, 10) :

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis, etc.

quibus puellam suam jam satis sibi scriptam narrat, res ab Augusto gestas celebraturum promittens, quem, ut adhuc parva sacra benigne accipere velit, rogat; hi versus, inquam, alibi, quam in capite libri Augusto dedicati, poni non potuerunt. Quid dubitamus igitur, quin liber tertius ab eo carmine, cujus hæc particula superest, initium cepisse, sequentes autem libri, qui adhuc pro tertio quartoque habiti sunt, quartus quintusque numerari debuerint?

His ita positis quum magnam partem eorum, quæ Barthius de tempore editionis librorum Propertii, vanis hariolationibus magis, quam certis rationum argumentis confisus, disputavit, everti apparent, de hac re visum est ea, quæ omnia huc pertinentia anquirendo reperi, nonnullis de vita Propertii, quæ parum explorata viris doctis esse animadverti, adjectis, curiose ac diligenter exponere. Primum igitur (nam hinc ordiendum est) Propertius ipse sibi testis est Cynthiam per quinque annos fideliter amavisse (III, 25, 3) :

Quinque tibi potui servire fideliter annos.

Hoc quum vidisset Barthius, hunc amorem fidenter anno U. C. Varroniano 723 et quatuor hunc insecutis assignavit, conjectura ductus, quam rei explicandæ non idoneam alius locus ostendit (III, 16, 9),

Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum;

qui versus isti calculo omnem

14 quidem ejusdem libri. Potest enim et hæc ex enthusiasmo poetico scripta fuisse. Namque poeta ne cum Tullo quidem in Asiam proficisci voluit. Cf. I, 6. Ex his omnibus facile constabit de moribus et ingenio Cynthiæ, ut Broukhusius adeo haud dubie fallatur et fallat egregie, quum tam magnifice de illa senserit. Fuit enim ejus ingenium plus quam meretricium, fidem, fundamenta omnia demit. Quomodo enim Propertium illo anno, per quem pulsus fuit, Cynthiæ serviisse censebimus? Quod si illud discidium forte post annum 728, quo Barthius amorem desiisse vult, factum esse putes, in primo libri primi, quem anno 724 editum ponit, carmine illius mentio facta est:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus
Et caput impositis pressit Amor pedibus.
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, et nullo vivere consilio.
Et mihi jam *toto* furor hic non deficit *anno*.
Quum tamen adversos cogor habere deos.

Interpretes quidem ibi nescio quid de Musis et Gratiis somniant, alii Cynthiam libidinosam et prostituti pudoris mulierem dici opinantur: tu ne dubita, quin poeta se, Cynthia et castis puellis relictis (hoc erat illud: *Peccaram, et totum sum pulsus in annum*), jam per totum annum viles quærere et sine consilio queratur vivere, adversa tamen Venere et Cynthiæ desertæ memoria animum assidue subeunte. Hunc verum sensum esse certius fit ex his ejusdem carminis versibus:

Hoc, moneo, vitate malum: sua quemque moretur
Cura, neque adsueto mutet amore locum.

Jam igitur, quando illud Cynthiæ Propertioque discidium venerit, facile constaret, si modo de anno 724, cui Barthius libri primi editionem tribuit, certa res esset, neque in hoc quoque conjectorem ratio fefellisset. Nobis hoc, nulla amplius ejus errorum mentione facta, exquirere placet.

Illud frigus illasque inimicitias ante medium annum 726 finem habuisse, ex eleg. 7 libri secundi colligimus, in quo carmine circa illa tempora scripto omnia jam composita esse cernimus. Hoc carmen autem post editum librum primum, in quo illud infortunium commemorari vidimus, factum esse hi versus ostendunt, in quibus, Hinc, inquit (nempe a Cynthiæ laudibus),

Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad extremos lata Borysthenidas.

Porro uno mense post librum primum editum, pacem factam tumque secundum scribi cœptum narrat II, 2, 1,

Liber eram, et vacuo meditabar vivere lecto:
At me composita pace fefellit Amor:

et eleg. 3, 1,

Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
Hæsisti; cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te jam liber alter erit.

Viden? Liber erat, nullam sibi nocere posse jactabat (et sane libri primi procœmio amori valedicebat): vix unum mensem duraverat, quum

ad lactandos et emungendos amatores maxime compositum. Cf. II, 16, 11 sqq. II, 32, 17—20, etc.

Quod si igitur Propertius adeo juvenis Cynthiam dilexit, quæ tamen multo plures annos habuisse videtur poeta nostro, quid mirum, si eam, æstu iræ abreptus, secum ipso comparatam, *anum haud longo die futuram* dicit II, 18, 20?

pace facta denuo falleretur, et sese Cynthiæ servitio dederet. *Compositam* enim *pacem* qui confictam, simulatam, fallacem, interpretantur eo argumento, quod *causas* et *fraudes* et *insidias componi* dicimus, sermoni vim faciunt, quum pax integrato amore cum Cynthia facta intelligenda sit. Livius II, 13: « His conditionibus *composita pace* exercitum ab Janiculo deduxit Porsena et agro Romano excessit. » Virgilius, Æneid. VII, 339:

Disjice *compositam pacem*, sere crimina belli.

Jam vero hæc sub initium anni 726 acta esse inde apparet, quod Cynthiæ amorem ultra annum 730 vel 731 protractum non esse aliunde compertum habemus. Eum etiam tum viguisse ex II, 30, 19, manifestum est:

Num jam, dura, paras Phygias nunc ire per undas,
Et petere *Hyrcani* litora nota maris?

quæ ad bellum, quod Augustus tum Parthis inferre meditabatur, quodque Romani latius extentum iri sibi persuadebant, pertinere Virgilius fidem facit Æneid. VII, 606:

Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.

Paulo autem post abiisse amorem illum ex libri tertii elegia prima (libri II elegia 10), ubi satis scriptam a se puellam suam dicit, apparet. Quum igitur quinque annos numerat, eos, qui illud discidium præcesserant, omittit, horum tantum, per quos fideliter se et constanter Cynthiæ serviisse scribit, ratione habita. Hoc igitur constat, illum annum, per quem rejectus fuit, esse ab U. C. 725. Quot vero annis ante jam amaverit Cynthiam, ex alio loco eruimus III, 15, ubi ante Cynthiam se sub primam adolescentiam Lycinna quadam arsisse confitetur:

Ut mihi prætexta pudor est velatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu! nullis capta Lycinna datis.

Jam tu mihi sequentia considera:

Tertius, haud multo minus est, quum ducitur annus,
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Hæc certe post illum annum, quo pulsus fuit, scribere non auderet, sed aut ante inimicitias, aut, quod credere malo, quum inciperent. Hinc igitur constat, si non diutius, certe biennio ferme post excussam Lycinnam Propertium, antequam rejiceretur, cum Cynthia vixisse. Hoc autem biennium complectetur annos ab U. C. 723 et 724. Tum ante hos si Lycinnæ amori unum

Cæterum hoc anno a. d. 4 Non. Sept. facta est pugna ad Actium, cujus passim meminit Propertius variis elegiis, quæ tamen non nisi post triumphum A. U. 725 habitum, et librum primum jam editum scriptæ videntur. Cf. III, 11, 50, et Heyn. ad Virgil. Æneid. VIII, 675, 698, etc.

A. U. C. 724; Propertii 23.
Cæsar Octavianus IV; M. Licinius Crassus.

Ægyptus in formam provinciæ Romanæ redacta. Cornelius ferme annum dederimus, eumdemque Propertii ætatis sextum et decimum, quo ineunte togam virilem tum sumi solitam viri docti statuunt, reputaverimus, natales ejus in annum quasi 706 aut 707 incident, quæ ratio Ovidio optime concinit, qui se natum anno 711 sodali Propertio usum narrat Trist. IV, 10, 45:

Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

His fundamentis jactis, jam paulo certius, quo tempore singuli libri editi fuerint, dicere videmur posse. Et primum quidem liquidum est, anno 725 vergente, vel certe 726 ineunte, librum primum in publicum prodiisse; tum enim, quod ex supra dictis patet, proœmium exaratum est. Secundum uno mense post, quod supra ostendimus, cœptum quando ediderit, nescio, nisi una cum tertio (intellige, quem facit Lachmannus tertium, ratione tenenda etiam in iis quæ sequuntur) evulgatum suspicor. Libro III, 16 (II, 24), 1,

Tu loqueris, quum sis jam *noto* fabula *libro*,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?

Noto libro dicit, non *libris*, ut unum modo editum significare videatur. Sed, nisi id carmen jam ante, quam liber secundus publici juris fieret, compositum est, potuit totum hoc Propertii opus Cynthiæ inscriptum nomine unus liber dici: vide nos ad III, 5 (II, 14), 26. Librum tertium (II, 10—34) anno 730 vel 731 editum esse proœmium eo tempore scriptum testatur. Hoc Barthius quoque viderat, cui ne in hoc quidem repugno, quod tertium (II, 10—34) quartumque (tertium) simul editos contendit. Nullum enim in neutro carmen legitur anno 731 posterius; illum ipsum annum certo sibi vindicat unum libri quarti (tertii 18). In utroque Cynthiæ amorem valere jubet: in tertio, 8, (II, 10, 8):

Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu,
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.

In quarto (tertio), 24, 15:

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Trajectæ Syrtes, anchora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.

Sed de libro quinto (quarto) quam concepit sententiam Barthius, eum ab ipso Propertio editum non esse, hanc nos in annotatione nostra novis nec contemnendis argumentis confirmavimus. Carminum, quæ complectitur, nullum post annum 739 scriptum esse videri idem Barthius rationibus allatis ostendit.

Gallus præfectus Ægypti. M. Valerius Messala ab Augusto cum imperio in Asiam mittitur, ad turbas ab Antonii gladiatoribus illic excitatas componendas, aliasque simul res constituendas. Cf. Dio LI, non longe a princip. Atque ad hoc ego tempus refero tam scriptionem elegiæ 6 lib. I, quam editionem totius illius libri, quem *Volcatio Tullo*, qui A. U. 721 cum Cæsare Octaviano consul fuerat, elegia prima addita, inscripsit. Ab hoc tamen ipso Tullo diversum statuo illum, ad quem est elegia 6 lib. I, et 22 lib. III. Scilicet ille Tullus, cui Propertius inscripsit suam CYNTHIAM, est *L. Volcatius Tullus, L. filius* (is Lucius fortasse ille ipse est, qui A. U. 688 consul fuit cum M. Æmilio Lepido), qui cum Cæsare II consule consulatum gessit. Sed is ipse consul haud dubie fuit *patruus illius Tulli junioris*, ad quem est elegia 6 lib. I, significante ipso Propertio vs. 19.[1] Neque enim antiquior ille Tullus, cum Lepido consul, adeo rebus gestis inclaruit, ut Propertius ejus cum laude meminisse videatur. Rectius credas, poetam vivo suo patrono Tullo adulatum fuisse versu illo:

Tu patrui meritas conare anteire secures.

Hic igitur adhuc juvenis erat, et, ni fallor, æqualis fere Propertio, nec dum aliquem magistratum gesserat, sed omnis ejus fortuna et spes adhuc in herba erat, sicuti ex eleg. 22 lib. III, 40, non inepte colligas. Hic junior Tullus, filius fratris consulis, a Propertio vocatur (I, 6, 34) *pars accepti imperii*; quæ phrasis nihil aliud significat, quam juvenem illum Tullum fuisse in cohorte, id est inter comites et amicos viri cujusdam clari et consularis, cui Octavianus singulare quoddam imperium, dederit[2]; sicuti I, 21, 4, *pars militiæ* est unus de militi-

1. Conjectura Barthii, quam non accipimus. Neque enim in toto Propertio verbum occurrit, quod aut inscriptionem istam tueatur libri primi ad Tullum, aut fuisse Tullos duos, patruum et nepotem, significet, sub diverso quorum nomine aliquot poetæ nostri carmina prodeant. Unum eumdemque Tullum, juniorem, facimus nos eum, ad quem exstant elegiæ: de primo autem libro post Lachmannum nobis ita videtur, ut parum recte ad hunc usque diem a secundo tertioque separatus fuerit, quibus tribus conjunctis Noster titulum CYNTHIÆ inscripserit. Vide not. libro I præmissam pag. 35. ED.

2. Vide not. I, 6, 34.

bus. Cf. vet. Scholiast. ad Horat. epist. I, 3, 1. Neque est quod quis putet, ita vim vocis *imperii accepti* non satis exhauriri: nam solent optimi scriptores et Græci et Latini ita loqui. Sic, ut unico saltem in hanc rem utar exemplo, Lucianus in Apolog. pro mercede Conductis, tom. I, pag. 721, cap. 12, publici imperii se participem factum, seu publice in maximam partem imperii se venisse (δημοσίᾳ τῆς μεγίστης ἀρχῆς κοινωνεῖν) scribit, quum tantum eorum, quæ agebantur in judiciis, commentarios scribendos curaret, et decreta reponenda traderet. Memorat elegia 6 inprimis Athenas et Asiam. Quum vero elegia scripta esse debeat intra annos 5, nempe ab A. 721, quo Tullus ipsius patruus consul fuit, computo instituto, ad A. U. 724, quo librum primum nos statuimus editum, exoritur quæstio, quamnam ob causam, et cui Octavianus ad Actium victor singulare imperium in Asiam dederit, cujus inter comites Tullus juvenis esse potuerit. Jam, quamquam libentius ab aliis doceri ipse velim, tamen, quum res horum annorum circumspicienti non alia huc faciens occurrat, quam turbæ illæ gladiatoriæ, ad quas componendas Cæsar Octavianus Messalam A. U. 724 misit, non dubitamus eas e Dione loc. cit. breviter commemorare, si forte conjectura nostra peritis et æquis harum rerum arbitris adrideat. Antonius nimirum, victoriæ suæ de Cæsare deportandæ certus, ad ludos triumphales, quos se facturum sperabat, Cyzici magnam gladiatorum manum aluerat, exercendamque curaverat. Posteaquam igitur isti homines cognorant Antonium, apud Actium fugatum, deinde in Ægyptum confugisse, ad ferendum ipsi auxilium iter susceperant, ac variis turbis per varias Asiæ provincias, Galatiam maxime et Ciliciam, excitatis, tandem in Syriam concesserant, ubi Q. Didio Syriæ præfecto ea sese dediderant conditione, ut ne gladiatores posthac essent, utque Daphnen Antiochiæ suburbium eis habitandum concederet, donec Cæsari ea res significaretur. Hi quidem gladiatores, addit Dio, postea a Messala decepti, alii alio dimissi, quasi legionibus adscribendi, ac per occasionem interfecti sunt. Jam, etsi Messala tum temporis non ipse Romæ fuit, potuit tamen ea res ibi nota fieri, et post pugnam Actiacam, quum

ipse Augustus in Italia Brundusii esset, ita ordinari, ut multis occasio præberetur eo proficiscendi. Videtur vero deinde Messala totam Asiam minorem, cujus potior pars ab Antonio steterat, rerum ordinandarum populorumque in deditionem accipiendorum causa, percurrisse (quod etiam sexta Propertii elegia lib. I, vs. 31 sqq. innuit), ac deinde quoque Cyzicum accessisse, unde gladiatores isti emigraverant; ut adeo manifestum sit, hanc urbem in potestate ac fide Antonii fuisse. Augustus certe sequentibus temporibus simili cursu itinerum usus est (vid. Heyn. Vitam Virgil.), quo tempore etiam Cyzicenis libertatem ademit: quod quum factum sit demum A. U. 734, M. Apuleio et P. Silio Nerva coss. eademque libertas restituta iisdem A. U. 739, teste eodem Dione, coss. M. Druso Libone et L. Calpurnio Pisone, facile quisque videt Broukhusium frustra de ea re cogitasse. Locus igitur I, 6, 20,

Et vetera oblitis jura refer sociis,

non tantum ad Cyzicenos pertinet, sed ad omnes Asiæ et Græciæ fortasse quoque populos, qui in societate populi Romani fuerant, quibusque jus dicendum erat; id quod longo tempore, propter bella civilia, fieri impeditum et omissum fuerat, unde *obliti* dicuntur. Tullo vero hoc tribuitur, quia *accepti* erat *imperii pars*. Idem deinde Tullus Cyzici, amœnitate loci captus, per aliquot annos hæsisse videtur; unde Propertius ipsum III, 22, invitat, ut Romam revertatur, ibique honores consuetos consequi studeat.

Circa hoc tempus Propertius nondum innotuerat Mæcenati, quippe Tullo patrono usus unice; unde nulla Mæcenatis toto lib. I mentio, neque etiam Augusti.

A. U. C. 725; Propertii 24.
Cæsar Octavianus V; Sex. Apuleius.

Tres Cæsaris triumphi: Illyricus, Actiacus, Ægyptius. In hunc annum referri debet scriptio eleg. 3 lib. III, propter vss. 43—46. Conf. Heyn. Observatt. ad Virgil. Æneid. VIII, 726.

A. U. C. 726; Propertii 25.
Cæsar Octavianus VI; M. Agrippa II.

Hic sextus Cæsaris Octaviani consulatus maxime notabilis est ob summum studium, quod impendit vitiis, quibus Romani ob bellorum licentiam adsuefacti fuerant, penitus elidendis, et moribus melioribus introducendis. Summus igitur ille princeps, perfecta hoc anno censura, solemnibus sacrificiis Romano more lustrum condit, ludos Actiacos quinquennales exhibet, Apollini in Palatio templum cum bibliotheca perficit ac dedicat, variaque præterea ordinat; maxime vero, primum omnium, legem de maritandis ordinibus ferre conatur; quam deinde repetitam decem annis post, A. U. 737, iterum tulit, ut auctor est Dio, neque tamen etiam tum præ multitudine recusantium perferre potuit; donec tandem post annos rursum 25 eadem lex perferretur, Papio Mutilo et Q. Poppæo coss. unde ea lex Papia Poppæa, uti et Julia audiit, quoniam jam antea a Jul. Cæsare tentata fuerat. Qua de lege, præter cæteros, inprimis Heineccium, docte ac dilucide egit Bachius, in Hist. Jurispr. Rom. III, 1, sect. 2, § 7 sqq.

In hunc igitur annum 726 scriptio elegiæ 7 lib. II incidat necesse est, cujus statim initium *sublatam* hanc legem ait. De posteriore demum legis hujus ferendæ conatu A. U. 737, cogitare prohibet finis maxime servitutis quinquennalis Propertii, jam tum factus necessario. Accedit, quod tum fortasse jam acceperat Orcus Cynthiam. Etenim elegia 7 lib. IV in illud tempus incidere videtur. Idque eo minus dubium videtur, quum Propertius ipse quoque haud ita multo post in Libitinæ censum relatus sit. Vid. Lipsii Excurs. *C* ad Tacit. Annal. III, pag. 732 sqq. edit. Gronov. qui tamen elegiam 7 lib. II ad A. 736 demum refert, non satis adcurate.

In eumdem quoque annum incidit scriptio eleg. 31 ejusdem libri secundi, quæ de templi Apollinis dedicatione agit. Cf. in eam rem Heyn. in Vit. Virgil. Chronol. ad hunc ipsum annum.

A. U. C. 727; Propertii 26.
Cæsar Octavianus VII; M. Agrippa III.

Augusti nomen Cæsari Octaviano datum a senatu, Munatii

Planci inprimis sententia: vid. Heynium loc. cit. De nomine ipso ejusque potestate consulant juvenes Schwarzii Observatt. ad Nieupoortum pag. 195 sqq. Ante hunc igitur annum scriptæ non esse possunt illæ Propertii nostri elegiæ, in quibus nominis hujus fit mentio; ut II, 10, 15; III, 11, 50; III, 12, 2, etc.

A. U. C. 728; Propertii 27.
Cæsar Augustus VIII; T. Statilius Taurus II.

Cornelii Galli mors voluntaria, quæ accidit non, ut Horatiano interpreti placet, A. U. 724 (namque præfuerat Gallus Ægypto per quatuor annos, et anno 724 Ægyptus demum provincia Romana facta est), sed anno a nobis posito; cf. Dio LIII. Non igitur ante hunc annum scripta est eleg. 34 lib. II, propter vss. 91—92, inprimis, quum etiam Æneidos Virgilianæ honorificam mentionem faciat Noster vss. 61 sqq. Coll. Vita Virgil. Chronol. ad A. U. 724 fin. et Heyn. ad Æneid. VIII, 675.

A. U. C. 730; Propertii 29.
Cæsar Augustus X; C. Norbanus Flaccus.

Ælius Gallus Arabicam suscipit expeditionem; vix tamen per biennium in terris illis commoratus, maxima militum parte amissa morbo quodam insolito nullique notorum simili, ab Arabibus sua regione expellitur; auctores Strabo XVI, et Dio LIII, qui tamen in ducis errat nomine, dum Ælium Largum vocat. Imposuit Dio Broukhusio quoque ad Propert. II, 10, 2, ita ut Casaubonus quoque humani quid passus est, Strabonem de Cornelio Gallo explicans. Vide Ruæum ad Virgil. Æneid. VII, 605, et, quem laudat, Valesium ad Ammianum.

Circa hoc tempus scripta videtur elegia 10 lib. II, propter vs. 16:

Et domus intactæ te (*Auguste*) tremit Arabiæ.

Neque enim Broukhusius audiendus, qui ad vs. 2 hujus elegiæ de A. U. 752 cogitat, propter locum Ovidii, Art. Amat. I, 177

sqq., quum tamen ibi de alia longe expeditione in Parthos per Caium sermo sit: vide Masson. Vit. Ovid. Chronol.

A. U. C. 731; Propertii 30.
Cæsar Augustus XI; A. Terentius Varro Muræna.

M. Marcelli mors, in quam præclara exstat elegia Propertii III, 18.

Augustus præterea sub finem anni captivos et signa a Parthis repetit; quod postulatum si negatum fuisset, bellum in Parthos susceptum iri suspicio erat Romæ; quin etiam de Indis subjiciendis varia Romæ agitata fuisse probabile videtur: cf. III, 4, et vide Heyn. Vit. Virgil. h. a. et U. C. 734 fin. Videtur nimirum id negotii datum fuisse Ælio Gallo, paulo ante commemorato, ut adeo elegiæ Propertianæ, Parthici mentionem belli facientes, ad hunc annum et antecedentem Arabicam expeditionem simul referendæ videantur. Frustra enim Heinsius, ad carmen libri quarti tertium, de C. Cassio Longino, Crassi in Syria quæstore, adeoque A. U. 712, cogitat (in Advers. I, 2, pag. 12).

Quin hic ipse annus mihi videtur ille, quo Propertius librum secundum et tertium elegiarum suarum publici juris fecit; ut adeo hi tres elegiarum libri intelligendi sint, quum poeta II, 13, 25, canit:

Sat mea sat magna est si *tres* sint pompa *libelli*,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

Neque enim plures fortasse libros edere constituerat, et quartus deinde post ejus mortem ab amico quodam reliquis adjectus fuit. Accedit, quod quinque servitutis anni Cynthiæ præstitæ (III, 25, 3) jam A. U. 728 finem suum consequuti fuerant. Quod si quis ex me quærat, cur ea ipsa elegia libro secundo legatur, neque demum tertio, facilis est responsio: quoniam nimirum neque Propertius, neque Horatius carmina sua ordine chronologico composita ediderunt, sed ille promiscue conjecit in illos duos libros quidquid elegiarum ad manum erat, sicuti Horatius odas libri I et II, uno tempore conjunctim editi, promiscue ordinavit, uti jam contra Bentleium monuimus in *Den Vorlesungen über einige Elegien des*

Properz, Dresdæ edit. 1775. Denique hoc quoque observandum est, Propertium duobus posterioribus libris, inprimis tertio, quasdam elegias adjecisse, quas antea destinaverat non edere, uti patet ex iis, quæ ad A. U. 723 dicta sunt. Ut vero hunc inprimis annum publicationi horum librorum constituam, facit maxime elegia 12 lib. III, ad Postumum; ad quem si scripta sit quoque elegia 3 lib. IV, quod plerisque placet interpretibus, et ratio ipsa probare videtur, dubitari non poterit, quin utraque elegia scripta sit durante illo duorum annorum spatio, quo Ælius Gallus in Arabia commoratus est. Adde, quod libri IV carmen 6, 78, mentionem facit Æthiopici belli, quod in annum sequentem incidit.

A. U. C. 732; Propertii 31.
M. Claudius Marcellus Æserinus; L. Arruntius.

Æthiopes cæsi et eorum terra præsidiis occupata. Cf. Heynii Vita Virgil. ad h. a. et quæ sub finem præcedentis anni notata sunt.

A. U. C. 734; Propertii 33.
M. Apuleius; P. Silius Nerva.

Cyzicenis libertas ab Augusto ademta: confer nos supra ad A. U. 724. Signa Crassi cum spoliis et captivis Augusto redduntur a Phraate. Cf. Heynii Vit. Virgil. Chronol. ad h. a. Jure igitur Propertius IV, 6, 79, canere potuit:

Hic referat sero confessum fœdere Parthum;
Reddat signa Remi: mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropæa suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet.

Cf. et A. U. 739, ad quem scriptio hujus elegiæ proprie pertinet propter Sicambros vs. 77 commemoratos.

A. U. C. 737; Propertii 36.
C. Furnius; C. Silanus.

Lex de maritandis ordinibus iterum lata, necdum perlata: confer nos supra ad A. U. 726.

A. U. C. 738; Propertii 37.
L. Domitius; P. Cornelius Scipio.

Hic P. Cornelius Scipio consul est ille ipse frater *Corneliæ* illius, cujus mortem Propertius extremo libro quarto (carm. II) tam graviter deflevit, consule quo facto illa mortua est, secundum vs. 66, ut adeo tempus scriptionis hujus carminis lugubris in hunc ipsum annum incidere videatur. Pater ejus Scipio fuit consularis ille, cui Scriboniam, matrem Corneliæ, abduxit Octavianus, secundum Sueton. Octav. 62, ex eaque Juliam suscepit filiam; mox tamen, cum eadem facto divortio, statim Liviam Drusillam, matrimonio Tiber. Neronis, et, quidem gravidam, eripuit. Factum hoc est, secundum Dionem, A. U. C. 716, ætatis Augusti 25. Hanc ob causam Cornelia se vocat *sororem Juliæ* vs. 59. Nupserat vero Paulo Æmilio Lepido, qui A. U. 732, M. Claudio Marcello Æserino et L. Aruntio coss., cum L. Munatio Planco censor fuit, quod et Cornelia innuit vss. 41 et 67. Tres habuit liberos (cf. vs. 61), duos filios *Lepidum* et *Paulum* (vs. 63), unamque filiam. Mortua vero est hæc Cornelia haud dubie circa finem anni præcedentis 737. Namque eo manifeste ducunt verba ipsius Corneliæ vs. 65:

> Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem:
> Consule quo facto tempore rapta soror.

Geminata sella curulis nihil aliud significare potest, quam fratrem Corneliæ bis magistratum curulem gessisse, ædilitatem nempe et prætoram; sed, quum jam consul designatus esset, neque tamen jam consulatum inisset, Cornelia *soror rapta* est. Nam, si fratrem adhuc consulem vidisset, dicere non posset fratrem modo geminasse sellam curulem, idque se ipsam vidisse. Vox *tempore* vero, in versu breviore, pertinet ad participium *rapta*: *Ego soror illius rapta sum tempore*, pro *tempori*, id est, in tempore, justo, opportuno tempore, quum jam sat felix fuissem, neque mihi per fortunæ inconstantiam quidquam sinistri et præter optata accidisset. Pertinet huc Donati observatio ad Terent. Andr. IV, 5, 19, « *Veni in tem-*

pore, i. e. opportune: nos sine præpositione dicimus *tempore*, tempori.» [1]

A. U. C. 739; Propertii 38.
M. Drusus Libo; L. Calpurnius Piso.

Cyziceni libertatem ab Augusto A. U. 734 ademtam recuperant. Sicambri Augustum compositis venerantur armis, sicuti Horatius canit Carm. IV, 14, 51—52, dum scilicet, Augusto post cladem Lollianam (quæ secundum Dionem in annum præcedentem 738 incidit) Varianæ comparandam (vide Sueton. Octav. 23) exercitum contra illos adducente, in suas regressi terras, obsidibus datis, pacem acceperunt. Vide quæ in hanc rem disputavit Massonus, tam in Vita Ovid. ad h. a. quam in Vita Horat. pag. 319 et 343 sqq. Hujus ipsius rei meminit quoque Propertius celebri illo carm. 6 libri IV, quod adeo novissimam continet temporis notam in ejus carminibus, ut probabile sit hoc carmen vel hoc ipso anno, vel sub finem præcedentis anni, mense Septemb. scriptum esse, quo tempore nimirum ludi quinquennales, ab Augusto in memoriam Actiacæ victoriæ instituti, celebrati fuere secundum Dion. LIV. Nam potuit Propertius tamquam vates etiam de re certo sperata et proxime futura canere:

Ille paludosos memoret servire Sicambros,

versu 77. Et videtur sane hoc carmen in illa celebritate in honorem Augusti scriptum esse ab Aurelio nostro; ut adeo vel hoc sextum vel undecimum libri quarti pro novissimo, quod ex ingenio Propertii fluxerit, habendum sit. Nam reliqua omnia, quæ ille continet liber, haud dubie ab amico quodam poetæ post mortem illius editus, possunt multo ante scripta esse, inprimis tertium (cf. supra ad A. U. 731), quum Ovidius quoque epistolas Heroidd. ad hoc exemplum compositas, paulo post id tempus ediderit. Carmen septimum vero, in mortem Cynthiæ, etiam ante scriptum sit oportet, quemadmodum octavum in multo prius tempus incidit; quod tamen poeta, viva adhuc Cynthia, edere fortasse noluit. Quum igitur

1. Vide not. ad Propertii locum. Ed.

carmina pleraque contineantur intra spatium annorum U. C. 732—739, videtur Propertius paulo post mortuus esse, adeoque vaticinium Cynthiæ exitum habuisse IV, 7, 93:

> Nunc te possideant aliæ: *mox* sola tenebo;
> Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.

Namque si Propertius adhuc vixisset anno sequente, victoriam Drusi de Rhætis reportatam, ab Horatio tam magnifico luculentoque carmine (IV, 4) celebratam, silentio prætermissurus non fuisset; nisi tamen aliquot fortasse carmina in fine Codicis illius detriti atque corrosi, qui in cella vinaria inventus fuit, longinquitate temporis perierunt. Quæ si falsa est suspicio, libenter equidem subscribo sententiæ Massoni, in Vit. Ovidii A. U. 739 scribentis: «Cæterum, quandoquidem Propertius anno præterito postremum, quod in ejus operibus occurrit, carmen exaravit, ut in ejus Vita fusius demonstramus, nec aliud est, quod ad subsequentes annos referre per certas temporis notas liceat; hinc ejus obitum ulterius protrahendum, nequaquam arbitramur; maxime, quum constet huncce poetam jam ante editam Artem Amatoriam decessisse.» Hinc igitur patet Propertium admodum juvenem esse raptum, cui rei «indicio quoque fuerint tot ac tanta poetæ ipsius testimonia, quibus ut viridissimo flore ephebus passim, ac velut in primis adhuc illis adolescentiæ fretis, a se depingitur;» (quæ sunt verba J. Dousæ in Sched. succid.). Quod si vero pro certo teneri potest, carmen Tibulli primum, secund. Ayrmannum, incidere in A. U. 723, quo anno Messala consul fuit (quod heroicum carmen est), et seqq. demum annis usque ad A. U. 727 elegias passim compositas ab eodem fuisse, e nostra annorum computatione simul adparebit, quum Propertii Cynthia jam A. U. 724 edita et toto foro lecta fuerit, Nostrum non injuria tamquam primum se jactitasse, qui elegis ad Græcorum exemplum scribendis operam dederit (III, 1, 3—4), poetæ famam cum primis affectans, quod Tibullus non fecisse videtur (cf. Heyn. Præfat. ad Tibull. § 4); unde fortasse etiam neque Augusti, neque Mæcenatis favorem captavit. Sic, ut hoc addam, diu ante Æsopum fabula ab

Hesiodo, Stesichoro, et aliis usurpata, propter Æsopi frequentiorem usum Æsopia dici cœpit.

De sepulcro Propertii, recentiore detecto memoria, pauca jam adjicienda videntur. Quum probabile sit, eum in villa, quam haberet ad urbem patriam, sepultum fuisse, plane non dubito, quin illud sepulcrum, quod A. 1722 apud Hispellates repertum fuit, vere sit Propertii. Sed agedum totam relationem de hac detectione apponamus, quomodo illa in *Memoires de Trévoux*, quem librum forte paucissimis juvenum excutere contigerit, A. 1723, pag. 840 sqq. Francogallico idiomate consignata reperitur: « Le 7 de juin 1722, en démolis-« sant un mur à Spello dans le palais de la princesse Pamphile, « on trouva une pierre carrée, longue d'un peu plus d'un pied « et demi Romain, et large de 13 ou 14 pouces, surmontée « d'une espèce de fronton triangulaire très simple, comme tout « le reste de la pierre. On voit au milieu de cette pierre la tête « d'un jeune homme, sur laquelle pendent deux festons de « fleurs et de fruits. Le fronton est chargé, dans le milieu, « d'une fleur; et aux côtés l'on voit deux figures bizarres, « représentant par devant des lapins, qui se terminent par « derrière en queue de Sirène. Au-dessous de la tête du jeune « homme, on lit cette inscription en caractères Romains:

SEX. AUREL. PROPERT.
SEX. F. LEM.

» Au-dessus de la tête, qui est dans une espèce de cadre, on « voit cette autre inscription:

L. COMINIUS L. F. LEMON.

« Celui qui nous instruit de cette découverte juge que cette « seconde inscription, quoique ancienne, est néanmoins pos-« térieure à la première. Les lettres, dit-il, en sont mons-« trueuses, trop larges, et très-mal formées; au lieu que celles « de l'inscription qui est au bas de la pierre, sont beaucoup « plus grandes, rondes, d'une bonne main, et d'un bon siècle. « D'ailleurs il paraît par la construction de la pierre, par sa « situation, et par sa forme, qu'elle n'a été dressée que pour

« Properce..... Sur tout cela il faut l'en croire sur sa parole, si « l'on n'est pas à portée de s'en instruire par soi-même; car il « ne représente ni la forme des caractères de ces inscriptions, « ni les autres marques auxquelles on aurait pu reconnaître « quelle est la principale et la plus ancienne. Quoi qu'il en « soit, il conclut de ce monument, que Properce était de « Spello, autrefois ville épiscopale, mais qui n'est plus qu'un « bourg d'Ombrie, à une lieue de Foligni. Les ruines d'un « théâtre et d'autres monumens attestent son ancienne gran- « deur. L'abbé Passarini a pris soin de ramasser les inscri- « ptions de Spello, qu'on nommait autrefois *Colonia Julia* « *Hispelli*, pour les donner au public. Ce livre est peut-être « déja imprimé. C'est là, que du côté de la porte de S. Barnabé « se trouve un lieu très-agréable, planté d'oliviers, où l'on « voit les restes d'une maison, qu'on appelle encore aujour- « d'hui *la Maison du Poëte*, laquelle, suivant l'ancienne tra- « dition du pays, appartenait à Properce, et c'est en ce lieu-là « que son tombeau vient d'être découvert : car le palais Mo- « naldi, d'où la pierre a été tirée, était autrefois aux seigneurs « Urbani, qui possédaient aussi cette maison de campagne de « Properce..... La découverte du tombeau de Properce était « réservée à l'illustre dame Thérèse Grilli, princesse Pam- « phile..... Ce mot abrégé LEM. signifie dans ces inscriptions, « comme dans plusieurs autres, LEMONIA, en sous-entendant « TRIBU. [1] »

Cæterum, quemadmodum hinc discimus Propertii tribum, ita domum se Romæ habuisse in monte Esquilino significat ipse III, 23, 24; coll. IV, 8, 1. Cynthia in Subura habitasse videtur (IV, 7, 15).

1. Vide apud Murator. Montfaucon. in Supplement. Antiqq. tom. III, lib. I, cap. 4, pag. 17 sqq.

SEXTI AURELII
PROPERTII
CYNTHIA.

MONOBIBLOS.

ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.*

* Non satis videntur adtendisse critici, quum titulum CYNTHIA MONOBIBLOS, in scriptis Codicibus inditum Propertii carminibus, ad primum tantum hunc librum referrent. Ex duobus enim, quibus inter cætera, locis auctorum insistunt, Martialis, epigramm. XIV, 189, et Ovidii, Remed. Amor. 764, alterum illum eruditus vir Lachmannus ostendit efficere nihil, quod talem opinionem comprobet (vide not. ad lib. IV, carm. 7, vs. 77); alterum, Ovidii, « Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli, Vel tua, cujus *opus Cynthia sola* fuit? » ipse non majoris in hoc esse ponderis arbitror. Cynthiam Ovidius unicam Propertio scribendi causam exstitisse dicit: quid erit jam, cur illum ad primam tantum Propertii partem respexisse velimus, non potius ad universa quæ sub Cynthiæ nomine carmina prolata sint? Dari quidem prius illud posset, ea conditione, si, quum ita loqueretur Ovidius, Propertium elegias omnes suas nondum in lucem edidisse constaret; sed aliud temporum series indicat: videtur scilicet annus U. C. 739 finem scribendi Propertio fecisse, nec nisi ann. 754 ab Ovidio prodierunt Amoris Remedia. Præmissa hæc firmemus locis, qui propria defunctæ Cynthiæ verba sunt ad Propertium, IV, 7, 50, « *Longa* mea *in libris* regna fuere *tuis*, » et mox vs. 77, « Et *quoscumque meo* fecisti *nomine* versus, Ure mihi, » nec dubium erit, quin CYNTHIÆ titulus librum poetæ nostri non unum complectatur, sed plures eos, qui celebratam Cynthiam referunt.

Jam vero, Nasonis distichon si paulo diligentius perpendatur, in quo scriptam *solam Cynthiam* Propertio tribuit, nulla carminum mentione facta, quæ liber ejus quartus exhibet, poterit etiam inde colligi, quartum hunc librum, uti Barthius Lachmannusque statuunt, non ab ipso Propertio, sed vita quum jam decessisset, ab amicis, fortasse etiam non nisi post annum 754, editum fuisse; vel, si lucem prius viderit (ante scil. ann. 754), auctoris sui nedum famam extenderit, inchoatum nec perfectum opus tantum esse judicatum, cæteris poetæ carminibus nequaquam adnumerandum, qualem plane Lachmannus posteriorem hanc partem habendam contendit.

Cæterum in extremis iis conjecturam ponimus, quam levissimam ipsi sentimus esse, siquidem ut evertatur illa, distichon Ovidii satis erit aliter, atque cepimus, interpretari, de Cynthia nimirum, quam Propertius unicam cecinerit, quum Delia primo, deinde et Nemesis Tibullo celebratæ sint.

ELEGIA I.

AD TULLUM.

ARGUMENTUM.

Amicam Cynthiam Propertius deseruit, et per annum vixit his et illis deditus. Miser, nec nisi frustra factus infidus, conditionem suam luget, reddique sibi Cynthiam exoptat. Ut irata flectatur, sagas advocat et magicas artes : ut malis remedium sit, extremas ad usque terras, qua feminis demum ignotus lateat, raptum se ferri precatur. Durissima pœna levitatis sibi culpam expiari : caute esse in amore servandam, quam primam quisque fidem obligaverit.

CYNTHIA prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

1. *Cynthia*, vero nomine Hostia, quam per annos quinque levem et infidam Propertius amavit (III, 25, 3), avum (lib. III, 20, 8, memoratum) habuit Hostium, qui Jul. Cæsaris ætate bellum Istricum cecinit (cujus operis exstant apud Festum, Servium, et Macrobium fragmenta). Romæ domus ejus in Subura fuit, IV, 7, 15; nupta se dabat illa Propertio (notata vide ad II, 6, 26); ante Propertium moritur, IV, 7; in agro Tiburtino ad Anienis undam sepulta, ibid. vs. 85 sq. Fictis autem hujus modi nominibus dissimulatas esse, quas amatas sibi puellas Romani celebrarent, docet in Apolog. pag. 11 (edit. Prisei) Apuleius : « Eadem opera adcusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit; et Ticidam similiter, quod, quæ Metella erat, Perillam scripserit; et Propertium, qui *Cynthiam* dicat, *Hostiam* dissimulet; et Tibullum, quia ei sit Plania in animo, Delia in versu. » Scilicet et erat illud pro regula positum, quod ex Apuleii loco patet, ut syllabas et numeros veri nominis in falso consimilia repeterent. — *Me cepit*, victum captumque me fecit suum. *Capere* et mox *ocellus*, verba scriptoribus amorum frequentia. — *Contactum*, etc. Scribe cum Lachmanno *cupidini-*

Tum mihi constantis dejecit lumina fastus
Et caput impositis pressit Amor pedibus;
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, et nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Quum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Sævitiam duræ contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras.

bus minore litera *c*, non, ut cæteri, *Cupidinibus*. Nam nimis ineptum est, ait ille, captum a puella, quem ante *Cupidines* nulli petiverint, tum ab uno ex ea turba *Amore* perdomitum narrari. Aut eumdem, cui tum servire cogebatur, Amorem pepercisse sibi Propertius dicere debuit, aut ablegatis diis istis, simpliciter, *contactum se nullis cupidinibus; contactum* scilicet, ut jam non *vulneratum*, sed *tentatum* ac *temeratum* significet, quomodo *manifesta se libidine contactam* exclamat apud Ovidium Byblis, Metam. IX, 482. Cæterum, quod se rudem adhuc voluptatis, quum cœperit amare Cynthiam, Propertius testatur, in hoc verba non ad literam urgenda sunt; infra enim III, 15, 3—6, prima sibi vere præcepta Veneris a Lycinna quadam esse tradita, claris verbis fatetur.

3. *Tum mihi dejecit Amor lumina constantis fastus*, fiduciam, arrogantiam tantam illam, quæ mihi ante in oculis erat. Decepit sensus eos, qui locum aliter exposuerunt. — *Et caput impositis*, etc. victor victum proculcans.

5. *Donec me docuit*, etc. *Castas* hic *puellas* de Musis intelligi non posse, neque rectius adstrui sensum clare patet, si castas intelligamus feminas, quas ideo Propertius oderit, quod Cynthiæ dissimiles fuerint. Interpretum igitur hoc et illud rejiciamus, nec nisi ea pro certis habeantur, quæ diversa ponit in notis ad annum Vitæ Propertii Chronologicæ 721 Lachmannus (supra pag. 16).

9. *Tulle*. Vide Propertii Vitam Chronologicam et subjectas notas ad ann. 724. — *Iasis*, Atalanta, Jasii filia, quam sæpe veteres unam cum altera illa fecerunt, Schœnei filia, ab Hippomene devicta. Arcadica nostra fuit; Argiva aut Bœotica altera.

11. *Partheniis in antris*. Partheneius, mons Arcadiæ. — *Ibat*, etc. *Ferire feras* in extremo versu Broukhusius Burmannusque, de conjectura Heinsii. *Videre* Codices universi recte dabant, quod pro adire, experiri, positum Marklandus apud eumdem Burmann. Lachmannusque firmant exemplis. Valer. Flacc. III, 530, « Quum fugerent jam tela feræ, processerat

Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami,
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam?
Tantum in amore preces et benefacta valent?
In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.

ultra, Turbatum *visura* nemus. » Virgil. Georg. II, 68, « casus abies *visura* marinos. » Æneid. VI, 133, « si tanta cupido est Bis Stygios innare lacus, bis nigra *videre* Tartara. » Ovid. Metam. XIV, 125, « quæ me loca mortis *adire*, Quæ loca me *visæ* voluisti evadere mortis. »

13. *Hylæus*, Centaurus. Atalantam hic amavit, et Milaniona rivalem vulneravit clava. Atalantæ quum vim inferre vellet, ab ipsa confossus est. Apollod. III, 9, 2. — *Percussus vulnere rami.* Rectum hoc, *vulnere percuti* et *vulnus rami*, id est, ramo inflictum. Utramque formam Lachmannus adlato Ciceronis loco tuetur, Academ. I, 3, 11, « Nunc vero et *Fortunæ* gravissimo *percussus vulnere*, et administratione reipublicæ liberatus, etc. » ut frustra nonnullis probetur, quod in MSS. duobus est, *perculsus pondere rami*, interpolatum hoc et falsum. De *vulneris* vocabulo, significationem quam hic habet obtinente, Gellius, Noct. Attic. IX, 12. *Ramus* pro clava, ut IV, 9, 15. Cæterum, *Hylæi* et versu 9 *Milanionis* nomina quam varie sint a librariis corrupta, examinare longum foret, nec magnam pro consilio nostro ponemus in his et similibus operam.

15. *Ergo*, etc. Interrogationem in hoc disticho editiones omittunt, criticis, ut videtur, particulam *Ergo* pro *demum*, *tandem*, positam accipientibus. Nos cum Lachmanno distinctione mutata, vocabulum istud statuimus ab *igitur* non differre. Conf. not. ad III, 3, 29. — *Potuit domuisse*, pro domare, præteritis duobus conjunctis, ut infra eleg. 17, 1; II, 16, 3; Ovid. Amorr. III, 2, 30. Vide infra not. ad el. 10, 2. Nota et alia forma est, qua verbum *posse*, ubi facile abesset, orationi inserunt: vide II, 16, 20; Ovid. Heroidd. V, 86; Horat. Carm. III, 3, 43. Sic et Noster, eleg. 2, 12, *sciat currere* pro simpl. currat; *ne pugnare cupias*, ne pugnes, el. 10, 21. — De Milanione et Atalanta sic Ovidius, Art. Amat. II, 185: « Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta? Succubuit meritis trux tamen illa viri. Sæpe suos casus nec mitia facta puellæ Flesse sub arboribus Milaniona ferunt. Sæpe tulit jusso fallacia retia collo; Sæpe fera torvos cuspide fixit apros. Sensit et Hylæi contentum saucius arcum: Sed tamen hoc arcu notior alter erat. »

17. *Tardus Amor*, segnis, lentus. — *Ut prius;* ante, quam eriperet mihi culpa mea Cynthiam; quum prior illa nobis esset in amore concordia. *Notas ire vias*, ut *Phasidos isse viam* eleg. 20, 18; *Fidenas ire vias* IV, 1, 36; *currere indociles vias* eleg. libri hujus nostri 2, 12.

At vos, deductæ quibus est fallacia lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis;
En agedum, dominæ mentem convertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes
Posse Cytææis ducere carminibus.
Aut vos, qui sero labsum revocatis, amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, sævos patiemur et ignes:
Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili deus adnuit aure,

19. *Fallacia*, arcana scientia. *Deductæ lunæ;* lunæ, quæ sit a vobis cælo deducta. Nihil enim opus est, ut, quod in talibus plerumque viri docti suadent, *præteritum* pro futuro positum accipiamus, *deductæ lunæ* pro deducendæ. — *Sacra piare*, facere, peragere. Nimirum in hoc significationem et vim suam confert substantivus verbo: piari dicuntur sacra, quæ pia ipsa sunt. — *In focis*, aris, *magicis*.

21. *Domina*. Ita nos maîtresse. — *Et facite illa palleat*, etc. Pallor, amoris frequens indicium in poetis. Vide modo eleg. 5, 21; 9, 17. Ovid. Art. Amat. I, 729, « Palleat omnis amans: hic est color aptus amanti. »

23. *Tunc ego crediderim vobis*, arti vestræ, et ducere vos posse, etc. Iterum enim ex *vobis* repetendum pronomen est. — *Ducere*, trahere, rapere; sidera nempe de cælo, fluvios autem ad fontes. — *Cytææis carminibus*, Colchicis Medeæ. Vide not. ad II, 4, 7.

25. *Aut vos*, etc. *Aut* cum Hemsterhusio *Kuinoel* et Lachmann. bene reposuerunt, particulam istam orationis forma poscente: Flectite vos, sagæ, puellam; *aut* adeste mihi vos, amici. *At vos* habet cum altero Codice Groninganus optimus: cæteri *Et*, quod in edit. vulgo legitur. — Sequentia verba conjunge *sero revocatis*.

27. *Fortiter et ferrum et ignes* patiar, quæ mihi demum sanent ista mala. — *Quæ velit ira*. Broukhusius, Burmannus, Barthius, *quæ volet*. Ex universis fere MSS. prius illud enotatur.

29. *Ferte per extremas gentes*, etc. Vide, quem sæpe cum Propert. conferemus, Bertin, in Imitationibus Gallicis ad III, 21, 1.

31. *Vos remanete*, patria vos vestra teneat; *quibus aure facili deus* Amor *adnuit*. In his *facili aure* scribas, an *facili ore* cum aliis, parum interest; utroque modo recte dicetur; sed *aure* maxima

Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit amor.
Hoc, moneo, vitate malum : sua quemque moretur
Cura, neque adsueto mutet amore locum.
Quod si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

pars Codicum exhibent. — *Sitis et semper in amore pares*, pari mente, sensibus iisdem, vos cum puellis.

34. *Vacuus amor*, translative, pro, Cujus ego sim vacuus.

35. *Hoc malum*, quod amica relicta mihi contraxi. — *Cura*, quam injicit pectori femina. — *Neque adsueto amore*, quum semel adsuetus amor sit, *mutet* quisquam *locum*, levis et infidus quærat voluptates novas.

38. *Heu referet*, meminerit et referet, etc.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Cynthia prima suis*, etc. Comparandos versiculos adponimus, etsi quidem utriusque loci forma non eadem est, quibus celebrat primum amorem suum femina, Musarum decus ereptum heu! nuper Galliæ, *madame* Dufrénoy, lib. I, *Élégies*, in carmine *le Premier moment de l'amour* :

Il est sacré pour moi, c'est mon premier beau jour,
Le seul dont je me plaise à fêter le retour,
Ce jour heureux où ta présence
Ouvrit mon cœur paisible au trouble de l'amour,
Et d'un bien inconnu m'apporta l'espérance.

16. *Tantum in amore preces*, etc. Pluribus versibus exornat non absimilem sententiam Quinault (*tragédie lyrique d'Atys*, act. IV, scen. 5), inter eos, quibus gloriamur, nominandus poeta :

La beauté la plus sévère
Prend pitié d'un long tourment,
Et l'amant qui persévère
Devient un heureux amant.
Tout est doux et rien ne coûte
Pour un cœur qu'on veut toucher :
L'onde se fait une route
En s'efforçant d'en chercher;
L'eau qui tombe goutte à goutte
Perce le plus dur rocher.

17. *In me tardus Amor*, etc. Alter ille, Gallicæ princeps elegiæ, PARNY, lib. II, in carmine cui titulus *le Refroidissement* :

Ils ne sont plus ces jours délicieux,
Où mon amour respectueux et tendre
A votre cœur savait se faire entendre;
Où vous m'aimiez, où nous étions heureux.

33. *In me nostra Venus*, etc. *André* CHÉNIER, amorum et ipse nec insuavis poeta, *élégie XV*, ubi spem relictam cæteris esse dixit :

Moi, l'espérance amie est bien loin de mon cœur!
Tout se couvre à mes yeux d'un voile de langueur;
Des jours amers, des nuits plus amères encore;
Chaque instant est trempé du fiel qui me dévore;
Et je trouve partout mon âme et mes douleurs,
Le nom de Lycoris, et la honte, et les pleurs.

Idem, *élég. XXIII*, malis iisdem suis exagitatus :

O nuit, nuit douloureuse! ô toi, tardive aurore,
Viens-tu? vas-tu venir? es-tu bien loin encore?
Ah! tantôt sur un flanc, puis sur l'autre, au hasard
Je me tourne et m'agite, et ne peux nulle part
Trouver que l'insomnie amère, impatiente,
Qu'un malaise inquiet, et qu'une fièvre ardente.
Tu dors, belle Camille; et c'est toi, mon amour,
Qui retiens ma paupière ouverte jusqu'au jour.

35. *Sua quemque moretur Cura*, etc. Puella apud QUINAULT, *ballet du Temple de la paix* (*IIIe entrée*) :

Il vaudrait mieux n'aimer jamais
Que de ne pas aimer d'une amour éternelle.

ELEGIA II.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Quæsitum corporis cultum et ornamenta vituperat, quibus dum captat amatores Cynthia, formam suam corrumpit. Ab ipsa natura esse, quæcumque magis probanda; industriam artis nil boni conferre. Non gemmis, non purpura, sed in simplicitate sua placuisse viris quondam tot insignes feminas, satis decoras eas, quibus esset ornamentum pudor. Velit Cynthia propriis dotibus nitere suis; supervacuam luxuriam velit illa rejicere; et quod in amore desideret ipse, nihil erit.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus;

1. *Vita*, amatorii lexici vocabulum, etiam nunc in usu Italis. — *Et tenues movere sinus*, et sinuosis fluitantibusque prodire vestibus. *Sinus Coa veste;* structuræ cujusmodi frequentissimus est usus Propertio. Sic *decus multis artibus* eleg. 4, 13; *Serica variis textilibus* el. 14, 22; *ordo lancibus odoriferis* II, 13, 23. De Cois vestibus Plinius, Hist. Nat. XI, 22: « Prima eas (telas bombycum) redordiri rursusque texere invenit in Ceo » (vetus insulæ nomen hoc fuit) « mulier Pamphila, Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, ut denudet feminas vestis. » Sic apud nos *les gazes de Lyon, qui couvrent tout, et ne cachent rien.*

3. *Orontea myrrha*, Syria, ab Oronte Syriæ flumine. De *myrrha* vide Floram nostram Virgil. pag. 114. — *Teque peregrinis*, etc. et in peregrinis ornatibus te jactare, ostentare aliis; uti recte Burmann. hic interpretatur *vendere*. Cic. ad Attic. XIII, 12: « Ligarianam præclare vendidisti: posthac, quidquid scripsero, tibi præconium deferam. »

Naturæque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ est medicina figuræ:
Nudus Amor formæ non amat artificem.
Adspice, quos submittit humus formosa colores;

5. *Perdere*: Burmannus *prodere*, quod, ut videtur, sine consilio reposuit, quum pro conjectura dare modo vellet inter adnotandum. Cæterum in primis sex hujus elegiæ versibus sexies repetitam ablativi formam observare est. Cum toto loco Tibullum confer, I, 8, 9: « Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos, Sæpeque mutatas disposuisse comas? Quid fuco splendente genas ornasse? quid ungues Artificis docta subsecuisse manu? Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus, Ansaque compressos colligit arta pedes. Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore, Nec nitidum tarda comserit arte caput. »

7. *Non ulla tuæ est*, etc. Broukhusius, ut elegantiæ consuleret, cum eoque Barthius, verbum in extremo versu posuit, *non ulla tuæ medicina figuræ est*. — *Medicina*, artis adjumentum, quod tibi conveniat, nullum est. — *Formæ artificem*. Correctionem Heinsii viris doctis probatam, quam et in editione sua *Kuinoel* recepit, *formam artificem*, Flacci Valerii hoc loco, VI, 465, defendi non posse, Lachmannus ostendit, « Da, precor, *artificis* blanda adspiramina *formæ*, Ornatusque tuos, etc. » Ibi enim, inquit, Juno *formam artificem*, hoc est, arte factam quærit, venturam sibi per nobile illud cingulum Veneris. Cynthia vero, quæ vel inornata capiebat Propertium, forma cultu facienda non egebat, sed erat *formæ suæ artifex*, arte curans, emendans, adjuvans formam. Nam rei alicujus *artificem* sæpe dicunt, non qui rem facit, sed qui artem adhibet rei, et arte adjuvat. Vide II, 1, 58; Ovid. Metam. XIII, 551, « Vadit ad *artificem* diræ Polymestora cædis; » Art. Amat. I, 656, ubi sensu eodem *necis artifices*.

9. *Adspice*, etc. Quidquid varie scriptum hoc distichon editiones exhibeant, ne dubita, quin cum sinceris Codicibus in primo versu *ques colores* (quales, quam venustos), in altero *Ut veniant* pro *Et* ex emendatione legendum sit. *Submittit* autem et *submittat* scripti libri tuentur, quorum certior auctoritas est; illud Groninganus, Neapolitanus hoc. Utraque bona forma est; nihilominus *submittit* suadere videtur usus Propertii, qui (Lachmanni verbis utor) « ubi plures indicativos aut conjunctivos ponere poterat, variata potius structura orationem distinguere amat. » Sic II, 16, 29: « Adspice quid donis Eriphyla *invenit* amaris, *Arserit* et quantis nupta Creusa malis. » II, 34, 33 sqq. in quibus *fluxerit ut, atque ut errat et decipit, qualis et fuerit*. IV, 6, 47, *quod remiget*, et vs. 49 *quodque vehunt*. Lachmannum vide, qui plura, si cupis, dabit exempla. —

Ut veniant hederæ sponte sua melius;
Surgat et in solis formosius arbutus antris;
Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis collucent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Hilaira soror;
Non, Idæ et cupido quondam discordia Phœbo,
Eveni patriis filia litoribus;
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:

Submittit. Ut perficiatur sensus, ex altero versu retrahendum huc esse *sponte sua* Lachmannus docet, quum et arte coacta terra *colores*, flores, submittat.

11. *Sola antra*, deserta. — *Formosius.* Explicant hoc verbum notata ad eleg. 20, 41. — *Sciat currere*, currat: vide eleg. 1, 15. De forma *currere vias*, eleg. 1, 18. — *Indociles*, omni lege solutas.

13. *Litora*, etc. Vulgo: « Litora *nativos per se dent* picta *lapillos*, Et volucres nulla dulcius arte *canant*; » *dent* et *canant* subjunctivo tempore, ut a superioribus hoc distichon pendeat. Sed *nativos per se dent lapillos* Scaligeri commentum est, erutum scilicet ex altera Codicum parte, qui *nativis persuadent lapillis* exhibent, et *canant* pro *canunt* scriptis adversantibus libris tantum non omnibus idem ille reposuit. Porro in iis vocabula *nativos* et *per se* otiose copulata, verbum *adspicere* præterea cum avium cantu non bene structum Lachmannus reprehendit, ex aliis libris compluribus, inter quos Groninganus est, lectionem jure commendans, quam et ipsi receptam defendimus.

15. *Non sic*, non cultu, non arte sua. — *Phœbe* et *Hilaira* sorores, Leucippi filiæ (unde *Leucippis* dicta illa), quæ quum essent Lynceo atque Idæ desponsatæ, Castor alteram, alteram Pollux rapuit. Conf. Gierig. ad Ovid. Fast. V, 699 sqq.

17. *Non* sic in patrio litore culta Marpesa erat, quæ quondam Idæ et Phœbo discordiæ causa exstitit. Hanc scilicet, Eveni filiam, Idas rapuerat; raptorem filiæ, sed frustra, pater insequitur, seseque in fluvium Lycormam præcipitat, qui dictus inde Evenus. Tum Idam inter et Phœbum exoritur propter puellam contentio, quam Mercurius a Jove missus ita dirimit, ut eligat illa quem velit: eligit Idam Marpesa. Vide Homer. Iliad. ι, 553 sqq. Apollodor. I, 8.

19. *Nec Phrygium maritum* (*maritus* pro amatore, de quo Servius ad Virgil. Æneid. IV, 536) *traxit*, adtraxit, Pelopem, *externis* ejus

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis;
Non illis studium vulgo conquirere amantes;
Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis:
Uni si qua placet, culta puella sat est;
Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram;
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.

rotis avecta, quum ipsa patrem haberet Œnomaum, Elidis et Pisarum regem. Hippodamia quum a multis peteretur, pater ad curule certamen omnes provocavit, in quo filiam celerrime vehendam aurigæ Myrtilo committeret. Lex autem erat, ut si quis adtingeret currum, Hippodamiam uxorem haberet; sin minus, interficeretur. Multis ita necatis, præsidio Neptuni demum et Myrtili perfidia victor Pelops exstitit, occisoque Œnomao, puellam abduxit. Apollod. II, 4, 2.

22. *Qualis Apelleis*, etc. Insignis enim Apelles in eo fuit, quod naturam nudam, posthabitis ornamentis, exprimeret. Vide Strabon. lib. XIV, pag. 657 ed. Casaub.

25. *Non ego*, etc. Vulgo, « Non ego nunc vereor, ne *sis mihi* vilior istis, » quod a Scaligero repositum scripti libri duo confirmant. In hoc displicere *Non vereor*, ubi *Non verere* postulabat orationis forma, Lachmannus sensit facile, neque *istis* de heroinis recte dici, quum præcesserit *Illis* (« *Illis* ampla satis forma, pudicitia »). At vero, inquit, cæteri, quotquot sunt, libri aliud exhibent, quod qui recte ceperit verum esse intelliget: « Non ego nunc vereor, ne *sim tibi* vilior istis: Uni si qua placet, culta puella sat est, Quum tibi præsertim, etc. » Non vereor, ne me minoris, quam illos de vulgo amatores, facias. Quid igitur operoso corporis cultu istos captas? Uni mihi si places, culta satis es, quum tibi præsertim tanta formæ animique bona dii concesserint. *Istis* ad *amantes* vs. 23 referre potes: sed et nude *istum* rivalem dicunt cum contemtu, ut mox eleg. 8, 3, et II, 9, 1. — Quidquid videatur Lachmanno, durus et impeditus admodum scriptæ lectionis sensus est, adeo, ut non nisi corruptum judicaremus in meliore poeta, quod hic injuria nulla tribui posse arbitramur Propertio. *Ne sim tibi* exhibent etiam Regii, quibus utimur, Codices A, B, nisi quod in hoc pro *ne* scribitur *nec*.

29. *Unica*, proprie et unice tua. — *Omnia quæque Venus*, etc. Supple, nec desint. Constructionem ipsam eam, « *Nec* tibi *desunt omnia* quæque Venus et Minerva probant, » repetitam videbis el. 16,

His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

7, ubi poeta : « *Et* mihi *non desunt* turpes pendere corollæ *Semper;* » et II, 28, 13 : « *Semper*, formosæ, *non nostis* parcere verbis. »

31. *Nostræ*, meæ *vitæ*, mihi. — *Miseræ*. Contemnentis hic vocabulum istud est, cui adfingimus et nos eamdem sæpe significationem : *ce misérable luxe*, *de misérables grandeurs*.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Quid juvat ornato*, etc. Eleganter lingua nostra Colardeau, sit ille pretio qualicumque habendus, *Pièces fugitives* (*le Portrait manqué*) :

De quels vains ornemens chargez-vous vos attraits?
C'est la laideur qui peut être embellie :
Les grâces, la beauté, ne le furent jamais.
Point de parure; un déshabillé frais,
Rien, s'il se peut, et vous voilà jolie.

Conf. *André* Chénier, *Fragmens d'un poëme sur l'Art d'aimer* :

. . . la plus belle nature
Veut les soins délicats d'une aimable culture.
Mais si l'usage est doux, l'abus est odieux.
Des parfums entassés l'amas fastidieux,
De la triste laideur trop impuissantes armes,
A d'indignes soupçons exposerait vos charmes.
Que dans vos vêtemens le goût seul consulté
N'étale qu'élégance et que simplicité.
L'or ni les diamans n'embellissent les belles, etc.

7. *Crede mihi, non ulla tuæ est medicina figuræ*. Nasonis æmulus Bernard, *Art d'aimer*, lib. II,

Vous qui sortez de l'âge le plus tendre,
Beautés sans art, gardez-vous bien d'en prendre.
Tout plaît en vous sans art et sans apprêt :
Un défaut même est souvent un attrait.

8. *Nudus Amor formæ non amat artificem*. Pulchre Parny, lib. I, in carmine, cui titulus *Billet* :

Apprenez encore
Qu'un amant abhorre

Tout voile jaloux :
Pour être plus tendre,
Soyez sans atours,
Et songez à prendre
L'habit des Amours.

Vir summus, VOLTAIRE, in poemate per omnium ora vulgato, lib. XII, sub fin., de vestibus, quas sibi juvenis adjuvante puella detrahit,

Déguisement qui pèse à la nature,
Dans l'âge d'or aux mortels inconnu,
Que hait surtout un dieu qui va tout nu.

24. *Illis ampla satis forma, pudicitia.* Lyricorum scriptor notissimus, LE BRUN, *Odes*, III, 1, præterita bona querens ætatis aureæ :

Cette tendre pudeur, la première des grâces,
La pudeur seule était le fard de la beauté,
Et la vertu riante amenait sur ses traces
La pure volupté.

Eximius LA FONTAINE, *Contes* (*la Matrone d'Éphèse*), ubi formosas alias esse, alias esse non formosas dixit,

S'il en était d'assez fidèles,
Elles auraient assez d'appas.

Scriptoris modo citati (VOLTAIRE) leve carmen subjicimus, in quo suaviter expressam habet, diversa forma, Propertii sententiam, *Poésies mêlées*, *LXXX* (*à madame la marquise d'Ussé*) :

L'Art dit un jour à la Nature :
Vous n'égalez jamais les œuvres de ma main ;
Vous agissez sans choix, vous créez sans dessein ;
Que feriez-vous sans ma parure ?
Un teint flétri par vous s'embellit par mon fard ;
C'est moi qui d'une prude arrange la sagesse ;
Des coquettes beautés je conduis la finesse,
Et mène sous mon étendard
Et les beaux-esprits et les belles.
J'ai seul dicté sans vous les vers de Fontenelles
Et les fables du sieur Houdard.
Ainsi, belle d'Ussé, l'Art se croyait le maître,
Et le monde à son char paraissait s'attacher ;
Mais la Nature vous fit naître,
Et l'Art confus s'alla cacher.

ELEGIA III.

DE CYNTHIA.

ARGUMENTUM.

Protracto in seram noctem cum amicis convivio, ebrius adit Cynthiam et deditam eam invenit somno Propertius. Dormientem, quidquid Amor suaserit, excitare furtis non ausus, intentis puellam miratur oculis; mox ornat floribus capillos reparans; si forte quies turbari visa sit, statim anxius et funesta pavens: donec lunæ radiis experrecta illa, perfidum ad se redire tandem, quem alia non admiserit, amatorem queritur, tales habeat ipse noctes adprecans, quales tædio graves semper in amore sibi sint.

QUALIS Thesea jacuit cedente carina
Languida desertis Gnosia litoribus;
Qualis et adcubuit primo Cepheia somno
Libera jam duris cautibus Andromede;

1. *Jacuit languida*, somno scilicet. — *Gnosia*, Ariadna. Urbs Cretæ Gnosus erat, in qua regiam Minos habuit. Ariadna ipsa apud Ovid. Heroidd. X, 3: « Quæ legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto, Unde tuam sine me vela tulere ratem; In quo me somnusque meus male prodidit, et tu, Per facinus somnis insidiate meis. » Vide Catull. Carm. LXIV, 52 sqq. et in Ariadna sua tragicum nostrum *Thomas* CORNEILLE.

3. *Cepheia Andromede*, Cephei regis Æthiopum filia, propter Cassiopes matris superbiam, quæ se Nymphis prætulerat, adligata scopulis et monstro marino exposita, dein a Perseo liberata. Ovid. Metam. IV, 662 sqq. Hygin. fab. 64. — *Primo somno adcubuit*, primum nacta somnum cubuit. Nam sensum manifeste corrumpimus, si de prima nocte interpretamur, quam liberatori suo puella dederit. *Adcumbere* et *adcubare* pro simpl. *cubare* nonnumquam esse positum, Lachmann. (ad IV, 11, 21) osten-

Nec minus adsiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano;
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia, non certis nixa caput manibus,
Ebria quum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
Molliter impresso conor adire toro:
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto,
Osculaque admota sumere et arma manu;

dit. Vide modo Manil. V, 426; Catull. Carm. LXI, 171.

5. *Edonis*, Baccha, Mænas, ab Edono Thraciæ monte, ubi Bacchi orgia celebrabantur. — *Apidanus*, Thessaliæ fluvius. *In herboso Apidano*, ad herbosum Apidanum. Hujus ablativi exempla vide in notis ad IV, 3, 10. Jam si cum tali forma comparemus id, quod habet Propertius, IV, 6, 83, « Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas, » *nigras inter arenas* illic pro *nigris arenis*, hoc est, *ad Stygis undam* non magis fortasse mirandum erit, quam hic *in Apidano* pro *ad Apidanum*, scilicet et Crassum interpretabimur non sepultum, sed simpliciter, Crassum apud inferos.

8. *Non certis manibus*, non firmis, languidis, ut in somno membra nostra sunt.

9. *Ebria vestigia*. Sic *ebrium gradum* dixit Senec. Med. 69. — *Et quaterent facem pueri*, et portantes servi facem anteirent mihi. Apud nos hodie in minoribus provinciarum urbibus non diversus usus est. *Quatiuntur* autem faces, ut clarius luceant.

12. *Conor;* est animus mihi, cogito: ita etiam Lucret. I, 935, « Sed veluti pueris absynthia tetra medentes Quum dare *conantur*, etc. » — *Adire;* ad eam accedere: falso enim quidam obscæno sensu capiunt. — *Molliter impresso toro*, a me scilicet incumbente.

13. *Et quamvis... Hac Amor, hac Liber*, etc. Ovid. Amorr. I, 6, 59: « Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent: Illa pudore vacat; Liber Amorque metu. » *Durus*, imperiosus, *uterque deus*. — *Osculaque*, etc. Ambiguum sensum facit, qualis a Gronovio correctus in editt. hic versus legitur: « Osculaque admota sumere *ad ora* manu. » Exponebat enim ipse Gronov., « prehensis genis mentove labra jungere; » nec minus recte cum Burm. possis intelligere, Propertium suam manum ad os Cynthiæ accipiendo osculo admovere voluisse, aut Cynthiæ

Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens jurgia sævitiæ:
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus;
Et modo gaudebam labsos formare capillos;
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus;
Omniaque ingrato largibar munera somno,

manum adplicare ori suo. Præstat igitur, ut Codd. omnium (Regg. etiam A et B) lectionem sequamur, « Osculaque admota sumere *et arma* manu. » Nolimus tamen, ut olim, turpi sensu capere, siquidem pro eo, quod in talibus proprium est, *telum* vel *tela*, vocabulum *arma* non recte ponitur; sed *arma sumere* desumsit a militia Propertius, et ad Venereum hoc bellum transtulit. Amor mihi, inquit, et Bacchus suadebant, ut jacentem puellam submisso lacerto leviter tentarem, oscula sumerem, admota corpori manu me ad hoc dulce bellum pararem. Simile est illud III, 20, 19, « Quam multæ ante meis cedent sermonibus horæ, Dulcia quam nobis concitet *arma* Venus! » Hæc fere Lachmann., quæ bonis nullis rationibus refutari posse judicamus.

18. *Jurgia sævitiæ*. *Verbera* Scaligeri MS. habuit, quod sive sit propria significatione positum, sive *linguæ*, ut Horatius dixit, intelligantur *verbera*, in editionibus vulgo legitur. Cæteri Codd. universi *jurgia* exhibent. Hoc nos cum Lachmann. fidenter adoptamus, et ex analogia tuemur. *Iræ jurgia* nemo impugnaverit: quare autem *sævitiæ*? An multum inter se differunt? an potius ira ipsa non est, quæ feminæ sævitia dicitur? Porro, si loquentem et objurgantem iram facimus, quidni possint itidem recte vox et clamores sævitiæ tribui? Adde quod locutionem firmat Lachmannus adlato Tibulli versu, III, 5, 13, qui, « Nec nos *insanæ* meditantes *jurgia mentis*, etc. » ut in melioribus hujus poetæ Codicibus legitur, non *linguæ*.

20. *Inachis*, Io, Inachi filia, ob invidiam Junonis in vaccam mutata, et custodienda Argo tradita. Ovid. Metam. I, 568 sqq. *Cornua Inachidos* pro simpl. Inachide positum, eadem contorta forma, qua *bovis cornua* dicuntur III, 19, 12, et *cornua monstri* IV, 4, 41. *Ignota* autem, quum mutatam puellam Argus ignoraret.

21. *Corollas*, quibus caput cinctus a convivio ad Cynthiam venerat. Coronarum in epulis notus usus est. Horatium passim vide.

23. *Formare*, componere, reparare. — *Poma*, sæpe memorata poetis inter amoris munera.

25. *Ingrato somno*, cujus in me pro donis istis gratia erat nulla.

Munera de prono sæpe voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam;
Donec diversas percurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait, in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis reppulit a foribus!

27. *Rarum motum* non male, puto, accipiemus, hanc aut illam ex intervallo corporis agitationem. — *Duxti*, duxisti, ut mox vs. 37 *consumsti*, consumsisti.

31. *Diversæ fenestræ* sunt adversæ lectulo, exadversum positæ. — *Moraturis luminibus sedula*, in eo sedulâ et officiosa, quod moratura essent ejus lumina, quod radiis suis factura moram esset; scilicet, adfulgens quum mihi monstraret Cynthiam. Eadem forma est III, 20, 12, « Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter, » quod de præsente hoc die, non de crastino intelligendum est. Venientem Propertius exspectat promissam noctem: quo citius fruatur, Phœbum rogat, ut *moraturæ lucis* (quæ tarde nimis itura sit) cursum velit contrahere.

34. *Sic.* Vide not. ad eleg. 22, 6.

36. *Alterius*, etc. Vulgo, « Alterius clausis *expulit* e foribus; » quod quidem corruptum esse nondum bene persuadeor, quidquid Lachmannus objiciat, non intelligi, quomodo quis clausis foribus expellatur. Propertio enim, scriptori non semper castigatissimo, an tantam faciemus injuriam, si potuisse ab eo talem versum esse contendimus? scilicet, ut accipiamus, Expulsum foribus, quæ jam tibi clausæ sunt. Judicent ii, qui Propertium æstimare norunt. Interea, si vitium fuerit, tollimus scribendo, « Alterius clausis *reppulit a* foribus, » ut ne admissum quidem ab altera illa infidum amatorem intelligamus. *Rettulit* Scaligeri Codex habuit, unde fecit ille *reppulit*, quod ipsum Heinsius in altero MS. legisse se testatur. *A* pro *e* scripti apud Burmann. duo exhibent. Neque tamen spernenda Lachmanni conjectura est, *clausis aspulit a foribus*, quæ propius accedit literis ad scripturam eam, *expulit*. At sequentia, idem Lachmannus ait, « receptum et expulsum indicare videntur: *Namque ubi... Languidus exactis hei mihi sideribus?* scilicet obscænam Burmanni *languidus mihi* conjungentis explicationem sequentibus; non, si *hei mihi* a cæteris separamus; non, si *languidum* interpretamur fessum. Neque injuria aut perfidia

Namque ubi longa meæ comsumsti tempora noctis,
Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes!
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheæ carmine, fessa, lyræ;
Interdum graviter mecum deserta querebar
Externo longas sæpe in amore moras;
Dum me jucundis labsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrymis ultima cura meis.

fuisset alterius puellæ, quæ Propertium non statim, sed diu retentum apud se, exacta nocte, tandem abire jussisset. » — *Meæ noctis*, mihi debitæ.

41. *Nam modo*, etc. En tibi cum virtute et gloria sua Romanæ prodeunt, quas vel pudicitia decoras, vel moribus infames vix umquam destituit patrius ille et vere muliebris nendi labor, matribus quondam simul ac puellis in urbe regina sanctissimum ornamentum, nunc apud nos, caput altius tollente femina, et, quas non elegantia commendat, despectis artibus, ab ingenuis manibus delabsus ad servas, et quum prosit tantummodo, supervacaneis de communi lege posthabitus. — Ut Cynthia, sic et Hero Nasoniana, Heroidd. XIX, 37 : « Tortaque versato ducentes stamina fuso, Feminea tardas fallimus arte moras. » — *Rursus et Orpheæ*, etc. Bene distinxit Lachmannus, ne *Rursus eram fessa carmine* cum Burmanno intelligamus, quum sit *fessa* in utroque versu nominativus.

46. *Cura*, medicina, levamen. *Meta* Broukhus. et Barth. cum Heinsio frustra dedere.

IMITATIONES GALLICÆ.

7. *Talis visa mihi*, etc. Bertin, *Amours*, I, *élégie* 4 :

Sous ses rideaux j'ai surpris mon amante.
Quel fut mon trouble et mon ravissement !
Elle dormait, et sa tête charmante
Sur ses deux mains reposait mollement.

Neque aliter Dorat, *Baiser III*, quidquid abusus ingenio dicatur, multis præferendus :

Quel tableau ! celle que j'encense
Sommeillait avec volupté

Sous un voile au hasard jeté,
Qui satisfait à la décence
En dessinant la nudité.
Sur l'ivoire d'un bras flexible
Son cou reposait incliné, etc.

Conferri potest, quod sic habet *André* Chénier, *élégie XXXIX*:

Quel charme de trouver la beauté paresseuse,
De venir visiter sa couche matineuse,
De venir la surprendre, au moment que ses yeux
S'efforcent de s'ouvrir à la clarté des cieux, etc.

11. *Hanc ego, nondum etiam,* etc. Scriptor hac ætate nobilis, corde civis optimus, ingenio complexus varia, cujus expertam non semel amicitiam glorior, Tissot, *Poésies érotiques, première partie,* in carmine *le Sommeil d'Eucharis*:

Immobile et brûlant, je m'enivre à longs traits
Du plaisir inconnu d'admirer tant d'attraits;
Je le goûte en amant, en jaloux, en avare.
Dans leurs transports mes sens brûlent de tout oser:
La volupté contient le désir qui m'égare.
Ma bouche, en ce moment, contente du baiser,
Sur le front d'Eucharis, sur ses yeux se repose;
J'effleure seulement ses deux lèvres de rose;
Craignant que du baiser l'imprudente chaleur
Ne réveille Eucharis, n'abrège mon bonheur.

Vide Colardeau, *Pièces fugitives* (*à madame de* ***):

Quel instant plus heureux que l'instant fortuné
Où, par l'Amour timide à tes pieds amené, etc.
.....
Tu dormais; et mes pas que j'appuyais à peine,
Soutenaient en tremblant ma démarche incertaine.
Coupable, intimidé, je craignais ton réveil;
Je n'osais t'arracher à la paix du sommeil:
Mais quel fut mon bonheur, etc.

André Chénier in elegia modo citata, promittens sibi quod non audet Propertius:

Oh! quand j'arriverai, si, livrée au repos,
Ses yeux n'ont point encor secoué les pavots,
Oh! je me glisserai vers la plume indolente,
Doucement, pas à pas; et ma main caressante,
Et mes fougueux transports feront à son sommeil
Succéder un subit mais un charmant réveil.

ELEGIA IV.

AD BASSUM.

ARGUMENTUM.

Laudibus suis has et illas celebrando, tentabat amicum Propertium Bassus a Cynthia distrahere. Sperari negat is tale quidquam posse. Feminis præstare Cynthiam, quotquot exstiterint pulchritudinis fama nobiles; adjuvari formam in ea cæteris, quæ supra sint, bonis; eo magis firmari suam et puellæ fidem, quo magis ille turbare studeat. Sed et Basso, post injuriam istam, odium et iram instare Cynthiæ: perfidum amicum delaturam illam apud omnes; deos quoscumque doloris sui testes esse facturam. His dominæ lætatur sensibus perennesque sint Propertius exoptat.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitæ quodcumque sequetur,
Hoc magis adsueto vivere servitio?
Tu licet Antiopæ formam Nycteidos et tu

1. *Basse.* Eumdem hunc Bassum fuisse cum illo, quem notum iambis Ovidius memorat, Trist. IV, 10, 47, « Ponticus heroo, *Bassus* quoque clarus iambo, » satis probabili conjectura statuimus, siquidem et ad alterum, Ponticum, elegiæ exstant Propertii: vide modo hujus libri septimam. — *Mutari* dicuntur in amore, qui fidem abjecerunt; ut eleg. 12, 11; II, 14, 31; 24, 39. — *Cogis*, impellis, incitas.

4. *Vivere. Ducere* Burmann. et *Kuinoel* e scriptis compluribus. *Vivere* Codices alii tuentur, inter quos Groninganus est, omnium certissimus. Hoc Broukhus. dederat non minus recte; Burmanno enim quærenti, an, uti *vivere vitam*, sic et *vitæ quod restat vivere* dici possit, Noster ipse respondet, qui III, 17, 19: « *Quod superest vitæ*, per te et tua cornua *vivam*. »

5. *Antiopa Nycteis*, Nyctei filia,

Spartanæ referas laudibus Hermionæ,
Et quascumque tulit formosi temporis ætas;
Cynthia non illas nomen habere sinet:
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
Inferior duro judice turpis eat.
Hæc sed forma mei pars est extrema furoris;
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:
Ingenuus color, et multis decus artibus, et quæ

quam a Lyco repudiatam Jupiter amavit. — *Hermiona*, Menelai et Helenæ filia, cujus exstat apud Ovid. epistola (ex Heroidd.) VIII. *Spartanā*, forte non sine quæsito sensu, quum Spartam pulchritudo feminarum commendaverit. Cæterum, ex emendatione Beroaldi provenit et Broukhusii quod vulgo legitur, « et tu *Spartanam* referas laudibus *Hermionen*. » Servari genitivus poterat, quem agnoscunt libri, nisi quod rectius in ejusmodi nominibus Græca forma tenebitur, scribique cum Burmanno Lachmannoque placet *Antiopes*, *Hermiones*.

7. *Formosi temporis*. De hoc epitheto *formosus* vide ad el. 20, 41. *Ætas temporis*, non infrequenti apud auctores pleonasmo. — *Nomen illas habere*, celebrari, priorem illas tenere locum, *Cynthia non sinet*, quippe quæ ipsa pulchrior.

9. *Leves figuras* intellige, magis de vulgo et quotidianæ formæ puellas. *Levem* ita dicit Horatius Lydiam, Carm. I, 25, 10, h. e. pretio jam nullo habitam. — *Inferior turpis eat*, turpis quia inferior; vide ad IV, 3, 10; *duro*, severo, difficili sub *judice*. Hoc distichon male capiebat Heinsius, quum *leves figuras* conjiceret umbras heroinarum, quæ præcesserunt, intelligendas, sensu quo nimirum *durum judicem* Propertius diceret Æacum.

11. *Furor*, amoris æstus. — *Perire*, insanire, ut sæpius.

13. *Ingenuus color*. Laudat in puella sua Propertius dotes, quæ formæ præferantur, ex iis *ingenuum colorem*. Si Lachmannum audimus, nativum et arte nulla infucatum vultus colorem accipiemus, quum habeat color tam in prava forma quam in pulchra locum, Terentio etiam (Eunuch. 317) *colorem verum*, Nostro *ingenuum* dictum, a *figura oris*, hoc est, a *forma* separante : « Quid tua istæc? — *Nova figura oris*. — Papæ! — *Color verus*, corpus solidum et succi plenum. — Anni? — Anni? sedecim. » Nihilominus, ut vides, omnia in istis ad corporis venustatem pertinent; oris figura (*un joli visage*), color verus (*un teint sans fard*), corpus solidum (*des chairs fermes*), anni (*la jeunesse*). Propertius autem, postquam cæteris quibusvis præstare forma Cynthiam dixit, ut bonis illam longe majoribus ornatam extollat, an vultus colorem laudabit, qui, si cum venustate non confunditur, certe venustatem adjuvat, et ex iis est,

Gaudia sub tacita ducere veste libet.
Quo magis et nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres: sciet hæc insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post hæc committet Cynthia, nec te
Quæret: erit tanti criminis illa memor;
Et te circum omnes alias irata puellas
Differet: heu! nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi quum rapto cessat amore deus;
Præcipue nostro. Maneat sic semper, adoro;
Nec quidquam ex illa, quod querar, inveniam.

quæ probamus in corpore? Ne credas; sed habitus respexerit elegantiam, et speciem qualis in ingenua femina sit; Gallice, *l'air, la tournure, les manières d'une femme bien née*; et unice veram opinor *ingenui coloris* hanc interpretationem. — *Multis decus artibus.* Vide ad el. 2, 2. — *Et quæ*, etc. et quibus cum illa perfundi libet gaudiis, *tacita sub veste*, secreta sub lecti stragula. *Vestem* ita Catullus habet, LXIV, 163.

16. *Hoc magis* te *uterque fallit, accepta* (grata) magis utrique *fide.* Vocabulum *magis* ita repetendum opinor.

17. *Hæc* scripti meliores agnoscunt, sensu clarissimo. *Hoc* Burm. et *Kuin.* ex aliis libris sine causa reponunt. — *Insana*, furens.

19. *Nec tibi me committet*, adire me periculum sinet amicitiæ tuæ. *Committere*, sensu quo dicimus *exposer.* — *Nec te quæret*, nec familiaritatem tuam, ut prius, optabit.

21. *Et te*, etc. et invidiam apud alias omnes contrahet nomini tuo. *Differri*, infamari, ut el. 16, 48. — *Nullo limine*, nulla domo.

23. *Nullas aras contemnet*, non sparget, *fletibus suis*, in ultionem injuriæ deos advocans. Observatione digna hæc structura est.

25. *Non ullo.* Propertii negligentiam vides: ter negationem istam in quatuor versibus ponit. — *Deus*, Cupido.

27. *Præcipue nostro.* Sic edidit recto judicio Lachmannus: suaserat Heinsius, et Codex apud Gelhardum exhibet. Vulgo *nostri*, hoc est, Cynthiæ in me, quod prorsus falsum; Bassus enim Propertio puellam non studebat eripere, sed puellæ Propertium. — *Adoro*, pro simpl. oro, ut Ovid. Heroidd. X, 141; Virgil. Æn. X, 677.

ELEGIA V.

AD GALLUM.

ARGUMENTUM.

Propertium amore suo consumtum Gallus irridebat, homo pro levitate sua quibuslibet addictus feminis (conf. eleg. 13), et ut illum pungeret, tentare se velle Cynthiam ipsam dicebat. Finem Propertius tam molestis verbis facit, et objicit amico furorem, quo tale consilium exceptura puella sit. Quod si forte novis amoribus se præbeat illa minus contrariam, Gallo quot angores, quot ferendi cruciatus! et plorabit amens quoties Gallus, de superbo factus humilis, injurias suas! Solatia tum rogabit miser; sed nec poterit nisi proprios dolores conjungere Propertius, qui magis ac magis illum a proposito deterret.

INVIDE, tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix! properas ultima nosse mala,

2. *Ire pares.* Nota hæc ab equis metaphora, dum currunt pariter adligati jugo.

3. *Meos sentire furores?* Præclare Hemsterhus. cum eoque Lachmannus: « Quid tibi vis, insane? *meæ* sentire furores? » In prioribus enim elegiæ versibus iram Cynthiæ innuit, quam invidus ille sibi timeat, nec nisi post versum 9 locus esset *furoribus*, curis et angoribus, quibus se diceret exagitatum in amore Propertius. Recte autem *meæ* pro dominæ meæ, qualem nec raram significationem veteres pronominibus istis adfingunt. Sic *tua* videbis positum infra eleg. 9, 22; iterum *sua* III, 14, 22; *Non hoc pollicitus tuæ* (Helenæ) apud Horatium, Carm. I, 15, 32. — *Ultima mala* pro gravissimis: frequens hic notusque sensus.

Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis collata puellis:
Molliter irasci non sciet illa tibi.
Quod si forte tuis non est contraria votis,
At tibi curarum millia quanta dabit!
Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animis adligat una viros.
Ah mea contemtus quoties ad limina curres,
Quum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus mœstis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam,

5. *Et miser ignotos*, etc. Ita et Horat. Carm. II, 1, 7, « incedis per ignes Subpositos cineri doloso. » — *Toxica e Thessalia*, cujus herbæ venenaque passim memorantur.

7. *Non similis illa vagis est*, quales amas, de vulgo feminis: conf. eleg. 13, quæ ad eumdem Gallum est, vss. 11—12. — *Collata*, si collata cum istis fuerit. — *Non sciet.* Ita Scaligeri non magnæ fidei Codex: cæteri *non solet*, repugnante sensu. Lachmannus corrigit, « Molliter irasci non solet illa: *time.* » Egregium sane hoc, nec minus quam recepta Scaligeri lectio probabile.

9. *Quod si forte*, etc. Broukhus. partim ex emendatione, partim ex aliis Codicibus paucis scribendo, « Quod si forte *ausis* non est contraria *nostris*, At tibi, etc. » (scilicet, ut ea quam Scaliger dabat, hujus carminis interpretatione, Gallo conciliare velle Cynthiam Propertius ipse intelligatur) sententiam prorsus pervertit. Eamdem exhibet lectionem Barthius. — *Millia quanta*, pro quot millia, ut *sexcenta tanta* Plaut. Bacchid. IV, 9, 111; *millia magna*, id est, multa, Valer. Flacc. V, 274.

11. *Non tibi jam somnos*, etc. Passeratius: Nocturnam tibi quietem adimet, oculosque ipsos vigiliis et lacrymis tibi corrumpet. Burmannus: Stabit semper tibi ante oculos, nec te relinquet, sive somnum captes, seu vigiles: per *ocellos* vigilantem de die indicat, ut per *somnos* dormientem. — *Feros*, superbos *animis*, et reluctantes.

13. *Contemtus*, repulsus ab ea. — *Fortia*, confidentia, alta *verba*. Tibullus, II, 6, 11: « Magna loquor: sed magnifice mihi magna loquuto Excutiunt clausæ fortia verba fores. »

15. *Tremulus horror*, corporis tremor et fremitus, nec sine lacrymis. *Mœsti fletus*, ut *tristes lacrymæ* Tibull. I, 1, 62; *mœsti questus* Virgil. Georg. IV, 515. — *Informem notam*, pallorem, *ducet*, inducet.

Et quæcumque voles fugient tibi verba querenti,
Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser!
Tum grave servitium nostræ cogere puellæ
Discere, et exclusum quid sit abire domum;
Nec jam pallorem toties mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
Nescit Amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuæ dederis vestigia culpæ,

17. *Et verba quæcumque voles quæri, tibi querenti fugient.* Ita formanda constructio est.

20. *Et exclusum quid sit abire domum.* Lachmanni correctionem probo, « et exclusum quid sit abire *domo;* » domo scilicet et foribus puellæ perfidia clausis. Satis enim languidum et ineptum illud est, abire dici domum, quem domina non admiserit; et aliud poterat ex superioribus colligi: « Ah *mea contemtus* quoties *ad limina curres*, Quum tibi singultu, etc. » quibus addit: Tum senseris, quæ sint exclusionis mala. Porro repulsum amatorem vides non abire domum, sed apud amicum solatia quærere. Cæterum lege et perpende quæ super hunc versiculum idem Lachmannus ad poeticam artem spectantia contulit, observationibus suis ductus, ut ἡμιστίλλυτον in hemistichiis versus pentametri locum non habere contendat, nisi certis quibusdam modis, iisque ab hoc nostro diversis.

22. *Corpore ego nullus*, macie tenuatus, umbra corporis. *Nullus toto corpore*, id est, corpore plane nullus, quali utitur etiam forma Propertius II, 29, 37: «Adspice, ut in *toto nullus* mihi corpore surgat Spiritus.» (Ex iis fortasse lux est versiculo petenda, III, 13, 35, «Hinnulei pellis *totos* operibat amantes:» scilicet, ut *totos amantes* non intelligamus amantes duos, amatorem cum puella; sed in *totos* latere statuamus adverbium *plane*, adeoque se habere sententiam: Plane operibat amantes pellis; quæ amantes operiret, pellis satis erat). Alia vide, quæ non differunt, supra notata eleg. 2, 30.

24. *Nescit Amor priscis*, etc. Concisior Ovid. Heroidd. IV, 161: «Nobilitas sub Amore jacet.» *Imagines*, effigies majorum cereæ, quibus atria sua nobiles exornabant. In funeribus imagines istæ præferebantur, qualem scilicet adfingimus et nos ambitionem morti, quum defunctis proceribus nostris tabulas pictas suspendimus, illustrationem sanguinis et prosapiam significantes. Mutantur usus tempore: hominum perstat semper eadem insania.

25. *Culpæ tuæ*, talis amoris tui, quo sensu *peccare* pro amare ponitur: vide II, 32, 1. *Kuinocl* poenam interpretatur, exclusionis nempe, *culpam* Plauto ita dici

Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Quum mihi nulla mei sit medicina mali:
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quærere: non impune illa rogata venit.

notans, Capt. II, 3, 43, et Terent. Hecyr. IV, 4, 9. — *Rumor eris*, vulgi risus et fabula, quomodo et *sermonem* legimus II, 21, 7.

29. *Sed pariter miseri*, etc. Hoc quam falsum, quam alienum ab amore sit, neminem fugiet. Quid enim? corrumpere tentat ille Cynthiam nec potest, cum eoque flebit Propertius? sua et rivalis fore communia mala? Optabo nulli talem amatorem feminæ. Quanto verioris adfectus hoc erat initio carminis: « Invide, tu tandem voces compesce molestas, Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares. »

31. *Quid possit*, in viros imperio suo, quos vel asperrimos domare et adligare supra dicitur. Sed ex hoc ipso loco sentimus, multo minus timendam eam Gallo reputari. — Diversos *Gallos* Propertius memorat, de quibus (fictum an verum hujus nostri nomen fuerit) cf. not. ad Vitam poetæ Chronolog. ann. 714. — *Rogata*, tentata, sollicitata ad amorem. *Rogata venit* pro simpl. rogatur, ut mox *Irritata venit* eleg. 10, 25; *Non ita sæva venerit ira* el. 18, 14; *Non hæc ulli ingrata venient* II, 34, 81. Hanc scriptoribus Latinis familiarem, tum præsertim Propertio, verbi *venire* significationem Itala nec ipsa lingua temporibus nostris ignorat.

ELEGIA VI.

AD TULLUM.

ARGUMENTUM.

Comitem sibi Tullus poetam abducere volebat, publicis de rebus quum in Asiam mitteretur. Esse loca nulla respondet Propertius, quæ duce Tullo non adire velit; sed victum retineri se precibus et amicæ lacrymis, neque tanti esse sibi celebratam quamvis regionem visere, ut, quos præsentit, insanos derelictæ puellæ dolores sustineat. Civilia decere Tullum munia, qui longe Veneris curam omnem habeat: laudi se non esse natum, et velle pro fato semper amantem vivere. Hac lege, hoc jugo Tullus amicum teneri cogitet, per quascumque terras illius meminerit.

Non ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Ægæo ducere vela salo;
Cum quo Rhipæos possim conscendere montes,
Ulteriusque domos vadere Memnonias:
Sed me complexæ remorantur verba puellæ, 5

1. *Noscere*, tentare, experiri, eodem sensu positum, quo *videre* eleg. 1, 12. — *Tulle;* de quo vide Propertii Vitam Chronol. ad ann. 724. — *Vela ducere*, navigare, *Ægæo salo*, ad *Ægæum* salum, quomodo *deducere* et *portare* et *vehi* cum tertio casu constructa videbis esse, in not. ad IV, 11, 102.

3. *Rhipæi montes*, Scythiæ. — *Memnoniæ domus*, Æthiopia, a rege Memnone, Tithoni et Auroræ filio. Nihil apud auctores frequentius, quam vocabulum *domus* pro regione positum (vide modo II, 10, 16). Sic *Trojæ tecta* sunt II, 30, 30. Quamquam respici volunt hic interpretes ad ipsam Memnonis regiam, memoratam Curtio IV, 8, 3. — *Vadere*, ire, cum audaciæ sensu. — Conf. Ovid. Amorr. II, 16, 21 sqq., ubi se quævis adire loca posse testatur, si comitem habeat puellam suam.

Mutatoque graves sæpe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta deos:
Illa meam mihi se jam denegat; illa minatur,
Quæ solet ingrato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis.
Ah pereat, si quis lentus amare potest!
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere divitias;
Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia, et insanis ora notet manibus,
Osculaque obposito dicat sibi debita vento,

6. *Mutato* vultus *colore*, ut anxia pavensque miscella est.

7. *Argutat*, verbosa enarrat et objectat mihi. — *Nullos esse deos.* Ovidius in amicam, Amorr. III, 3, 1, « Esse deos credamne? fidem jurata fefellit. » — *Relicta*, si relinquatur. Ita vidimus adstructum participium *collata*, eleg. 5, 7.

9. *Meam.* Vide not. ad eleg. 5, 3. — *Ingrato* rectissime dedit Broukhusius pro *irato*, quod in scriptis omnibus libris est.

11. *Horam*, ne horam, ne *temporis* quidem *punctum* (ut etiam dicunt), in *his possum querelis durare*, tales ejus ferre questus. Propriam hujus verbi significationem reddit nostrum *durer* : « Des « plaintes, des chagrins à n'y pou- « voir durer un instant. » — *Lentus amare*, segnius, frigide. Frequens in amore adjectivus hic est.

15. *Facere convicia*, conviciis insectari, ut etiam Ovidius, Metam. IX, 302; Amorr. I, 7, 21. — *Et insanis ora notet manibus.* Feminei doloris notum indicium.

17. *Osculaque*, etc. Locus difficilis et varie tentatus, in quo si dativum casum *vento* statuimus esse, ut cum eo *dicat* jungatur, vim, Lachmanno judice, fortasse Latino sermoni facimus, verbum *dicere* quum in talibus amantium querelis non sit usitatum, sed *narrare*, ut Plaut. Mercat. prol. vs. 5, et Sil. Ital. III, 430; aut *flere*, ut Tibull. III, 7, 8 (« Gnosia, Theseæ quondam perjuria linguæ *Flevisti* ignoto, sola relicta, mari; » *flevisti mari*, hoc est, cum fletu narravisti fluctibus); aut *loqui*, quod habet Noster infra eleg. 15, 12. Porro neque *obpositum* intelligi posse, qui Cynthiæ votis contrarius sit, Fonteinius et Huschkius docent, nudum hoc epitheton negantes tali significatione veteribus fuisse notum. Scripturam igitur Lachmannus corruptam judicat, reponitque : « Ut mihi deducta faciat convicia puppi Cynthia... Osculaque *ut posito* dicat sibi debita vento, Et nihil infido, etc. » Ita, inquit, « omnia clara sunt.

Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis jura refer sociis :
Nam tua non ætas umquam cessavit amori,
Semper at armatæ cura fuit patriæ;
Et tibi non umquam nostros puer iste labores

Veretur, ne Cynthia *sibi oscula* proficiscentis *posito vento debita dicat*, concessa sibi venti cessantis beneficio, qui navigaturum vetuerit solvere. » Amantes nonnumquam similia queri, adlatis exemplis vir doctus ostendit. Damus hoc : exorietur nihilominus difficultas, quomodo positis ventis intelligamus non potuisse navem solvere, quæ jam ante *deducta* sit. Vides, Lachmanni vacillare commentum, nisi alio se modo sententia habeat; ita nempe : « Ut mihi deducta faciat convicia puppi Cynthia... Osculave *ut posito* dicat sibi debita vento ; » Ut in me, quum navis solverit, imprecationes illa jaciat; vel oscula dicat sibi debita, positum ventum objectans, qui navi moram fecerit. Rem doctioribus examinandam tradimus, Codicum lectionem, qualiscumque sit, interpretantes : Et ut oscula dicat, clamet in litore, sibi esse debita; nequidquam autem hoc dicat, *vento obposito*, interposito, qui nec audiri sinat querentem, nec ad illum ferat oscula, si Propertius miserit.

19. *Patrui;* L. Volcatii Tulli consularis. — *Et vetera,* etc. Bronkhusius cum eoque Burmannus « Et vetera oblitis jura *referre foris* » edidit, de Tullo interpretans ad Cyzicenos misso, ut jus, quod in foro dicebatur, illis restitueret, quo per aliquod tempus caruerant, unde *oblitis foris*. Ita scriptum dederat hunc versiculum Heinsius, et libri quidem adstipulantur nonnulli : sed unice veram, quam cæteri Codd. habent (ex iis Regii nostri), lectionem esse, Hemsterhusius apud Burmann. optimo judicio demonstrat : « Præcedenti versu cur diceret *conare anteire*, gravis erat causa; eleganter enim ad laudem Tulli patrui pertinet, cujus imperium tam fuerit justum, ut vix sperari possit, alium successorem ad eamdem laudem facile perventurum. Verum hic, si Tullo dicat, *conare vetera jura referre*, diffidere se amici virtuti ostendet, quod certe absurdum, et ab elegantia Propertii alienum. » *Jura sociis* nostris, Græciæ et Asiæ gentibus *refer*, civilibus discordiis eversa.

22. *At.* Groninganus cum aliis *et*, quod Lachmann. recepit, antithesin hic minus gratam judicans. Particulam *et* ipse non ita probo. — *Armatæ patriæ*, in armis, ut *armatam urbem* Lucan. II, 574.

23. *Puer iste*, Cupido, ut *puer hic* el. 7, 15, et *puer* el. 19, 5. — *Tibi non umquam labores nostros adferat*, etc. Repetere longum esset quas in his aut interpretandis aut restituendis certissimas rationes

Adferat, et lacrymis ultima nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna jacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua

Lachmannus contulit, et summatim rem omnem, quali modo sistit, exponimus. Primum igitur non optativa forma sententiam concipi intelliges, sed conjunctivum hic pro futuro poni (vide not. ad III, 3, 41), *non adferat* pro *non adferet*; hoc modo: Tu negotiis publicis incumbe, qui nec amavisti hactenus, neque umquam *amabis*. Sequentibus vero, ut a Broukhusio data vulgo leguntur (ex ejus Codice derivata, qui bonus erat Mentelianus), « et lacrymis ultima *vota* meis » (Nec vereor, ne tibi Amor tanta mala adlaturus sit, ut eodem, quo ego nunc, moriendi voto tenearis), illud vitii facile sentis inesse, quod *adferat vota* pro *efficiat ut voveas* dicatur, et *ultima vota* nude posita mortis votum significent. Scripti plerique: « et lacrymis *omnia nota* meis; » in quibus absolutum istud *omnia*, etsi Marklando probatum, retineri posse non satis constat. Sana quæcumque facit lectione sua Lachmannus: « et lacrymis ultima *nota* meis; » *ultima* scil. mala, ut Ovid. Metam. XIV, 483, « *Ultima* jam passi comites, etc. » et Trist. III, 2, 11, « *Ultima* nunc patior. » *Lacrymis nota meis*, pro mihi, formam ipso Propertio tuente eleg. 19, 18, « *Cara* tamen *lacrymis* ossa futura *tuis*. » *Nota* autem, experta, perpessa, ut eleg. 9, 20, « infernæ vincula *nosse* rotæ; » el. 12, 13, « longas solus *cognoscere* noctes; » supra, eleg. 5, 4, « properas ultima *nosse* mala, » qui simillimus huic nostro locus est.

25. *Me sine*, etc. Lachmann. ex tribus apud Burmannum Codicibus, « Me sine, quem *voluit semper* fortuna jacere, » accentus regulæ consulens. Ingeniosa et acuta vide, quæ super hoc notata dedit. *Jacere*; scilicet in conditione mea tenuem. — *Extremæ nequitiæ*, quæ mihi finem vivendi faciat, in extremos annos addictus Veneri.

27. *Longinquo in amore*, longo, diuturno, ut *longinquum* Trojæ *bellum* apud Catull. Carm. LXIV, 346; *ævi longinqua vetustas* Virgil. Æneid. III, 415.

29. *Non ego sum laudi*, etc. Conf. Tibull. I, 1, 53: « Te bellare decet terra, Messala, marique, Ut domus hostiles præferat exuvias. Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ, Et sedeo duras janitor ante fores. Non ego laudari curo, mea Delia; tecum Dummodo sim, quæso, segnis inersque vocer. » — *Militiam*. Vide suavissimam elegiam, in qua mili-

Lydia Pactoli tinguit arata liquor,
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti pars eris imperii;
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

tarem artem Ovidius cum amatoria comparat, Amorr. I, 9.

32. *Pactolus* immensas illas Crœso divitias contulit, auctore Strabone, lib. XIII, pag. 625. — *Tinguit*, irrigat, ut *tinguitur India Gange* Ovidius, Metam. IV, 21. Noster, eleg. 20, 8, « Sive Aniena tuos *tinxerit* unda pedes. » — *Arata. Culta* Virgilius ita posuit Æneid. X, 141.

34. *Et accepti pars eris imperii. Imperii partem* Lachmannus postquam demonstravit esse, qui alterius imperio paret: Sed unde *accepti*? ait. Barthius (vide Propertii Vitam Chronol. ad ann. 724) viro cuidam claro et consulari concessum ab Augusto singulare imperium intelligit, in cujus cohorte hic Tullus fuerit. Hic vero ipse vir consularis, in quo exquirendo Barthius se tam anxie torquet, nominandus haud dubie poetæ erat, nisi inepte volebat loqui. Neque melius Heinsius, « et *asserti* pars eris imperii, » quum *asserti ab Augusto* debuerit dicere. Propertium igitur dedisse suspicor, « et accepti *sors erit* imperii, » hoc est, si tibi imperium accipere continget. Liv. XXII, 22, « Circumspectis igitur omnibus, quæ *fortunâ potestatis* ejus poterat facere, » id est, ea potestate, quam ipsi fortuna dederat. Cap. 45, « Itaque Varro.... cui *sors* ejus diei *imperii* erat, » imperium sorte datum. Ovid. Fast. III, 463, de Ariadna Bacchi uxore, « *Sorte tori* gaudens, Quid flebam rustica? dixit. » Hæc habet, pluribus adlatis aliis exemplis, Lachmannus; cujus porro commentum (locus enim necessario correctionem postulat) si nimis quæsitum videatur nec apertissimum, fortasse possimus legere, « et *augusti* pars eris imperii; » sive *augustum* hic proprio sensu capias, sive Augusteum intelligere placeat, ut *Augusta ratis* est IV, 6, 23.

35. *Hora*, momentum, ut erat supra vers. 11. — *Duro*, aspero, sub amoris *sidere*.

IMITATIONES GALLICÆ.

Ad Tullum. Ejusdem argumenti, quo sexta hæc est elegia, Parny carmen habet omni venustate conditum (lib. III, *le Voyage manqué, à M. de F....*):

Abjurant ma douce paresse,
J'allais voyager avec toi;

Mais mon cœur reprend sa faiblesse;
Adieu, tu partiras sans moi.
Les baisers de ma jeune amante
Ont dérangé tous mes projets.
Ses yeux sont plus beaux que jamais;
Sa douleur la rend plus touchante.
Elle me serre entre ses bras,
Des dieux implore la puissance,
Pleure déjà mon inconstance,
Se plaint, et ne m'écoute pas.
A ses reproches, à ses charmes,
Mon cœur ne sait pas résister.
Qui! moi, je pourrais la quitter!
Moi, j'aurai vu couler ses larmes,
Et je ne les essuirais pas!
Périssent les lointains climats
Dont le nom causa ses alarmes!
Et toi, qui ne peux concevoir
Ni les amans, ni leur ivresse;
Toi, qui des pleurs d'une maîtresse
N'as jamais connu le pouvoir;
Pars : mes vœux te suivront sans cesse :
Mais crains d'oublier ta sagesse
Aux lieux que tu vas parcourir,
Et défends-toi d'une faiblesse
Dont je ne veux jamais guérir.

ELEGIA VII.

AD PONTICUM POETAM.

ARGUMENTUM.

Heroico versu dum canit ardue Thebanum bellum Ponticus, se deditum amoribus suis teneros ludere modos, et amandi sortem asperrimam queri. In hoc positam sibi gloriam esse; hanc sibi cupere famam et laudem carminis. Nec vel ipsi Pontico, si quando legem senserit Veneris, spernendam Musam istam, qualiter nunc, visam iri: sed missis epicis, tentabit ille (nec subjicere volet serus Amor) tunc molles elegos; tunc demum poetis quibuscumque præferendum amicum ultro judicaverit. Caveat ille sibi; non semper Venerem effugimus.

Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ tristia militiæ,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus;
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quærimus in dominam;

1. *Cadmeæ Thebæ*, a Cadmo conditæ. — *Pontice*. Vide not. ad eleg. 4, 1. — *Armaque*, etc. Eteoclen inter et Polynicen miserandum bellum, in quo frater fratrem necavit. Æschylus, Euripides, Statius, RACINE.

3. *Ita sim felix*. Adseverandi formula. Augustus apud Sueton. Tiber. 21: « Jucundissime et (ita sim felix) vir fortissime, etc. » — *Primo Homero*, poetarum principi, de quo vide Imitationes ad II, 1, 21. — *Sint modo*, etc. effugiant modo carmina tua damnum temporis, et de te posteris judicium esse possit.

5. *Nostros agitamus amores*, me meus tenet amor: sic *agitare festum, convivium*. — *In dominam*, de domina, *quærimus*, excogitamus *aliquid* (ita loquitur etiam

Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, et ætatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitæ modus; hæc mea fama est;
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctæ solum placuisse puellæ,
Pontice, et injustas sæpe tulisse minas:
Me legat adsidue post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros evoluisse deos,
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in æterno surda jacere situ;

Cic. de Leg. I, 5, 15); scriptum quod, elegiam.

7. *Nec tantum ingenio*, cujus proprie sunt ea, quæ tu canis, heroica, *quantum dolori servire cogor*, addictus nempe Veneri, quæ leves me poscit et querulos modos. — *Ætas*, vita, ut erat eleg. 6, 21. — Cum Propertio Nasonem confer, Amorr. II, 18, 1: « Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem, Primaque juratis induis arma viris; Nos, Macer, ignavæ Veneris cessamus in umbra, Et tener ausuros grandia frangit Amor. »

10. *Nomen*, famam, *carminis*.

11. *Me solum*, unum ante omnes.

15. *Puer hic*. Vide not. ad eleg. 6, 23. — *Concusserit*, dejecerit, vicerit. — *Quod nolim*, etc. Hunc versiculum si capimus ita, ut amoris avertendi votum sit, ipse sibi Propertius manifeste falsus erit; nihil enim magis, quam fieri Ponticum amatorem, optabat. Ironice igitur dici cogitabimus: Nec, ut sentis, velim reservari tibi tale quidquam mali (*Quod nolim deos nostros*, Venerem et Cupidinem, *evoluisse*, evolvere tibi, quomodo eleg. 1, 15, *domuisse* pro domare positum vidimus, et translata ad istos deos, quod Parcarum est, *evolvendi* notione). Sed acute Lachmannus observat, « debilem illam quidem ironiam esse, in hoc carmine, quo gravissime in Ponticum ubique invehitur, » aliquid fortius acerbiusque dedisse Propertium suspicans, non *nolim*, sed « Quod *nolis* nostros evoluisse deos; » *Quod nolis*, ut *quod nolim* Ovidius, Heroidd. XX, 100, et Cic. ad Famil. II, 3, ad Attic. VII, 18; avertendi formula. Hac levi correctione sensum fateor et mihi multo magis probari.

17. *Longe*, etc. quod longe tibi jam erit, heroicum illud totum opus tuum, castra, duces, exercitus, in æterno situ jacere flebis interruptum. *Surda*, silentia, inaudita. Sic *lyra surda* IV, 5, 56; *surda buccina* Juvenal. sat. VII, 71. *Flebis* autem *jacere*, ut III, 9, 37, *Non flebo sidisse*.

Et frustra cupies mollem componere versum;
Nec tibi subjiciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere sæpe poetam;
Tunc ego Romanis præferar ingeniis;
Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro,
Ardoris nostri magne poeta, jaces!
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu:
Sæpe venit magno fœnore tardus Amor.

19. *Mollem*, tenerum, elegiacum *versum*.

21. *Tunc me*, etc. Vossium, *tunc* ante consonam a bonis poetis usurpari negantem ad Tibull. I, 1, 21, Lachmannus sequitur, et in singulis ejusmodi locis reponit *tum*, quod apud Propertium quidem, duobus exceptis versibus, Neapolitanus optimæ notæ Codex plane confirmat. — *Præferar*, ipso te judice. — *Ingenia* proprie dicuntur poetæ, qui facultatibus ingenii pollent præ cæteris.

23. *Nec poterunt juvenes*, etc. Satis male cum superioribus ista coeunt; vide modo sententiam: « Si quando amaveris, tunc et mihi nomen dabis poetæ, *nec poterunt juvenes sine desiderio ferre mortem meam.* » Adjuvamus quidem interpretatione, « *Nec poterunt* vel te fatente *juvenes*, etc. » sed nec ita perapte locus connectitur. — *Ardoris nostri poeta*, qui cum tuis amoribus nostros pariter celebrasti.

26. *Sæpe venit*, etc. Ovidius, Heroidd. IV, 19, « Venit Amor gravius, quo serius. »

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Dum tibi Cadmeæ*, etc. Bertin, *Amours*, III, *élégie* 11, *à M. le vicomte de Bourbon Busset:*

Tandis qu'au séjour du tonnerre
Dressant ton vol audacieux,
Loin des limites de la terre
Tu chantes la paix et la guerre,
Assis à la table des dieux;
Moi, dans les bosquets d'Amathonte
Malgré moi ramené toujours,
Hélas! à célébrer ma honte
Je perds les plus beaux de mes jours.

Conf. Voltaire, *Épîtres*, *XLVI* (*à M. de Saint-Lambert*):

Tandis qu'au dessus de la terre,
Des aquilons et du tonnerre,

La belle amante de Newton
Dans les routes de la lumière
Conduit le char de Phaéton,
Sans verser dans cette carrière;
Nous attendons paisiblement,
Près de l'onde Castallenne,
Que notre héroïne revienne
De son voyage au firmament,
Et nous assemblons pour lui plaire,
Dans ces vallons et dans ces bois,
Les fleurs dont Horace autrefois
Fessit des bouquets pour Glycère.

7. *Nec tantum ingenio*, etc. *André* Chénier, *élégie XXXIV*:

Sans dédain, sans courroux, puissé-je être écouté!
Puisse un vers caressant séduire la beauté!
Et si je puis encore, amoureux de sa chaîne,
Célébrer mon bonheur ou soupirer ma peine;
Si je puis, par mes sons touchans et gracieux,
Aller grossir un jour ce peuple harmonieux
De cygnes dont Vénus embellit ses rivages,
Et se plaît d'égayer les eaux de ses bocages;
Sans regret, sans envie, aux vastes champs de l'air
Mes yeux verront planer l'oiseau de Jupiter.

13. *Me legat adsidue*..... et vers. 23, *Nec poterunt juvenes*, etc. Bertin, *Amours*, I, *élég.* 16:

Enfant gâté de la paresse,
C'est assez que Vénus me couronne de fleurs;
C'est assez que l'amant me lise à sa maîtresse,
Qu'ils m'accordent ensemble un sourire ou des pleurs.
.....
Je ne veux point d'autre gloire:
Chez nos neveux indulgens
On chérira ma mémoire;
Dieu fêté des jeunes gens,
Dans mes amours négligens
Ils trouveront leur histoire.

ELEGIA VIII.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Destinantem abire cum prætore quodam in Illyricum infidam Cynthiam revocat a proposito; curas, amorem suum testatur; ventos, procellosum æquor, et loci, quem adeat, rigorem objicit. Navibus hiberni flatus moram faciant quam longissimam precatur; quod si nihilominus ea tentare fluctus audeat, tum ne mitescere cælum, ne ponere voluerit hiems sævitiam suam. Mox autem mutatis animis, vertit omen in melius: perjura licet, bonos habeat illa deos æquoris; timendos vitet scopulos; feliciter eam portus excipiat. Alia se nulla tentatum iri femina; de Cynthia sibi numquam fore desperandum. — Flecti se passa puella est; victor exsultat Propertius, et objicit superbiens malevolis triumphum suum. Pretio nullo corrumpi dominam posse; regum opes illam posthabere amantis lectulo; fecisse carmen et preces, quod non aurum effecerit. O fidem! o beatam sortem suam! Liceat ad extremos annos talem ferre gloriam!

TUNE igitur demens, nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria,
Et tibi jam tanti, quicumque est, iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?

1. *Cura*, dolor, anxietas *mea*, ne cum Barthio amorem accipias. — *An*, vel, si demens non es, tibi spernendus videor?

3. *Iste, quicumque est;* prætorem dicit contemnens, iterum, quum ab Illyria reversus erit, memoratum II, 16, 1. — *Vento quolibet*, vel asperrimo; quidquid tibi periculi faciat.

Tune audire potes vesani murmura ponti
Fortis, et in dura nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,
Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena;
Neve inimica meas elevet aura preces;
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Quum tibi provectas auferet unda rates,
Et me defixum vacua patienter in ora

5. *Tune audire potes*, etc. Lege, mordaci versu quæ Juvenalis, sat. VI, 92 : « Tyrrhenos igitur fluctus lateque sonantem Pertulit Ionium constanti pectore.... (amanti comes Hippia). » Pergit poeta : « Si jubeat conjux, durum est conscendere navim; Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer. Quæ mœchum sequitur, stomacho valet. Illa maritum Convomit : hæc inter nautas et praudet, et errat Per puppem, et duros gaudet tractare rudentes. » — *Vesanus pontus*, ut *insanientem* dicit Horatius *Bosporum*, Carm. III, 4, 30.

7. *Pruinas pedibus fulcire*, calcare; in pruina pedibus niti, ut recte apud Burmann. Hemsterhusius; Gr. ἐρείδειν, ἐρείδειν ποδὶ τὴν γῆν. Ejusmodi verbum nostrum est *appuyer*, quod modo *fulcire*, modo reddit *premere*. — *Positas*. *Poni* dicuntur, quæ cælo delabsa in terram veniunt. Sic *positas nives* Horat. Carm. III, 10, 7; *posito rore* Ovid. Fast. VI, 200.

10. *Vergiliæ*, Pleiades (Atlantis filiæ; Hygin. fab. 192), quæ vernum tempus, sive potius æstivum, adeoque navigantibus commodum, ortu suo denuntiant. Conf. Ovid. Fast. V, 599 sqq.

11. *Tyrrhena arena*. Navi, quæ solvisset Brundusio, breviorem futuram fuisse viam nos docet Barthius. Non desiderantur quæ talia sunt omissa. Aliud est, quod propter sonum *Tyrrhena arena*, Burmannus et *Kuinoel* permutatis vocabulis *in ora* hoc versu dederunt, et vs. 15 *arena*. Scilicet, quod reprehendas, in talibus erit nihil, modo numeros ad normam redigas Italis ætate nostra positam; hoc fere accentu : *Nec tibi Tyrrhĕnă solvatur funis arēna;* eleg. 17, 5, *Quin etiam absĕntĭ prosunt tibi, Cynthia, vĕnti;* etc. — *Neve preces elevet aura*, dissipet et irritas faciat. Insertum sententiæ versiculum istum accipe, et quasi parenthesis adposito signo.

13. *Atque ego*, etc. quod si non audita vota mea sint, teque navis demum abstulerit, tum neque tibi *tales* cessent *venti*, adversantes, procellosi, *nec me defixum in ora videam* te *crudelem vocare*. Minorem versum ex emendatione La-

Crudelem infesta sæpe vocare manu!
Sed quocumque modo de me, perjura, mereris,
Sit Galatea tuæ non aliena viæ;
Ut te felici prævecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos æquoribus.
Nam me non ullæ poterunt corrumpere tædæ,

chmanni recepimus, non quod videatur mihi stare vel hoc modo locus aptissime, sed defendi potest, et, quantum licet, scriptura observatur Codicum. Ut *videre* hic Propertius, ita *cernere* Catullus, Carm. LXIV, 57, de Ariadna a Theseo prodita : « Desertam *in sola* miseram *se cernit arena*. » *Patienter*, ægre, cum dolore *defixum*. Nec ipse sibi Propertius *infesta manu* pectus et ora lædit; sed, ut Lachmanni verbis utar, « revocat ille blandus voce crudelem dominam, minaci infestæ manus gestu simul increpans. » In ea vero, quam Burmannus exhibet, superioris versus lectione, « Et me defixum vacua *patiaris* arena Crudelem infesta, etc. » displicet hoc, quod *pati* Cynthia dicitur queri Propertium, ubi verbum *cogere* vel notionis hujus aliquid sententia postularet. Neque *patiaris* vera librorum scriptura est, sed *patiatur* Gronng., Neapolit., alii, Regii etiam nostri; quod ut admitti modo nullo potest, ita propius ad verum accedere lectionem *patienter* indicat.

18. *Galatea*, Doridos et Nerei filia, pro dea maris ipsa.

19. *Ut te felici*, etc. Vitiare linguam eos, qui *prævecta* vocativo casu positum contendunt esse, tam clare liquet, ut rationes omitti possint, quæ tale genus interpretationis evertant. *Provecta* dedit Burmann., ipse repetitum verbum improbans, quod jam erat vs. 14; sed nec sensus admittebat. *Prævehi* autem, id est, *prætervehi* Lucanus habet X, 308, et Tacit. Annal. II, 6. Scribe cum Lachmanno : « Sit Galatea tuæ non aliena viæ; *Vites* felici prævecta Ceraunia remo; Accipiat placidis, etc. » Certum hoc, et parva, quidquid videatur, mutatio est : ex *Vtte*, ut scribitur in Codicibus, facile oritur *Vite*, literam autem *s* sequens *f* absorbuerit. *Ceraunia vitare*, ut bis Ovidius dixit; Remed. Amor. 739, ex Ponto II, 6, 9 sq. Mox *Accipiat* te, repetito ex antecedentibus pronomine, quod satis firmat exemplo suo Propertius, II, 5, 24. *Oricos*, urbs et portus Epiri ad Ionium mare, prope Ceraunios montes, *scopulos infames* Horatio, Carm. I, 3, 20.

21. *Nam me*, etc. In his, quæ varie corrupta scripti Codd. exhibent, quum *verba* stare non possent nude posita, visum criticis *vera* corrigere : « Nam me non ullæ poterunt corrumpere tædæ, Quin ego, vita, tuo limine *vera* querar. » Totam sententiam Lachmannus examinat : « Bene naviga; nam me novi amores nulli, quo minus tuo limine semper *vera* querar, subigent; et nautas de te fatigabo; nec te aliquando meam futuram desperabo. » Præclare omnia et venuste,

Quin ego, vita, tuo limine verba querar;
Nec me deficiet nautas rogitare citatos,
Dicite, quo portu clausa puella mea est?
Et dicam, licet Atraciis considat in oris,
Et licet Eleis, Illa futura mea est.

* * *

Hic erit; hic jurata manet: rumpantur iniqui:

inquit vir doctus : id unum male positum *vera querar*. Quid enim *vera* se questurum promittit? Scilicet ut pungat animum Cynthiæ. Id vero nunc magis agendum est, ut flectat etiamnum, si fieri possit, duram puellam. Ea vero hoc audito indignabitur potius, quam movebitur, ut mirum sit, si glorietur postea : « Vicimus! adsiduas non tulit illa preces.... Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis, Sed potui blandi carminis obsequio. » Repono : « Nam me non ullæ poterunt corrumpere tædæ, Quin ego *fida* tuo limine verba querar; » servato *verba* ex libris omnibus, *fida* scripto pro *vita*, de quo vitiorum genere Schraderus notavit in Emendationibus, pag. 71. Nullo novo amore se temeratum iri dicit, semper Cynthiæ addictum fido animo questurum. *Verba queri* habet Ovidius, Metam. IX, 304, et Noster, eleg. 5, 17. Denique *tuo limine* vel proprie intelligi potest, vel In amore tuo. Sic eleg. 13, 33, « Tu vero, quoniam semel es periturus amore, Utere; non alio *limine* dignus eras. » Haustum id a Græcis (vide Theocrit. Idyll. II, 59—61). Neque aliter atque *limen* hic, infra *domum* dicit II, 8, 14, « Improba, qui tulerim teque tuamque *domum*? » Et duplici sensu, ad exemplum Theocriti, propriam significationem cum nova hac conjungens, II, 1, 55, « Una meos quoniam prædata est femina sensus, Ex hac ducentur funera nostra *domo*. » II, 24, 24, « In primis una discat amare *domo*. »—Talia laudare non opus est, in quibus criticum pariter et interpretem agnoscis. Lege *fida verba* : raro tam bene cessit conjicientibus ingenium.

23. *Nec me deficiet rogitare*; Græca forma, ut frequentissimus in his Propertius est. *Nautas citatos*, interpellatos.

25. *Atraciis in oris*, Thessalicis. Atrax sive Atracia, urbs Pelasgorum in Thessalia. Conf. Strabon. IX, pag. 671, ed. Almel.—*Et licet Eleis*. Elis, in Achaia, cui famam Olympici ludi contulerunt. Sed recte videtur cum Beroaldo Burmannus *Autariis* vel *Autaricis* et *Issæis* corrigere. *Autariotarum*, in Illyrico, Strabo meminit, VII, pag. 313, qui et *Issam* memorat II, pag. 124, VII, pag. 315, ejusdem regionis urbem et insulam. Cæterum, ne puerilia tentemus ad hoc, quod solvere navis ab Ostiensi portu dicitur, quæ tenderet in Illyricum, talem viæ circuitum intelliget quisque de causa quam volet. —Ovidium confer, Amorr. II, 11.

27. *Hic erit*, etc. Posteriorem

Vicimus! adsiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor;
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego et per me carissima Roma
Dicitur; et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto
Et quocumque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis majora daturus,
Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,

hanc elegiæ partem, quam superiori conjunctam scripti Codices exhibent, *Kuin.* et Lachmann. separant, Lipsium sequentes Varr. Lect. II, 18, recto judicio. Illic dehortatur a navigando Cynthiam Propertius: hic lætatur dari sibi quod rogavit: sed hoc ut possit, respondisse puellam necesse est, mutari sibi sententiam suam; factam igitur suspensionem sentis esse, et ex intervallo nasci distinctionem carminis. — *Hic erit*, apud me, Romæ, Cynthia. — *Jurata*, ut etiam apud Ovidium habes, in notis citatum ad eleg. 6, 8. — *Rumpantur iniqui*, dolore et invidia. Sic *rumpi* idem Ovidius, Heroidd. VIII, 57, «Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt.»

29. *Cupidus livor*, mali, quod reputat, flagrans cupidine. — *Licet deponat*, pro simplici conjunctivo Deponat. Sic II, 22, 19; 26, 44; IV, 11, 5. — *Ire vias.* Vide ad eleg. 1, 18. *Novas*, ignotas, inexpertas antea sibi.

31. *Illi carus ego*, dicor scilicet; hoc latet in *Dicitur*. — *Et sine me dulcia regna negat. Regnum* intellige proprio sensu positum, nec te repetitio moveat, quæ mox erit vers. 35.

35. *Quam sibi dotatæ*, etc. *Parari* Marklandus ex altero versu retrahit: Quam sibi regnum Hippodamiæ parari. Burmannus, Quam *velit*, *optarit* sibi, etc. Nos verba *requiescere* et *esse* pro substantivis accipimus, quo facto nihil erit, quod in constructione suppleas: «Te requiescere mecum et meam esse maluit, quam regnum Hippodamiæ.» — *Dotatæ* cum aliis non ad Hippodamiam refero, quæ patre occiso regnum acceperit (supra el. 2, 19 sq.), sed *dotatæ sibi* Cynthiæ expono, si dotata ea fuerit. — *Equis*, Olympicis quadrigarum certaminibus, et omnis Græciæ ad ludos istos concursu. — *Ante*, olim.

37. *Quamvis magna daret;* iste, prætor. — *Sinus* et complexus meos.

39. *Hanc ego non auro*, etc. Tibull. III, 1, 7: «Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ.

Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo;
Quis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis :
Sive dies seu nox venerit, illa mea est,
Nec mihi rivalis certos subducit amores.
Ista meam norit gloria canitiem !

Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis. » Sed alios vide Propertii sensus, nec refragantem pecuniæ, despectis versibus, Cynthiam, II, 16, 11 sqq.

41. *Sunt igitur Musæ.* Eadem illa forma dictum, etsi contrarius sensus est, qua *nullos esse deos* Cynthia queritur el. 6, 8. — *Quis*, queis, quibus. — *Rara Cynthia*, dotibus, bonis omnibus instructa, quemadmodum in inscriptis lapidibus FEMINÆ RARISSIMÆ toties de mortuis legimus. *Mea est*, ut mox vers. 44.

43. *Nunc mihi summa licet*, etc. Notæ ejusmodi formæ sunt, quibus exsultantes animos poetæ significant.

45. *Subducit* MSS. plerique, *subducet* Broukhus. et Burmannus exhibent. Post *illa mea est*, præsens et hic melius ponitur. — *Certos amores*, immutabiles. — *Ista meam norit*, etc. *Canitiem* Propertius optat *notam isti gloriæ*, hoc est, quam habeat sibi cum ista gloria conjunctam. Sic II, 29, 38, *notum adulterio spiritum* intelliges, qui cum adulterio solet esse, spiritum.

IMITATIONES GALLICÆ.

17. *Sed quocumque modo*, etc. Magister apud nos artis poeticæ, vetus MALHERBE, *Stances*, lib. II (*Sur l'éloignement prochain de la comtesse de la Roche, ou de la vicomtesse d'Auchy*) :

Non, non; qu'elle s'en aille à son contentement,
Ou dure, ou pitoyable, il n'importe comment;
Je n'ai point d'autre vœu que ce qu'elle souhaite :
Et quand de mes souhaits je n'aurois jamais rien,
Le sort en est jeté, l'entreprise en est faite,
Je ne saurois brûler d'autre feu que le sien.

27. *Hic erit; hic jurata manet*, etc. Propertium sequitur ad usque finem carminis BERTIN, *Amours*, I, *élég.* 14, *A un ami* :

Ah ! c'en est trop : crois-moi, l'affreuse envie
Se hâte en vain de nommer mon vainqueur.

Le doux objet qui m'a repris son cœur
Me l'a rendu; c'est pour toute la vie!
Je défirais et les rois et les dieux
De m'enlever désormais sa tendresse :
L'éclat des rangs importune ses yeux;
L'olympe entier n'a rien qui l'intéresse;
Mon Eucharis aux titres orgueilleux
Préfère encor le nom de ma maîtresse.
Elle aime mieux, quand la rigueur du froid,
Durant la nuit, attriste la nature,
S'arranger même au bord d'un lit étroit,
Et partager mon humble couverture,
Que de régner sur cent peuples divers,
Ou d'étaler, aux rives de la Seine,
Plus de palais et de jardins ouverts
Que n'en eut Rhode, et Corinthe, et Mycène.
.....
O mes amis! dans son temple sacré,
Courons en foule adorer la déesse
Qui des amans me décerne le prix!
Oui, c'en est fait; ma dernière vieillesse
S'écoulera dans le sein d'Eucharis.
Mon Eucharis est à moi dès l'aurore;
Elle est à moi lorsque le jour s'enfuit;
Au crépuscule, et dans la vaste nuit,
Mon Eucharis est à moi seul encore.

39. *Hanc ego non auro*, etc. Conf. Le Brun, *Épîtres*, II, 9 :

L'ambre et l'or de Damis, son faste héréditaire,
Sans doute peut séduire une beauté vulgaire:
Mais l'esprit de Tibulle est plus cher à Vénus;
La Fare immortalise un regard de Caylus, etc

41. *Sunt igitur Musæ*, etc. Sic et *André* Chénier, *Fragmens :*

Mais, non, le dieu d'amour n'est point l'effroi des Muses :
Elles cherchent ses pas, elles aiment ses ruses.
Le cœur qui n'aime rien a beau les implorer,
Leur troupe qui s'enfuit ne veut pas l'inspirer.
Qu'un amant les invoque, et sa voix les attire :
C'est ainsi que toujours elles montent ma lyre.

43. *Nunc mihi summa licet*, etc. Usitatæ scriptoribus etiam nostris locutiones istæ sunt. Bernard, *Poésies diverses* (*épître à Laure*):

Moi, tout rempli de ma conquête,
Je levais mon front radieux;
J'atteignais les cieux de ma tête,
Et je surpassais tous les dieux.

ELEGIA IX.

AD PONTICUM.

ARGUMENTUM.

Vera se nuper prædixisse Pontico (vide not. 1): quidquid ridebat ille tam confidenter amantes, invenit et ipse vicem suam, nec vel servæ negat imperantis ferre jugum. Certissimas in hoc conjecturas suas esse; peritum illum satis nimiumque mala sua fecerunt. Ponat supervacuum de Thebis carmen Ponticus; Venerem dulcem decere lenia; studeat amator factus canere, quæ grata puellis legenda veniant. Parvus quidem hactenus et levis ignis est: ubi semel exarserit, cruciatum nullum fore, quem non libentius pati miser cupiat. Nec dubitare velit: acrius instat et urit femina, quæ, ut illa parata est, adsiduis suis nos adligat blanditiis. Amicum hortatur denique, ut omnia sibi ingenue fateatur.

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuo libera verba fore:
Ecce jaces supplexque venis ad jura puellæ,
Et tibi nunc quovis imperat emta modo.
Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere, quos juvenes quæque puella domet.

1. *Dicebam tibi venturos*, etc. Vide vss. 25—26 elegiæ 7, quæ ad eumdem Ponticum inscribitur. — *Libera verba*, quibus te jactabas amore liberum.

3. *Supplex ad jura venire*, ut *supplicibus palmis venire ad fœdera*, IV, 8, 71. — *Emta*, serva, ne ingenua quidem.

5. *Chaoniæ columbæ*, Dodonæum oraculum. Dodona in Epiro fuit, quam regionem tenuerunt priscis ætatibus Chaones. Ex eo fingitur esse data per columbas in Dodonæ luco responsa, quod lingua Thessala *Peliades* et columbæ et vaticinatrices vocantur. Servius ad Virgil. eclog. IX, 13.

Me dolor et lacrymæ merito fecere peritum :
Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen,
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero :
Carmina mansuetus lenia quærit Amor.
I, quæso, et tristes istos compone libellos,
Et cane quod quævis nosse puella velit.
Quid, si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.
Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni :
Hæc est venturi prima favilla mali.
Tum magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernæ vincula nosse rotæ,
Quam pueri toties arcum sentire medullis,

7. *Merito*, quod frigidum Burmanno visum erat, recte Lachmannus interpretatur, jure per labores multos quæsito.

9. *Grave carmen*, severum, epicum. — *Dicere. Ducere* Broukhus. et Burmann. scriptis adversantibus libris omnibus cum Heinsio dederunt. Illud ipsum *dicere* quater in paucis versibus repetitum legi notaveris.—*Amphioniæ mœnia lyræ*, Thebas Amphionis. Fabula ex notissimis est. *Flere mœnia* Thebarum, ut *flevisse* Virgilium *Culicem* dicit Martial. epigr. VIII, 56, 20. Propertius ipse, III, 9, 37, « Non *flebo* in cineres *arcem* sidisse paternos *Cadmi*. » (*Sidisse arcem in cineres paternos*, hoc est, quæ sidens traxerit patriæ ruinam : *paternus* pro *patrius*, ut IV, 2, 2. Dele notam ad III, 9, 37.)

11. *Mimnermus*, Colophonius, elegorum scriptor, qui paulo ante Solonem ac Solonis etiam temporibus floruisse creditur. Senex tibicinam amavit nomine Nanno, primusque pentametris versibus usus est, teste apud Athenæum, XIII, 8, Hermesianacte. Mimnermi Horatius meminit, epist. I, 6, 65. *Versus Mimnermi valet plus Homero*, plus Homeri versu, quemadmodum erat eleg. 1, 22, *Et facite illa palleat magis ore meo*, magis quam ego ipse. Sic et eleg. 19, 15, *Quarum nulla mihi fuerit tua forma gratior*, gratior te fuerit nulla mihi.

13. *Componere*, seponere, condere. *Tristes libellos*, fraternum illud triste bellum; eleg. 7, 2.

15. *Facilis* amandi *copia*.—*Nunc tu* fortunam satis non noris tuam. Reddit poeta proverbio sententiam.

20. *Nosse*. Vide eleg. 6, 24. *Infernæ rotæ vincula*, quibus tenetur ad rotam suam Ixion.

21. *Quam pueri*, Cupidinis (eleg.

Et nihil iratæ posse negare tuæ.
Nullus Amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata :
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor,
Qui non ante patet, donec manus adtigit ossa.
Quisquis es, adsiduas ah fuge blanditias!

6, 23), *toties arcum sentire*, repetitis pungi sagittis. *Totis sentire medullis* pro *toties* Broukhusius, Burmannus, Barthius, ex emendatione Dousæ frustra reponunt. — *Iratæ*. Amantis miserias narrat : nihil posse negare suæ. Cur vero *iratæ?* quasi et blande oranti obsequi non sæpe durum sit. Quin irata si poscit, amanti dulce est, redintegratum ita amorem iri speranti. Errorem librariis Propertianis perquam familiarem agnosco, ita corrigendum, « Et nihil *ingratæ* posse negare tuæ. » *Ingratæ*, quæ beneficiis tuis tamen nullam habeat gratiam. Vel, si mavis, *ingrate :* Nihil negare poteris, sed ingrate servies. Lachmannus. — *Tuæ*. Vide not. ad el. 5, 3.

23. *Nullus Amor*, etc. nobis Amor numquam ita facilis est, ut non bonis suis permisceat mala. Scilicet cum Meleagro (cujus epigrammata vide LV, LIX) amatoris ψυχὴν sibi fingit alatam, quam evolare tentantem alterna manu premit ac retinet Amor.

25. *Quod sit satis illa parata*, voluptatis ita commodæ. — *Acrius illa subit*, penetrat, medullis subrepens.

27. *Quippe ubi*, etc. Vulgo : « Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos, Nec vigilare alio nomine, cedat Amor? » Vincetur et abibit Amor, si, quam deperis, continuo præsentem habeas? Distinctione mutata, *cedere* cum Lachmanno pro *concedere* positum (de quo Bentleius ad Horat. epist. II, 1, 67) melius erit interpretari. Non enim hic (Lachmanni sunt ipsius verba) « id agit poeta, ut Amorem, si se det puella, loco semel occupato cedere neget, sed acrius subire contendit, non fieri lenem et facile ferendum. » *Vacuos ocellos*, amata scilicet imagine. *Vacuum pectus* ita nude ponit el. 10, 30; *vacuos amantes* III, 17, 11. — *Alio nomine*, alia de causa, nisi propter sauciam mentem.

29. *Qui non ante patet* manifestus, *donec manus adtigit ossa*, quam adhæreant ossa cuti, nobismet ipsis tangenda manu. Insuavis profecto talis imago est, quam ne Propertium tamen dedecere cogites, aliam hanc habebis non multo magis placituram, II, 14, 12, « Dicebar sicco vilior esse lacu. » — *Ah fuge*. Codices *aufuge;* hoc lingua non admittit. *Ah fuge*, quod scriptæ lectioni quam proximum

Illis et silices possunt et cedere quercus;
Nedum tu possis, spiritus iste levis.
Quare, etsi pudor est, quam primum errata fatere :
Dicere, quo pereas, sæpe in amore levat.

est, *Kuin*, et Lachmann. ex emendatione Boltii recte dederunt.

31. *Illis*, etc. Ita melioribus numeris hunc versum sistit liber Groninganus. Vulgo : « Illis et silices et possunt, etc. » — *Nedum tu possis* illis non cedere. *Spiritus iste levis*, humanus iste levis animus.

33. *Etsi pudor est.* Lachmannus ad hoc : Libri meliores cuncti, *si pudor est*. Id Marklandus ita interpretatur cum Passeratio : « si quid pudoris reliquum habes ; nisi id facias, te impudentissimum dicam. » At impudentiæ non magis quam pudoris est fateri amorem suum. Possis et hoc modo accipere : « si pudet te errati tui. » Sed causa quidem nulla erat, cur quorum puderet fatentem audire Propertius mallet. *Ni pudor est*, quod in interpolato Codice legitur, Dousa reposuit, hoc sensu, Si puderet Ponticum, ut ne fateretur erratum. Quid vero, si sic quoque scire volebat Propertius ? Et voluisse, ex eo, quod subjecit, adparet : « Dicere, quo pereas, sæpe in amore levat. » Nam etiam in pudendo amore id levat. Repone : « Quare, *et* si pudor est, quam primum errata fatere. » Etsi pudet te fateri, inquit, tamen dicito. — Necessariam nobis visam correctionem sequimur, nec magnam esse licentiam senseris, ubi tam facile possit elisa vocula *et* in proximo Quare periisse.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Dicebam tibi venturos*, etc. Scriptor amoris eximius, J. J. Rousseau, *Nouvelle Héloïse, V^e partie, lettre* 13 : « Tu es prise, pauvre « cousine ; tu ne peux plus t'en dédire. Malgré l'augure de la Chaillot, « cette Claire si folle, ou plutôt si sage, n'a pu l'être jusqu'au bout.... « Mon tour de rire est-il donc venu ? »

7. *Me dolor et lacrymæ*, etc. Hoc eodem loco : « C'est mon tour main- « tenant, ma douce amie ; et j'ai de plus, pour me faire écouter, la triste « autorité de l'expérience. »

Neque aliter *André* Chénier, *élégie V* :

Ah ! mon œil est savant, et depuis plus d'un jour ;
Et ce n'est pas à moi qu'on peut cacher l'amour.

34. *Dicere, quo pereas*, etc. Idem Chénier, *Fragmens* :

. . . le fiel d'amour s'adoucit par la plainte :
Soit que le jeune amant raconte son ennui
A quelqu'ami jadis agité comme lui ;
Soit que seul, etc.

ELEGIA X.

AD GALLUM.

ARGUMENTUM.

Testis admissus nocti, qua vidisse Gallum in sinu puellæ suæ contigerat, lacrymas, complexus, ardores illorum mutuos, meminisse gaudet et enarrat Propertius. Mox, ut animum sibi gratum esse probet, et amicitiæ solvat amicitia præmium, quid in amore peritia sua possit, illum edocet, et præcepta quædam tenenda subjicit: Adversari nolit dominæ, quam morosam senserit; tristitiam ipse caveat; æstimet pretio suo benigna quæcumque verba, etc. Iratam non facile placari, cujus voluntatem læsimus, nec nisi subjectis et humilibus servari bona Veneris.

O JUCUNDA quies, primo quum testis amori
Adfueram vestris conscius in lacrymis!

1. *Primum amorem* intellige, primam hujus amoris tui voluptatem; vel, quem primum amorem verum expertus es: cf. eleg. 13. Posuerat enim in rebus istis diu jam ante Gallus tirocinium: vide supra eleg. 5.—*Adfueram*, adfui. Permutat hoc modo sæpissime tempora verbi Propertius. Ita mox eleg. 11, 28, *dabant* pro dederunt; ibidem vs. 29, et IV, 5, 69 (ubi vide), *fuerant* pro fuerunt. Neque aliter infra eleg. 12, 11, « Non sum ego, qui *fueram*; » el. 15, 1, « Sæpe ego multa tuæ levitatis dura *timebam*; » el. 19, 7—10, « Illic Phylacides jucundæ conjugis heros Non *potuit* cæcis immemor esse locis; Sed.... Thessalis antiquam *venerat* umbra domum; » III, 13, 35 (insignis locus est), de agresti ætate aurea, « Hinnulei pellis totos *operibat* amantes, Altaque nativo *creverat* herba toro; Pinus et incumbens latas *circumdabat* umbras, Nec *fuerat* nudas pœna videre deas; Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam Dux aries saturas ipse *reduxit* oves; Dique deæque omnes, quibus est tutela per agros, *Præbebant* vestris verba benigna focis; » IV, 6, 65, « quantus mulier

O noctem meminisse mihi jucunda voluptas,
O quoties votis illa vocanda meis!
Quum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus, et longa ducere verba mora.
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis cælo Luna ruberet equis,
Non tamen a vestro potui secedere lusu;
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissæ munera lætitiæ.
Non solum vestros didici reticere dolores:
Est quiddam in nobis majus, amice, fide.
Possum ego diversos iterum conjungere amantes;
Et dominæ tardas possum aperire fores;
Et possum alterius curas sanare recentes;
Nec levis in verbis est medicina meis.

foret una triumphus, Ductus *erat* per quas ante Jugurtha vias! » Quin et in infinitivis eadem forma est: *domuisse* pro domare habes eleg. 1, 15; *evoluisse*, evolvere, el. 7, 16; *fugisse*, fugere, el. 17, 1.—*Conscius in lacrymis*, ut Cic. ad Attic. I, 18, « qui mihi et in publica re socius, et in privatis omnibus conscius... esse soles. »

5. *Quum te*, etc. Hujus particulæ *quum* frequens in poeta nostro talis usus est: vide not. ad IV, 10, 40. — *Morientem*, destitutum sensibus. — *Et longa ducere verba mora*, nec nisi silentem diu moratum, ægre verba demum trahere.

7. *Labentes ocellos*, ut *labsi somno ocelli* sunt, II, 15, 7.—*Luna ruberet*, micaret. *Luna rubens* etiam Horat. Carm. II, 11, 10.—Mihi totus hic locus revocat in animum, quæ habet Rousseau, *Nouvelle Héloïse*, Ire *part. lettre* 38, « Dieux! « quel ravissant spectacle, etc. »

12. *Munera*, mercedem, remunerationem, *commissæ*, concreditæ mihi, *lætitiæ*.

13. *Dolores*. Quidquid vir doctus (*Kuinoel*) vocabulum de amore solemne esse dicat, ne dubita, quin alienam et falsam hoc loco significationem *dolores* inferant. *Lacrymæ* quidem sunt, ut vers. 2, quas cum voluptate fundimus: in *doloribus* autem præter malum sentimus nihil. Bene corrigunt critici: « Non solum vestros didici reticere *calores*. » — *Majus*, præstantius ea *fide*, quam tenere scio.

15. *Diversos amantes*, discordes, infensos. — *Tardas dominæ fores*, obsistentes amatori.

17. *Recentes curas*, novas adhuc,

Cynthia me docuit semper, quæcumque petenda
Quæque cavenda forent : non nihil egit Amor.
Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellæ,
Neve superba loqui, neve tacere diu ;
Neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris ;
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa,
Nec meminit justas ponere læsa minas :
At quo sis humilis magis et subjectus amori,
Hoc magis effecto sæpe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

non inveteratas : *cura*, ut eleg. 1, 36. Falso *Kuinoel* amorem interpretatur, quem primum juvenis conceperit.

20. *Non nihil egit*, adjuvit *Amor*, quo peritus fierem.

21. *Ne cupias pugnare :* vide not. ad eleg. 1, 15. *Pugnare*, cum tertio casu junctum, ut IV, 7, 79; Virgil. Æneid. IV, 38. — *Tacere*, morosum se gerere; proprie quod verbum nostrum est *bouder*.

24. *Neu tibi* spreta, inaudita *pro vano cadant benigna verba*, quibus adloqui, rogare te dignabitur.

25. *Irritata venit.* Conf. eleg. 5, 32. — *Nec meminit minas ponere.* Explico : Et est minarum, quas non ponat, memor. *Læsa*, ut est læsa.

28. *Effecto.* Hoc Lachmannus revocat, quod in scriptis libris est, pro vulgari *effectu.* Promiscue, ait, illa vocabula usurpari consuerunt, parva ab initio differentia significationis discriminata, ut *effectus* temporis præsentis esset, *effectum* autem præteriti : item de *eventu* et *evento*.

29. *Poterit remanere*, manere, ut *retinere*, tenere, II, 29, 5. De verbo *posse* dictum ad eleg. 1, 15. — *Vacuo pectore :* vide ad el. 9, 27. — *Liber*, liberatus amore.

IMITATIONES GALLICÆ.

21. *Tu cave, ne tristi*, etc. Ejusmodi præcepta sunt, quæ pluribus verbis tradit *André* Chénier, *Fragmens d'un poëme sur l'Art d'aimer :*

Souvent tes doux projets, médités à loisir,
D'avance destinaient la journée au plaisir :
Non, elle ne veut pas : d'autres soins occupée,
Tu vois avec douleur ton attente échappée.

Surtout point de contrainte : espère un plus beau jour.
Imprudent, qui fatigue et tourmente l'amour!
Essaie avec les pleurs, les tendres doléances,
De faire à ses desseins de douces violences.
Sinon, tu vas l'aigrir; tu te perds : la beauté,
Je te l'ai fait entendre, aime sa volonté.
Son cœur impatient, que la contrainte blesse,
Se dépite : il est dur de n'être pas maîtresse.
Prends-y garde : une fois le ramier envolé
Dans sa cage confuse est en vain rappelé.
Cède, assieds-toi près d'elle; et, soumis avec grace,
D'un ton un peu plus froid, sans aigreur ni menace,
Dis-lui que de tes vœux son plaisir est la loi.
Va, tu n'y perdras rien; repose-toi sur moi :
Complaisance a toujours la victoire propice.

Conf. BERNARD, in carmine suo *l'Art d'aimer*, lib. I :

Par son respect l'amant vrai se déclare :
C'est lui qui craint, qui se fuit, qui s'égare,
Qui d'un regard fait son suprême bien,
Désire tout, prétend peu, n'ose rien;
Qui sur les fleurs fait marcher la constance,
Voit tout en beau, met tout en jouissance;
Dans les revers, armé de plus de feux;
Dans les faveurs, empressé quoique heureux.

Lyricus ROUSSEAU, *Cantate d'Adonis*,

Un cœur jaloux ne fait paraître
Que des feux qui le font haïr,
Et pour être toujours le maître,
L'amant doit toujours obéir.

L'Amour ne va point sans les Graces;
On n'arrache point ses faveurs :
L'emportement ni les menaces
Ne font point le lien des cœurs.

ELEGIA XI.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Versantem Baiis Cynthiam et amœnitate loci fruentem rogat sollicitus poeta, num adhuc sui memor sit, an non implicata deliciis, ut est, levitatem facilius et infidiam prætulerit. Utinam satis illi sint, quos admittit pudor innoxios lusus! quibus delectantur sine damno feminæ! Amatorum illa blanditias arceat! peccare multas, ubi custodem jam habeant nullum. Objectari quidem posse nil quidquam Cynthiæ : sed amorem esse natura timidum, et ignoscendum verbis esse, quæ talia timor suggerit. Puellam sibi dilectissimam, unicum sibi bonum, lætitiæ sibi causam omnem et mœroris prout libet, hortatur, quam primum Baias deserat, litus quod infestum castis bene concordes animos sæpe disjunxerit.

ECQUID te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua jacet Herculeis semita litoribus,

1. *Ecquid*, etc. Constructio est: « Dum cessas Baiis (qua jacet, etc.), et modo Thesproti regno æquora subdita miraris, quæ Misenis proxima sunt, ecquid te cura subit nostri memores noctes ducere? » *Cessare*, otiari, molles dies agere. — *Baiæ*, ad mare, in Campania, quarum laudant passim Romani scriptores aquas et amœnum situm. *Baias* Itali quondam habuerunt, uti nos urbes illas nostras, *Vichi*, *Bagnères*, etc. in quibus gaudia non minus, quam male sano corpori medicinam, quærimus. *Medias* vult eas dici *Kuinoel*, quod Misenum inter et Puteolos fuerint: noli credere : ornat adjectivus iste sententiam, vi positus fere nulla. Sic *medios campos*, *mediam viam* toties dicimus, et *medias Thebas*, si res adcuratius esset probanda, Ovidius habet Metam. XIII, 692. — *Herculeum litus*, in quo *semitam*, viam (IV, 8, 60), Hercules muni-

Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis æquora nobilibus,
Nostri cura subit memores ah ducere noctes? 5
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis

vit, Geryonis boves quum raptos duceret. *Jacere*, esse, de via, quomodo et Ovidius, Trist. IV, 7, 22. —*Et modo*, etc. In hoc Scaligeri Codicem Bronkhus. Barth. *Kuin.* male sequuntur, *Et modo* iterantes: « Et modo Thesproti mirantem subdita regno *Et modo* Misenis æquora nobilibus, » subjecta Puteolis et Misenis æquora. Formam istam non examino, quæ regioni et urbi (*Thesproti regno* et *Misenis*) facit mare subditum: *Proxima Misenis æquora* scripti cæteri libri agnoscunt sensu rectissimo; satis erat, cur præferri debuerit. *Et modo* semel positum, et plane ut hic est, habebimus infra III, 14, 15. *Thesproti* nomen vere corruptum puta; erit enim explicatio nimis incommoda, si regnum Abantum memorari concedimus, a Thesprotia Epiri (cui dedit nomen Thesprotus) in Campaniam transmissorum. Sensit Parrhasius vitium et feliciter sustulit, quocum legimus, « Et modo *te Protei* mirantem subdita regno Proxima Misenis æquora nobilibus, etc. » Proteus enim ad Capreas, portui Miseno et Baïis vicinas, sedem habere fingitur: vide Sil. Ital. VII, 409—421. — Promontorium *Misenum* ab Æneæ tubicine Miseno dictum meminimus.

6. *Ecquis in extremo*, etc. Mire dictum sane hoc est, nec habent scriptores ejusmodi permulta. Nihilominus cum Lachmanno tueor, ferente lingua, ut opinor, talem ejus interpretationem: Ecqua mihi parva amoris tui pars residua est? non magnum in me amorem tuum esse scio: sed ecquisnam in eo mihi locus est? *Extremum* pro minimo Propertius usurpat eleg. 4, 11, et Nemesianus, Cyneg. 231, Statiusque, Silv. I, 2, 100. *Kuinoel* « Ecquis in *externo* restat amore locus? » de Passeratii conjectura edidit, quod quali modo sit intelligendum, Lachmannus bene judicat non satis perspici.

7. *Nescio quis.* Dulciorem versum facimus, *nescio qui* scribendo: sequitur *simulatis*, cujus prima litera adhæsisse possit pronomini. Cæterum negligentiæ magis etiam intolerandæ exempla sunt IV, 1, 138; 10, 20. Contemtum hæc loquendi forma significat, non dissimilis ab ea, qua dici vidimus *quicumque est* el. 8, 3. — *Hostis*, rivalis. — *Te sustulit e nostris carminibus*, mutatam non amplius celebrandam mihi.

9. *Mage* pro magis, ut III, 14, 2; IV, 8, 16; et *pote* pro potest, II, 1, 46. —*Parvula cymba minutis remis confisa*, cujusmodi lintribus per aquas nostras vehi nobis etiam

Parvula Lucrina cymba moretur aqua;
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternæ facilis cedere lympha manu;
Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam!
Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.
Non quia perspecta non es mihi cognita fama;
Sed quod in hac omnis parte timetur amor.

nunc voluptas est.—*Aqua Lucrina*, Lucrino lacu, de quo Heynius ad Virgil. Georg. II, 161.—*Te moretur*, te teneat. Sic III, 9, 36, *moram* Propertius posuit, locum significans qui rem tenet. Neque aliter nos *séjour* et *séjourner* de loco dicimus pariter ac de tempore.

11. *Teuthras*, sive fluvius, sive fuerit euripus Baiis vicinus, vestigia sui reliquit nulla, et alibi nusquam scriptoribus memoratur. Hoc solummodo, canentem Cumanum quemdam Teuthrantem Silius inducit XI, 288, qui solet a fluviis ficta sibi hominum deducere nomina. — *Lympha* te *in unda teneat*. Rara fateor esse, quæ tam inepta veniant in mentem scribenti: ne tamen dubites, quin vere Propertius ita dederit, simillimum est nec melius, quod Etrusca *pulvis* contegere *solo* nullo mortuum dicitur el. 22, 6—8. Vide et III, 17, 7 sq. IV, 9, 24. — *Clausam*, obtentis velis balneo, quo luderet illa natans, moveret *alternam manum*. — *Lympha cedere facilis*, ut *facilis spargi rosa*, IV, 8, 40. — *Manu* pro manui; exempla in promtu sunt: sic *curru* Virgil. eclog. V, 29, et Æneid. III, 541; *adspectu* Æneid. VI, 465; *partu* Propertius, eleg. 13, 30; *pinu* II, 19, 19.

13. *Quam vacet*, libeat, otium tibi sit.—*Susurri*, blanditiæ, tenues et molles amantium voces. Horat. Carm. I, 9, 19, «Lenesque sub noctem susurri Composita repetantur hora.»—*Compositam*, cum isto positam, jacentem.

15. *Labi*, peccare, figura petita ex eo, quod *labi* dicitur *fides*.—*Amoto custode*. Custodem hic satis clare semet ipsum poeta significat (vide vs. 21), puellis quales adpositi servi memorantur iterum II, 23, 14, III, 8, 13. Notæ hac ætate nostra feminæ illæ sunt, quarum cessit nomen in proverbium, apud Hispanos idem officium asperrime fungentes.—*Communes deos*, amatori pariter et amicæ juratos.

17. *Non quia*, etc. non quia te fama tua non satis commendat, non quia non te facit nomen tuum certissimam mihi. *Perspecta fama*, egregia, integra.—*Sed quod*, etc. Lachmannus adnotat: Iste versiculus loci suavissimi sententiam penitus intervertit. Quid enim dicit? Ideo se Cynthiam Baiis versari nolle, quod in hac parte timeatur omnis amor. Quærendum, *in hac*

Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Adtulerint nostri : culpa timoris erit.
Ah ! mihi non major caræ custodia matris
Aut sine te vitæ cura sit ulla meæ.
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.

parte quid sit. Si locum intelligit, Baias, *omnis* caret sensu : timet amator absens, ne suo amori externus noceat, omnem amorem non timet. Sin ad fidem refers, *omnis amor* erit, vel certissimus : ei timetur sane, at non timetur ipse amor. Repone : « Non quia perspecta non es mihi cognita fama ; Sed quod in hac omnis parte *veretur* amor. » In hac parte (fidem dicit) omnis amor timidus est. *Vereri* absolute positum, ut apud Terent. Adelph. IV, 5, 64, et V, 3, 42. *Omnis amor*, amoris eam esse naturam significans.—Egregie profecto disserta ea sunt, nec video quid jure possit objici. Cogitabimus fortasse tamen, agnoscendum hic vitium esse, quo tenetur Propertius, dictionis obscuritatem, dum verbis adfingit reconditos sensus, ut non videatur nimis temere factum, si dederimus loci talem interpretationem : « Sed quod *in hac parte*, quod feminarum constantiam adtinet, *omnis amor*, vel expertæ fidei puella, *timetur* nobis, nobis timori est, ne scilicet fidem istam exuat. » Commentum judicabunt venturi post nos editores : hactenus defendimus illud nequidquam, nec mirabimur, si plerique necessarium æstimabunt cum Lachmanno corrigere.

19. *Libelli*, versus isti mei.—*Culpa timoris erit.* Vir summus, Corneille, in tragœdia sua de Theodoro, « Tout fait peur à l'Amour : c'est un enfant timide. » Jam, cum toto loco Propertii conferas licet quæ apud Ovidium Hero, epist. XIX, 107 : « Nec quia venturi dederis mihi signa doloris, Hæc loquor, aut fama sollicitata nova. Omnia sed vereor : quis enim securus amavit? Cogit et absentes plura timere locus. »

21. *Ah! mihi*, etc. Ita Lachmannus bene reposuit. Libri meliores, cum iisque Regii nostri, *An mihi non major caræ*, etc. sensum Propertio plane contrarium volente. *An mihi sit major*, etc. Barthius et *Kuin.* ediderunt, Codicibus quidem addicentibus, sed levioris auctoritatis. *Ah! mihi non sit*, non erit, non foret : nota forma est. *Matrem* suam nominat, pater quum jam sit mortuus. Vide ad IV, 1, 127.

23. *Tu mihi*, etc. Sic et Ovid. in epistola Briseidis (Heroidd. III, 51), « Tot tamen amissis te compensavimus unum : Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras. » Flaccus Valerius, III, 323 : « Tu, mihi qui conjux pariter fraterque parensque Solus, et a prima fueras spes una juventa, etc. » — *Omnia tu nostræ*, etc. Passeratius exponit : « Quocumque tempore lætamur, id tibi omne acceptum ferimus. » Immo potius :

Seu tristis veniam seu contra lætus amicis,
Quidquid ero, dicam : Cynthia causa fuit.
Tu modo quam primum corruptas desere Baias :
Multis ista dabant litora dissidium,
Litora, quæ fuerant castis inimica puellis.
Ah pereant Baiæ, crimen amoris, aquæ!

« Tu lætitiam nobis et facis et aufers; tu es omne momentum lætitiæ meæ, bona et adversa nostræ lætitiæ tempora. » Nam *tempus* ut fortunam adversam significat (vide Manut. ad. Cic. ad Div. I, 9), ita pro secunda quoque fortuna dicitur (Valer. Flacc. I, 543). Ut hic Noster, indefinito sensu ponit Lucretius, V, 1275 : « Sic volvunda ætas commutat *tempora* rerum : Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore, etc. » Lachmann. — Recte : explicationem Propertius ipse confirmat in seq. disticho. Et supra etiam, ni fallor, el. 7, 8, ad eumdem sensum rediges, quod *dura* se queri narrat *ætatis tempora*, acerbam interpretans conditionem vitæ.

25. *Seu veniam*, seu videar, seu me tristem lætumve amicis ostendam. *Venire*, esse, sentiri, ut poetæ sæpius. Dictum ad eleg. 5, 32. Potes et proprio sensu *venire ad amicos* interpretari, *venire* cum tertio casu junctum, ut *ire* eleg. 15, 8, quod utrumque referas ad notata IV, 11, 102.

28. *Dabant*. Vulgo *dabunt*. Tenendam esse cum scriptis duobus præteriti formam sequens *fuerant* ostendit, quod exhibent libri omnes. Vide not. ad eleg. 10, 2. — *Dissidium*. *Discidium* scribit *Kuin*. de Burmanni sententia : perperam : ex eo quod abiit Cynthia, discidium inter amantes factum est; nunc timet Propertius, ne capta novis amoribus a se dissideat, ne veniat *dissidium* ex *discidio*.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Ecquid te mediis, etc. André* Chénier, *élégie III*,

Oui, cette longue route, et ces nouveaux séjours,
Je craignais.... Mais enfin mes lettres, nos amours,
Ma mémoire, partout sont tes chères compagnes.
Dis vrai : suis-je avec toi dans ces riches campagnes
Où du Rhône indompté l'Arve, trouble et fangeux,
Vient grossir et souiller le cristal orageux?

Conf. Chaulieu (tom. II, pag. 139, edit. Paris. 1825), levia cujus non destituta sunt venustate carmina : puella est, quæ puellam rogat :

Dans Athis où tu te plais tant,
Dans ce riant séjour où la simple nature

Brille d'un aspect éclatant;
Où la rivière en se jouant
Promène de longs flots d'argent
Sur mille tapis de verdure;
Dans ce lieu si propre aux plaisirs,
T'échappe-t-il quelques soupirs
Pour l'amant qui t'avait su plaire?

7. *An te nescio quis*, etc. CHÉNIER in eadem elegia :

Eh bien! sont-ils bien tous empressés à te voir?
As-tu sur bien des cœurs promené ton pouvoir?
Vois-tu tes jours suivis de plaisirs et de gloire,
Et chacun de tes pas compter une victoire?
Oh! quel est mon bonheur, si, dans un bal bruyant,
Quelque belle tout bas te reproche en riant
D'un silence distrait ton ame enveloppée,
Et que sans doute ailleurs elle est mieux occupée!
Mais, dieux! puisses-tu voir, sous un ennui rongeur,
De ta chère beauté flétrir toute la fleur,
Plutôt que d'être heureuse à grossir tes conquêtes;
D'aller chercher toi-même et désirer des fêtes,
Ou sourire le soir, assise au coin d'un bois,
Aux éloges rusés d'une flatteuse voix,
Comme font trop souvent de jeunes infidèles,
Sans songer que le ciel n'épargne point les belles.

19. *Ignosces igitur*, etc. Puella apud TISSOT, *Poésies érotiques, première partie* (*le Raccommodement*),

Pardonne-moi, disait ta voix touchante :
On est craintive alors qu'on est amante.

23. *Tu mihi sola domus*, etc. RACINE, *Iphigénie*, act. III, scen. 5; Achillis opem filiæ suæ Clytæmnestra orat :

Elle n'a que vous seul : vous êtes en ces lieux
Son père, son époux, son asile, ses dieux.

ROUSSEAU, *Nouvelle Héloïse*, Ire *partie*, *lettre* 55 : « O ma charmante « maîtresse! ô mon épouse, ma sœur, ma douce amie! que j'aurai peu « dit pour ce que je sens, après avoir épuisé tous les noms les plus chers « au cœur de l'homme! »

27. *Tu modo quam primum*, etc. BERTIN, *Amours*, I, *élégie* 10 :

O bains de Spa, source impure et funeste,
Puissent les vents et la flamme céleste
Vous engloutir sous vos marbres rompus!
Aux tendres cœurs vous causez trop d'alarmes.
Que d'amours vrais et de pudiques charmes,
Dans leur saison, vos eaux ont corrompus!

ELEGIA XII.

AD AMICUM.

ARGUMENTUM.

Poetam videtur amicus invitavisse, ut rusticatum accederet sibi; cunctantem deinde risisse, quem in urbe retineri crederet amoribus suis. Falli respondet eum mœrens Propertius : discessum et absentiam se queri Cynthiæ (Baiarum iter, de quo eleg. 11, forte significat); inconstantem illam via factam esse; quæ huc usque nescierit, advenisse sibi mala. Felix, mutatam si quis relinquere et ipse valet! In se dissolvi non posse fidem : primam fuisse sibi, ultimam sibi fore Cynthiam.

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano;
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.

2. *Quod Roma nobis faciat moram*, nobis hujus moræ *conscia*; ita formandus locus est; quippe quam habere cogitas, quibus tenear, amores meos.

3. *Illa*, Cynthia, quomodo familiare loqui amantibus est : vide modo eleg. 8, 28, et 14, 9.—*Tam multa millia*, tot millia : eadem forma est el. 4, 1; II, 6, 6; 8, 13; III, 22, 1. — *Quantum*. Necessariam Lachmannus bene monet futuram fuisse, quam critici probarunt, emendationem Heinsii *Quanta*, si concepta sine verbo sententia esset; nunc posse Codicum teneri scripturam. Livius, XXII, 1 : « matronæque, pecunia collata, *quantum* conferre cuique commodum esset, etc. » — *Hypanis*, Sarmatiæ fluvius, quem Borysthenes excipit. Est et Indiæ fluvius ejusdem nominis. — *Dissidet*, dissitus est, remotus. Ita etiam Virgil. Æneid. VII, 370.

6. *Nec nostra dulcis in aure so-*

Olim gratus eram : non illo tempore cuiquam
  Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiæ fuimus : num me deus obruit, an quæ
  Lecta Prometheis dividit herba jugis?
Non sum ego, qui fueram : mutat via longa puellas.
  Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
  Cogor, et ipse meis auribus esse gravis.
Felix, qui potuit præsenti flere puellæ :
  Non nihil adspersis gaudet Amor lacrymis;
Aut si despectus potuit mutare calores :

nat. Si de quodam absente multum inter nos agitur, tinnire dicimus illi debere aures suas : eadem veteribus opinio fuit, quam judicat Burmann. hic significari, ut aures queratur Propertius de Cynthia sibi referre nihil boni. Malim cum Broukhusio puellam accipere, dulces garrientem nugas in aure poetæ sui : Non amplexibus jam fruor Cynthiæ; non sonat, ut prius, ad aures meas vox ejus blandiens. Sed sive hanc aut illam explicationem sequaris, orationi vitium inesse Lachmannus contendit. *Sonat dulce*, ait, « quid sit intelligo : non, quid *dulcis sonat*. Aut *Cynthiæ* epitheton *dulcis* est : id vero alieno loco ponitur, quum jam præcesserit *illa* : » et emendat vir doctus locum, « Nec mihi... nutrit amores Cynthia; nec nostra dulcis in aure *sonus*. » Vulgatam lectionem fateor posse grammaticis non satis rectam videri : sed in auctore, qui, solitis obsistentibus linguæ regulis, tam multa ausus est, ferendum hoc, non mutandum censeo; nec valde miror, si *dulcem* in aure *sonare* sibi Cynthiam Propertius dixerit, dulcem significans esse sibi Cynthiam, quum sibi sonat in auribus.

9. *Num.* Ita Codices. Broukhus. et Barth. ex emendatione Guyeti *an me deus*, etc. Post *obruit* noli ponere signum interrogandi; construitur enim hoc modo sententia : « Deus me obruit, an dividit herba nos lecta de Caucaso? » *Num....an*, ut *an* præcedente *ne* habuimus el. 8, 2. — *Quæ* pro aliqua positum. — *Herbam* intellige, vi magica præditam, quam Promethei genuerit cruor, quum tunderet illi vultur suus viscera.

13. *Cognoscere.* Vide not. ad el. 6, 24. — *Et ipse meis auribus esse gravis;* dum gemo, dum queror miser, somno carens. Locutio non valde suavis est.

15. *Flere* cum tertio casu junctum, ut in iis Tibulli conferendis, I, 10, 63, « quater ille beatus, Cui tenera irato flere puella potest! »

17. *Aut si*, etc. Præcessit *Felix qui* : ne propter hoc tentes *Aut qui* reponere, simili forma dictum habes II, 24, 47, « Dura est *quæ*...

Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est :
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit. 20

Et *si qua.* »—*Transferre* alio *servitium*, calores mutare, ut in superiore versu erat. *Servire* dicimus eum, quem sibi subjectum puella tenet. Versiculum 16 interjectum hoc modo sententiæ accipies : Felix, cujus lacrymas amica præsens excipit (nam gaudet Amor non nihil fletibus) ; aut si despectus potuit, etc.

IMITATIONES GALLICÆ.

7. *Olim gratus eram*, etc. PARNY, lib. II, *Retour à Éléonore :*

Ah ! si jamais on aima sur la terre,
Si d'un mortel on vit les dieux jaloux ;
Ce fut alors qu'assuré de vous plaire,
J'étais heureux, et l'étais avec vous.

9. *Invidiæ fuimus*, etc. QUINAULT, *tragédie lyrique d'Isis*, act. III, scen. 2 :

J'aimais, j'étais aimé : mon sort était trop doux.
Dieux tout-puissans ! ah ! vous étiez jaloux
De la félicité que vous m'avez ravie.

13. *Nunc primum longas*, etc. BERTIN, *Amours*, II, *élégie* 2 :

Je vais donc maintenant, tel qu'un ramier sauvage,
Qui, sur le rocher nu, lamente ses ennuis,
Seul, dans un lit désert déplorant mon veuvage,
Mesurer tristement le cercle entier des nuits !

15. *Felix, qui potuit præsenti flere puellæ.* Interpretatur sententiam *André* CHÉNIER, *élég. III*,

Mais pleurer est amer pour une belle absente :
Il n'est doux de pleurer qu'aux pieds de son amante,
Pour la voir s'attendrir, caresser vos douleurs,
Et de sa belle main vous essuyer vos pleurs ;
Vous baiser, vous gronder, jurer qu'elle vous aime,
Vous défendre une larme, et pleurer elle-même.

Adde BERTIN, *Amours*, II, *élégie* 1,

Heureux l'amant quitté de sa maîtresse,
Qui la rencontre, et qu'elle voit pleurer !

17. *Aut si despectus*, etc. Idem, ibidem, *élégie* 2 :

Du moins l'amant trahi d'une beauté cruelle,
Qui, ne pouvant fléchir ses injustes mépris,
Se venge en l'imitant, forme une amour nouvelle,
D'un regret moins amer voit ses beaux jours flétris;
Mon sort à moi, mon sort, en perdant Encharis,
Est de ne pouvoir plus aimer une autre qu'elle.

Le Brun, *Élégies*, IV, 5, hortante Amore, ut infidam infidus imitetur dominam, negat se posse vel proditum mutari :

Il me disait encore (l'Amour) avec un ris moqueur,
« Imite l'infidèle, et maître de ton cœur
« Choisis des yeux plus beaux, cherche un plus doux empire;
« Avec les jeux badins suis Cléone et Thémire;
« Vole oublier Églé dans leurs bras amoureux. »
Moi l'oublier ! Amour, tu connais trop mes feux.
Un cœur rempli d'Églé peut-il voir d'autres charmes?

La Fontaine, *élégie III* :

Hier encor, ne pouvant maîtriser mon courage,
Je dis sans y penser : Tout changement soulage;
Amour, viens me guérir par un autre tourment.
Non, ne viens pas, Amour, dis-je au même moment;
.....
Ma cruelle me plaît; non, ne viens pas, Amour.

18. *Sunt quoque translato gaudia servitio.* Parny, lib. IV, eleg. 4, semper elegans in simplicitate sua,

Bien insensé celui qui, près des belles,
Perd en soupirs de précieux instans :
Tous les chagrins sont pour les cœurs fidèles,
Tous les plaisirs sont pour les inconstans.

19. *Mi neque amare aliam*, etc. Bertin, *Amours*, II, *élégie* 2,

Employez l'artifice, étalez mille atours;
Non, vous ne m'aurez point, orgueilleuses maîtresses :
Encharis a reçu mes premières caresses,
Encharis obtiendra mes dernières amours.

Parny, lib. II, *Retour à Éléonore* :

Je la donnai (ma foi), je te la donne encore.
J'en fais serment au seul dieu que j'adore,
Au dieu chéri, par toi-même adoré :
De tes erreurs j'ai causé la première,
De mes erreurs tu seras la dernière.

ELEGIA XIII.

AD GALLUM.

ARGUMENTUM.

Relictus a Cynthia Propertius Gallo meliorem sortem in amoribus adprecatur. Hunc enim dedisse Veneri tandem victas manus : quem fama tulit huc usque fallendi magistrum, nec poterat ulla suum vel momento dicere, invenit is unam, quæ levem hærere cogeret animum, et pro tot miseris exigeret pœnas. Nec temere, sed bene scientem et certo se loqui : nonne vidit ipse Galli voluptates? nonne lacrymas, oscula, complexus, furores amantis et amicæ mutuos? Vagis ignibus en igitur finis adest, et uritur vinctus, qui levitati suæ fuerat tam egregie confisus. Ecquid mirum? An exstat quæ magis puella placeat? nonne Jove dignam dicit eam Gallus esse? Amet ille tam formosam et gaudeat sibi; hanc suam teneat fido jam pectore; prò cæteris quibuslibet hæc illi sit unica.

Tu, quod sæpe soles, nostro lætabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces :
Fallere te numquam, Galle, puella velit!
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus et in nullo quæris amore moram;

2. *Galle.* Vide supra, eleg. 5 et 10. — *Quod solus vacem*, quod relictus puella caream. *Vacat* aut *vacuus* est, qui vel non amat vel non amatur. — *Abrepto amore.* In elegia, quæ proxima antecessit, levitatem jam questus est et infidiam absentis Cynthiæ.

3. *Tuas voces*, quibus tentare se velle dicebat Cynthiam, eleg. 5.

5. *Dum tibi deceptis*, etc. Carmen de vagis istis amoribus venustum est, quod habet Le Brun, *Odes*, III, 23. — *Certus*, firmus, stabilis. — *Mora*, commoratio, ut III, 9, 36; IV, 8, 4.

Perditus in quadam tardis pallescere curis
  Incipis, et primo labsus abire gradu.
Hæc erit illarum contemti pœna doloris;
  Multarum miseras exiget una vices;
Hæc tibi vulgares istos compescet amores;
  Nec nova quærendo semper amicus eris.
Hæc ego, non rumore malo, non augure doctus:
  Vidi ego; me, quæso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo;
  Et flere injectis, Galle, diu manibus;
Et cupere optatis animam deponere labris;

7. *Perditus*, jam mentis non compos : verbum amoris notissimum. *Pallescere :* vide ad eleg. 1, 22. *Pallescere in quadam*, ut III, 8, 28, « Semper *in irata pallidus* esse velim, » hoc est, amare, quæ mihi sit infensa (ita cape; nam locutionem suo loco parum adcurate illustravimus). *Quædam* ista est, quam el. 10 significat poeta. Cæterum dabimus hic orationi suaviorem formam, si levi mutatione cum Lachmanno scribimus, « Perditus *en* quadam, etc. » ipso Propertio tuente II, 30, 29, « Ut Semela est combustus, ut est *deperditus Io;* » vel, « Perditus *en quamdam*... pallescere, etc. » *pallere* cum casu quarto, firmatum ex Horat. Carm. III, 27, 28, et Pers. sat. III, 43. Ex altero versu præpositio *in* facile in hunc irrepserit. — *Et primo labsus abire gradu.* A palæstra deductam hanc imaginem esse docet in Anal. Crit. pag. 155, eruditissimus Huschkius, et sensum exponit : « Nondum ter dejectus ab Amore, sed prima vice labsus abis, et victum te fateris. Satis constat lege prohibitum fuisse, ne quis victor haberetur antea, quam adversarium ter dejecisset, qui propterea dicitur τριαχθῆναι. » —Eadem qua Gallus sorte, Le Brun (*Odes*, III, 7) mendacia dum spargit volitans, in unam incidit, quæ stare fidem imperat.

9. *Hæc* erit puella tibi pro deceptis illis pœna servata. *Vices* in altero versu nolim iterum pœnas accipere, sed proprio sensu *expertam sortem* interpretor : Exiget ferenda tibi, quæ passæ multæ sunt; *alterna lege rependet vices* (ut habemus IV, 4, 58), mala pensabit malis, quod nihil quidem a sumendis pœnis differt.

12. *Nec nova quærendo. Quærere nova*, ut *amare nova* Petronius, cap. 120, « Quæ nova semper amas, et mox possessa relinquis. » Pariter dicimus nos : *Chercher du neuf, Il nous faut du neuf.—Amicus* pro amatore : II, 13, 51; III, 20, 9.

13. *Hæc ego* loquor, etc. — *Vidi ego;* eleg. 10.

17. *Deponere labris animam. Transfundere* Petronius in re simili

Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros;
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Hæmonio Salmonida mixtus Enipeo
Tænarius facili pressit amore deus:
Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab OEtæis gaudia prima jugis.
Una dies omnes potuit præcurrere amantes:
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces;
Nec tibi præteritos passa est succedere fastus;

ponit vividius, cap. 79: «hæsimus calentes, Et transfudimus hinc et hinc labellis Errantes animas.» *Optatis* apud Nostrum, quod languidum videtur epitheton criticis, vere Lachmannus accipit «de osculis diu petitis, quæ negata prius tum avido ore Gallus imbibebat.» Sic *optatos amores* dixit Catull. LXIV, 373; *optatos hymenæos sperare*, eodem carmine, vs. 141.

20. *Furor*, æstus, libidinis insania.

21. *Non sic*, etc. Enipeum ardebat *Salmonis*, Tyro, Salmonei filia: hoc ubi Neptuno compertum, Enipei formam induit, et puella potitur. Homer. Odyss. λ, 234 sqq. Apollod. I, 9, 8. *Tænarius deus*. In promontorio Laconiæ Tænaro templum Neptunus habuit: Corn. Nepos, Pausan. 4. *Mixtus Enipeo*, Enipeum mentitus, falsam Enipei figuram exhibens. Sic *mixtam*, fictam, *varia figura* Cynthiam legimus III, 24, 5: «Mixtam te varia laudavi sæpe figura, Ut, quod non esses, esse putaret amor.» Valer. Flacc. II, 174, «Has inter medias, *Dryopes in imagine* mœstæ, Flet Venus;» assumta Dryopes imagine, falsa Dryope facta Venus; eodem plane modo, quo *mixtus* hic *Enipeo* Neptunus est. *Enipeus*, fluvius Thessaliæ, quæ priscis temporibus *Hæmonia* dicta.

23. *Flagrans Heben amor Herculis*, Hercules Heben amore flagrans.—*Ab OEtæis jugis*, inter deos receptus. Pulchra Schraderi emendatio erat, *ab OEtæis rogis*.

25. *Una dies*, etc. Satis male habet, quod habet ita dictum. Qua die Gallus amavit, potuit unus ac solus amatores omnes præcurrere, superare; non superavit eos una die. Quomodocumque vero capias, injucunda sententia est, nec voluit hoc aut illud Propertius. Lachmannum probo corrigentem, «Una dies omnes potuit præcurrere *amores;*» una dies, qua tu hanc puellam vidisti, amoribus tuis (nam amoris desultorem fuisse supra dixit) finem imposuit. Sequentia confirmant: «Nam tibi non tepidas subdidit illa faces, etc.» *Præcurrere*, prævertere, auferre: sic Lucret. I, 372; Valer. Flacc. I, 804.

27. *Tibi succedere*, bene cedere, *præteritos fastus*, priores illos fide-

Nec sinet abduci : te tuus ardor aget.
Nec mirum, quum sit Jove digna et proxima Ledæ,
Et Ledæ partu, gratior una tribus;
Illa sit Inachiis et blandior heroinis;
Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
Utere; non alio limine dignus eras.
Quæ tibi sit, felix quoniam novus incidit error;

lis amoris contemtus.—*Te tuus ardor aget*, exercebit, jactabit miserum. *Tuus ardor*, tibi decretus, serius ocius adventurus tibi.

29. *Quum sit Jove digna et proxima Ledæ.* Non posse Burmanni sensum admitti, *Jove dignam* pro Junone dici cogitantis, clarum fit ex eo, quod de *tribus* heroinis modo, Leda et filiabus, sermonem esse legimus in minore versu. Superest ut proprie, quæ Jove digna sit, accipiamus; sed hoc ipsum sequitur, « Illa suis verbis cogat amare Jovem. » Repone cum Heinsio : « Nec mirum, quum sit Jove *dignæ* proxima Ledæ, Et Ledæ partu, gratior una tribus. » — *Leda*, Tyndari uxor, quam fecit Jupiter in cycnum mutatus Helenæ matrem et Clytæmnestræ. *Partu*, partui : vide eleg. 11, 12.

31. *Inachiis*, Argivis, *heroinis*, ab Inacho rege, quem primum Argos habuit. — Videtur Propertius, ait *Kuinoel*, « laudes et præconia repetere, quibus Gallus ipse puellam suam ornaverat, eique ita salse votis insultare. » Bene ; et eodem sensu dictum acceperis illud proximum, *non alio limine dignus eras* (alia certe nulla, quam deperires, puella erat).

33. *Quoniam semel es*, etc. Lachmannus : Quia hoc ipse intelligis (id in *quoniam* latet, et ita differt a *quia*), fatale esse tibi semel neque iterum umquam vere amare, utere, ama. *Semel*, ut apud Ovid. Heroidd. V, 103 : « Tu quoque clamabis. Nulla reparabilis arte Læsa pudicitia est : deperit illa *semel*. » — *Utere*. *Urere* defendit Broukhusius, et ediderunt cum eo Burmannus Barthiusque. Exceptis, ut videtur, scriptis duobus, *Utere* omnes habent (neque aliter in Regiis nostris est), quod recte *Kuin.* et Lachmann. reponendum judicarunt. Sic Propert. IV, 5, 58; Tibull. I, 5, 75. — De *limine* vide ad eleg. 8, 22.

35. *Quæ tibi sit*, etc. Vulgari distinctione, *Quæ tibi sit felix*, etc. perverti sensum Lachmannus egregie docet. Primum adjectivus *felix* ita positus non nisi de diis usurpari videtur, quos favere nobis rogamus. Sed nec si facilem et benignam Gallo puellam suam interpretamur, quidquam proficimus; nam sequentia cum priore hoc non habent connexum : « Benigna tibi hæc tua sit, *quoniam incidit novus amor iste tibi*. » Pravam sentis et absurdam orationem esse. Cum Lachmanno scribamus igitur, « Quæ tibi sit, felix quoniam novus incidit

Et quotcumque voles, una sit ista tibi.

error,» et, quam subjicit, explicationem sequamur : Tua maneat hæc puella, quia felicem illum errorem agnoscis, felicia amoris retia, in quæ, dum Veneri vulgivagæ studes, necopinus incidisti. *Quæ tibi sit* Tibullus vindicat IV, 6, 3, « Tota *tibi est* hodie, etc. » et tuetur Propertius ipse repetendo, « Et quotcumque voles, una *sit* ista *tibi;* » Hæc semper tua sit, et quamvis multas voles, hæc una tua sit. Adde, quod et repetitionem ipsam comprobat, Anthol. Lat. epigramma, III, 191, « Sic *tua sit*, quamcumque tuam vis esse puellam : Sic, quamcumque voles, mutuus ignis edat. »

IMITATIONES GALLICÆ.

6. *Certus et in nullo quæris amore moram.* Depingit VOLTAIRE instabilem amatoris animum, *Épîtres, LXXXIV,* hominem Gallo similem (*le duc de Richelieu*) eximiis istis versibus adloquens :

C'est là qu'inconstant et fidèle,
Changeant d'objet, aimant toujours,
Vous ne trouvez point de cruelle.
La houri si vive et si belle
Qui vous inspire tant d'amour,
Cédant à la houri nouvelle
Que vous aimerez à son tour,
Verra bientôt revenir celle
Que vous adoriez l'autre jour.

12. *Nec nova quærendo semper amicus eris.* BERNARD, ad amantes istos, *Art d'aimer*, lib. II :

Amans par faste et volages par goût,
Vous n'aimez rien, quand vous adorez tout.

ELEGIA XIV.

AD TULLUM.

Tullum in villa sua quidquid deliciæ juvent et quidquid magnificentia loci, bona Propertius negat aut esse divitias, quæ possint amori contendere. Detur sibi Cynthiæ frui blanditiis: Pactolus hoc erit, ac supra regum splendorem fortuna. Utinam, donec amaverit, gaudia hæc sua maneant! In divitiis male tutos cruciari, quibus adversa insistit Venus : favente ea, sibi vel regna despici.

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere;
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
Et modo tam tardas funibus ire rates;
Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
Urgetur quantis Caucasus arboribus :

1. *Tiberina unda.* Vide not. ad IV, 3, 10. Ad Tullum igitur in villa sua hæc elegia scripta est. De Tullo vide Propertii Vitam Chronol. ann. 724. — *Lesbium vinum* satis meminimus quanto in honore apud veteres fuerit. *Methymnæum* illud habes dictum IV, 8, 38. Lesbos in Ægæo insula. — *Opere*, ex opere, *Mentoreo* : sic *gemma bibere*, e gemma, Virgil. Georg. II, 506. Mentoris pocula Plinius æstimat, hoc referens Hist. Nat. XXXIII, 53 : « L. Crassus orator duos (habuit) scyphos Mentoris manu cælatos, sestertiis centum (emtos): confessus tamen est, numquam se his uti propter verecundiam ausum. »

3. *Currere*, decurrere *lintres* prono flumine, et adverso eo, quas mulæ trahunt funibus, *tardas ire rates.*

5. *Et nemus omne*, etc. et licet in villa nemus omne tuum vertice intendat satas arbores, quantis urgetur Caucasus, etc. *Silvas* pro arboribus dictas habet etiam Thebaid. II, 248, Statius, neque aliter Propertius *arborem* pro luco usurpat III, 3, 13. Damus, non optime sibi constare in hoc sententiam, corruptumque multis posse locum

Non tamen ista meo valeant contendere amori.
Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem;
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub æquoribus;
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges;
Quæ maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi præmia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto juvenem versare cubili.
Quid relevant variis Serica textilibus?

videri : mutatio tamen ut inferatur, non auctor sum, poetæ nostri dictionem et frequentes ambages reputans.

8. *Nescit Amor magnis*, etc. Versiculus erat huic simillimus eleg. 5, 24.

9. *Illa.* Vide ad eleg. 12, 3.

11. *Tum mihi* Pactolus per domum labitur; ipsa Crœsi bona quæcumque mea sunt. — *Rubris sub æquoribus.* Quas dabat mare Rubrum, laudatas inprimis margaritas esse, docet nos Plinius, Hist. Nat. IX, 54.

13. *Tum mihi cessuros spondent*, etc. Horatius, Carm. III, 9, 1, « Donec eram gratus tibi.... Persarum vigui rege beatior.» — *Dum*, quamdiu, *me fata perire volent*, amori me addictum esse. *Perire*, amare; notum in amore verbum.

15. *Amorem* hic *adversum*, ut et *tristem* illam versiculi sequentis *Venerem*, Huschkius (Anal. Crit. pag. 47 sq.) Amorem esse præclare docet Cupidini contrarium, junctos animos qui diviserit, omniumque malorum auctorem, Græcis dictum Ἀντέρωτα. — *Nulla mihi præmia sint;* lucrum sit nullum, quod faciam; opes, quas habeam, nullæ.

17. *Illa;* Venus adversa.

19. *Arabium limen*, Arabico marmore obductum (vide Plin. Hist. Nat. XXXVI, 12), procerum ædes opulentas. — *Ostrino*, purpureo, *toro.* In Tullum hoc dirigi neminem fugit.

21. *Et miserum*, etc. Conf. Imitationes ad eleg. 1, 33. — *Quid relevant*, etc. Tibull. I, 2, 77 : « Quid Tyrio recubare toro sine Amore secundo Prodest, quum fletu nox

Quæ mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera, despicere.

vigilanda venit? Nam neque tum plumæ, nec stragula picta, soporem Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ. » (In his *Amorem* intelliges non sensum quo movemur, sed Amorem deum, *secundum* illum, ut *adversus* alter est, de quo Propertius.)—*Sericum*, tenuis texturæ genus quoddam vestium, a Seribus in India confectum. Vide quæ notavit ad Virgil. Georg. II, 121, magnus Heynius. De locutione *Serica variis textilibus* vide ad eleg. 2, 2.

24. *Nec*. Lachmannus *neque*. Vide ad IV, 5, 50. — *Alcinous*, rex Phæacum (in insula Corcyra) opulentissimus, qui splendidis *muneribus* Ulyssem ornavit, exceptum hospitio naufragum.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Tu licet abjectus*, etc. Sic et Le Brun, *Élégies*, I, 5, ante bona quæcumque ponit amorem suum :

Que Choiseul ait d'un roi le faste et les richesses :
Mes vœux sollicitaient de plus douces largesses.
Mon amour, peu jaloux d'une vaine splendeur,
Ne demandait au ciel ni l'or, ni la grandeur,
Ni ces palais brillant d'une pompe insultante,
Ni ces riches moissons que la Sicile enfante,
Ni ces cristaux dont l'Inde enorgueillit ses bords;
Tes baisers, ô Fanni, valent tous ces trésors.
Riche de tes faveurs, que m'importe un empire!

9. *Nam sive optatam*, etc. Idem Le Brun, *Odes*, II, 4 :

Qu'un tendre berger soupire,
Il (le Bonheur) vient charmer ses douleurs :
Quand je suis près de Thémire,
Il est dans notre sourire,
Il est même dans nos pleurs.

Mais Crésus par sa largesse
Croirait en vain l'obtenir, etc.

La Fontaine, *élégie II* :

Si l'on ne suit l'Amour, il n'est douceur aucune :
Ce n'est point près des rois que l'on fait sa fortune.
Quelque ingrate beauté qui nous donne des lois,
Encore en tire-t-on un souris quelquefois;

Et pour me rendre heureux un souris peut suffire.
Climène, vous pouvez me donner un empire,
Sans que vous m'accordiez qu'un regard d'un instant.
.....
Hors l'honneur d'être à vous je ne demande rien.
Consentez seulement de vous voir adorée :
Il n'est condition des mortels révérée,
Qui ne me soit alors un objet de mépris.
Jupiter, s'il quittait le céleste pourpris,
Ne m'obligerait pas à lui céder ma peine.
Je suis plus satisfait de ma nouvelle chaîne
Qu'il ne l'est de sa foudre : il peut régner là-haut ;
Vous servir ici-bas, c'est tout ce qu'il me faut.

15. *Nam quis divitiis*, etc. *André* Chénier, *élégie XXXIII*, falsis, quibus trahimur, despectis opibus :

Sans les dons de Vénus quelle serait la vie?
Dès l'instant où Vénus me doit être ravie,
Que je meure : sans elle ici-bas rien n'est doux.

Quinault, *tragédie lyrique d'Atys*, act. III, scen. 1 :

Que servent les faveurs que nous fait la fortune,
Quand l'amour nous rend malheureux?

23. *Quæ mihi dum placata aderit*, etc. Juvenis ad amicam suam in tragœdia simili, quam inscripsit idem auctor *Amadis* (act. I, sc. 2) :

Trop heureux que l'amour avec moi vous engage,
Trop heureux de porter vos fers,
J'estime plus cent fois un si doux esclavage
Que l'empire de l'univers.

ELEGIA XV.

AD CYNTHIAM.

In eo Propertius ut se mari committat, frigidum pectus incusat Cynthiæ, quæ vix amantis periculum cogitans, dare formæ gaudeat, ut prius, operam, nec de cultus et elegantiæ studio quidquam remittere. Non sic Ulyssem Calypso sibi, non sic eripi sibi vidit Hypsipyle Jasonem suum : in exemplo fuisse, quas æmulari gloriaretur ipsa, tam illustres feminas. Desine jurare fidem; nova mitte perjuria : mollire disces animum, si quando tu quoque acerba sentias. Mansurum se nihilominus fidum puellæ suæ; quidquid levem, quidquid ingratam se gerat, unice dilectam tibi semper fore Cynthiam. Proh pallorem ejus et lacrymas, falsa doloris quæsita signa! O blanditiis, amantes, quam male tutum credere!

Sæpe ego multa tuæ levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice, me quanto rapiat Fortuna periclo :
Tu tamen in nostro lenta timore venis;
Et potes hesternos manibus componere crines,
Et longa faciem quærere desidia,
Nec minus Eois pectus variare lapillis,

1. *Timebam*, timui. Vide supra not. ad eleg. 10, 2.

3. *Adspice*, etc. *Periculum* istud maris intellige : conjecturam firmat, quam primam statim puellam Propertius in exemplum adducit vss. 9—12. — *Lenta*, nil quidquam mota, ut II, 14, vss. 14 et 22. *Venire*, sentiri, esse.

5. *Hesternos crines*, disjectos, heri quos ornaveras.—*Et faciem*, lepores, venustatem, *longa* ad speculum *desidia quærere.*

7. *Pectus variare lapillis.* Codex

Ut formosa novo quæ parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat æquoribus.
Multos illa dies incomtis mœsta capillis
Sederat, injusto multa loquuta salo;
Et, quamvis numquam post hæc visura, dolebat
Illa tamen, longæ conscia lætitiæ.
Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis et cari vincula rupit amor.
Nec sic Æsoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo :

interpolatus unus *radiare* : Broukhusio placuit hoc et Burmanno. Certius erat nec deterius, quod exhibent scripti omnes *variare*. Gemmæ, quas Oriens mittit, *Eoi lapilli* sunt. — *Ire viro*. Conf. not. ad eleg. 11, 25.

9. *Ithaci digressu mota*. Optimus omnium Codex Groninganus *digressum mota*, unde Grævius : « At non sic Ithaci digressu *immota* Calypso, etc. » moveri Calypso nescia. Hoc admisso melius variabitur oratio, cujus forma in vulgari, quam Burmannus mihus cepit, lectione nihil plane differt a sequentibus : « At *non sic*, Ithaci *digressu mota*, *Calypso* Desertis olim *fleverat* æquoribus... *Nec sic*, Æsoniden rapientibus *anxia ventis*, *Hypsipyle* vacuo *constitit* in thalamo. » Lachmannus. — Vera observatio hæc est : sensus præplacet, quem suadet Grævius, *non sic digressu immota*. — *Fleverat æquoribus*, cum fletu questa erat æquori. Vide Tibull. in notis citatum ad eleg. 6, 17.

13. *Post hæc*. Ita Groninganus, Neapolitanus, alii apud Burm. duo, quibus accedunt nostri, *post hæc*. Propertius ipse confirmat (eleg. 4, 19; 7, 13; II, 3, 50), et Lachmannus pro vulgari *posthac* reposuit. — *Longæ conscia lætitiæ*, longam reputans secum lætitiam. Cum versibus istis 9—14 comparanda sunt quæ celebratus auctor, FÉNÉLON, *Télémaque*, initio canit.

15. *Alphesibœa*, Phegei filia regis Arcadiæ, nupserat Alcmæoni, qui repudiata ea quum duxisset Callirhoen, ab Alphesibœæ fratribus interfectus est. *Pro conjuge* hæc *fratres ulciscitur*, in ultionem mariti fratres suos occidit. Apollodor. III, 7, 5; Gierig. ad Ovid. Metam. IX, 403. Cæterum manifeste turbat hoc distichon, in eo quem occupat loco, sententiarum ordinem. Commode legendum dedit Lachmannus post illud positum, *Conjugis Evadne miseros*, etc.

18. *Hypsipyle*, in Lemno regina, quum adpulsos Argonautas excepisset hospitio, *Æsoniden* amavit, Jasonem Æsonis filium, duobus annis exactis ab eo relicta. Ovid.

Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Hæmonio tabuit hospitio.
Conjugis Evadne miseros elata per ignes
Occidit, Argivæ fama pudicitiæ.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
Cynthia, et oblitos parce movere deos,
Audax ah! nimium; nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labentur flumina ponto,

Heroidd. VI. — *Non sic in thalamo constitit*, dedita formæ studio.

20. *Ut semel Hæmonio tabuit hospitio*, hospitis amore Thessali Jasonis.

21. *Evadne*, fida illa Capanei uxor, quæ quum ad Thebas interfectus maritus cremaretur, semet ipsam in rogum injecit. Apollod. III, 7, 1; Ovid. Art. Amat. III, 21 sq. — *Elata*. Lachmannus *elatam*, funeratam, Evadnen fuisse negat, quæ se vivam combusserit, emendatque, « Conjugis Evadne miseros *ablata* per ignes; » positum *auferre*, ut in hoc Ovidii, Metam. IX, 262, « Interea, quodcunque fuit populabile flammæ, Mulciber abstulerat. » Fallitur, opinor, vir doctus: Evadnen poeta nec funeratam dicit, nec absumtam flammis, at immissam per ignes saltu. Hoc sensu quidem vulgarem scripturam nolim defendere, Virgilio, quænam participii *elatus* vera significatio sit, docente nos Georg. III, 108, « Jamque *humiles*, jamque *elati* sublime videntur Aera per vacuum ferri: » sed mutatio levis erat, quæ, ni fallor ipse, versum restitueret: « Conjugis Evadne miseros *illata* per ignes Occidit; » *illata*, quæ intulit se. Codices *inlata* quondam habuerunt, inde natum *elata*. — *Miseros ignes*, miserandos, plorandos. Sic *miseros honores* mortis dixit Valer. Flacc. III, 273, et *miserabile funus* Ovid. Metam. XIV, 751.

23. *Mores*, ut eleg. 17, 15. — *Historia*, casus nominativus.

25. *Revocare perjuria*, renovare, iterare. *Revocantur* ea, quæ denuo facimus. — *Et oblitos deos*, quos non memineris (ut loquitur eleg. 11, 16), *parce movere*, concitare tibi. *Parcere*, nolle, abstinere.

27. *Audax ah! nimium*. Pertinet hoc ad superiora proxima; *nostro dolitura periclo* cum sequente minore versu junguntur. Necessaria particula est, quam Lachm. interserit: « parce movere deos, Audax ah! nimium, *et* nostro dolitura periclo, Si quid forte tibi, etc. » et periculis meis tangenda demum, si tu quoque sortem adversam aliquando cognosces; hoc senseris esse tibi debitum.

29. *Muta prius vasto*, etc. Poetica forma ex iis, quibus adjuvant

Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura.
Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
Nam mihi ne viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est!
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi subpositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos adtollere Solem,
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?
Quis ego nunc pereo, similes moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditiis!

se quam maxime scriptores. — *Labentur* pro vulgari *labantur* ex libris omnibus aut certe melioribus Lachmannus edidit, cum sequente *duxerit*, quod et ipsum rem futuram indicat, bene junctum illud notans. Firmat Propertius, II, 13, 27—29.

32. *Sis quodcumque voles*, perjura, perfida; *non aliena*, non inamata, *tamen* eris mihi: quidquid in me tentes, nihilo secius amabo te.

33. *Nam mihi*, etc. Hæc editiones ita ferunt a Beroaldo constituta: « Quam tua sub nostro mutetur pectore cura.... *Quamve* mihi viles isti videantur ocelli, » ut interjectus habeatur sine magno sensu versiculus *Sis quodcumque voles, non aliena tamen*. Sed in hoc ipso versu, modo recte capiamus, non autem *alienam* pro irata mihi (Sis quod voles, id unum, ne mihi sis inimica), positum sententiæ caput et primum fundamentum est. Ne dubites, quin egregie Lachmannus cum Schulzio dederit, « *Nam* mihi *ne* viles isti videantur ocelli...! » absit enim, ut oculos istos, quibus quamvis perfidis toties credidi, contemnam! Lectio quam proxima est scripturæ Codicum: habent *Quam tibi ne viles* alii, alii *Quam mihi ne viles*.

35. *Hos tu jurabas*. Memorant jusjurandum per oculos frequenter auctores; ut Ovid. Amorr. II, 16, 43 sq. III, 3, 13 sq. Tibull. III, 7, 15.

39. *Pallere multos colores*, Græcorum forma, cum multis coloribus. Variat enim vultus colorem suum, ubi nos commovet res aliqua fortius. — *Ducere fletum*, ut *suspiria, gemitus, voces ducere*. Significationes innumeræ sunt, in quas hoc verbum flectitur.

41. *Quis*, queis; luminibus nempe. — *O nullis tutum*, etc. o blanditiis quibuslibet non tutum credere! Negationis usus non absimilis est, eleg. 10, 26.

IMITATIONES GALLICÆ.

5. *Et potes hesternos*, etc. Ut placeat alterius oculis, ornat se puella, in quam invehitur Le Brun, *Élégies*, II, 5 :

Déjà tu méditais de tromper nos amours;
Déjà tu préparais de perfides atours;
Pour mon rival déjà commençant ta parure,
L'art tressait, parfumait ta blonde chevelure ;
Déjà tu déployais ce léger vêtement
Que jamais ta beauté ne mit impunément.

29. *Muta prius vasto*, etc. Tales in amore jurandi formas lingua nostra sibi quoque vindicat. Puella apud eumdem Le Brun, *Odes*, I, 7 :

Zéphire cessera d'agiter le feuillage,
L'olympe qui m'éclaire éteindra ses flambeaux,
Avant que Delphire volage
Par un indigne amour rompe des nœuds si beaux.

Madame Dufrénoy, lib. II, *Élégies* (*la Constance*),

Oui, l'on verra plutôt disparaître les ondes
De ce vaste océan, ceinture des deux mondes,
Les étoiles tomber des cieux,
Et le soleil privé de ses clartés fécondes,
Que de me voir trahir mes sermens et tes feux.

Quinault, *ballet du Temple de la paix* (*troisième entrée*):

La frileuse hirondelle
Cherchera les frimats, et craindra le retour
De la saison nouvelle;
L'astre qui nous donne le jour
Perdra sa lumière immortelle,
Plutôt que je sois infidèle
Et que j'éteigne mon amour.

32. *Sis quodcumque voles, non aliena tamen.* In eodem carmine, *IVe entrée*, idem Quinault :

Clymène, j'ai promis de vous être fidèle;
Fussiez-vous cent fois plus cruelle,
De nouveau je vous le promets.

37. *Et contra magnum*, etc. Phædra apud Racine (*Phèdre*, IV, 6):

Misérable! et je vis! et je soutiens la vue
De ce sacré Soleil dont je suis descendue!

42. *O nullis tutum credere blanditiis!* Conf. Chénier, *élégie XXVIII*,

Voilà donc comme on aime! On vous tient, vous caresse,
Sur les lèvres toujours on a quelque promesse;

Et puis.... Ah! laissez-moi, souvenirs ennemis,
Projets, attente, espoir, qu'elle m'avait permis.

Vide PARNY, lib. IV, eleg. 1, qui pluribus versibus,

Des yeux timides et baissés,
Une voix naïve et qui touche,
Des bras autour du cou passés,
Un baiser donné sur la bouche;
Tout cela n'est point de l'amour.
J'y fus trompé jusqu'à ce jour.
Je divinisais les faiblesses,
Et ma sotte crédulité
N'osait des plus folles promesses
Soupçonner la sincérité:
Je croyais surtout aux caresses.

Totam hujus carminis a versu 29 posteriorem partem verbatim expressit et eleganter admodum BERTIN, *Amours*, II, *élég.* 3 :

Avant que ta beauté sorte de ma mémoire,
On verra l'eau suspendre et rebrousser son cours;
Le soleil oublira de dispenser les jours,
Et le peuple français de voler à la gloire.
Sois plus coupable encor, je t'aimerai toujours.
Je t'aimerai : voilà ma destinée.
Oui, malgré ton crime odieux,
Je ne saurais haïr tes yeux,
Ces yeux encor si chers à mon ame étonnée,
Ces yeux, mes souverains, mes astres et mes dieux.
Cent fois par eux, il m'en souvient, cruelle,
Tu m'as juré de me garder ta foi,
Jusqu'au tombeau d'être toujours à moi,
Et de mourir amoureuse et fidèle.
Tu voulais que ces yeux charmans,
Tout d'un coup détachés de leur double paupière,
Punissent ton erreur, si jamais la première
On te voyait changer et trahir tes sermens.
Et tu peux les lever encore
Vers ce ciel outragé qu'indignent tes rigueurs!
Et tu ne frémis pas d'armer ces dieux vengeurs
Que ton impunité trop longtems déshonore!
Dis-moi, qui te forçait d'imiter la pâleur,
Et de meurtrir ton sein de tes ongles barbares?
Dis-moi, qui te forçait, dans ta feinte douleur,
De répandre à regret quelques larmes avares?
Ficz-vous donc, tristes amans,
Aux soupirs, aux faveurs, aux transports de vos belles!
Ah! croyez-moi, saisissez les instans
Qui vous sont accordés par elles :
Il n'est point d'amours éternelles,
Il n'est point de plaisirs constans.

ELEGIA XVI.

JANUA LOQUITUR.

ARGUMENTUM.

Amissam janua respicit veterem dignitatem suam (conf. not. 1), et impudicæ cujusdam adfixa limini, quid jam sit facta, mœste dolet. Indignis pulsari manibus; sustinere ebriorum rixas; floribus ornari, probrosis donis; hæc præsentis esse conditionis suæ. Nec minus adsiduis per noctes irrequietam sollicitari se amatoris exclusi carminibus; præter dedecus suum, flenda et sibi esse alterius mala (cantilenam supplicis janua repetit verss. 17—44); inter obscænos amores carere se numquam infamiæ nota.

Quæ fueram magnis olim patefacta triumphis,
Janua Tarpeiæ nota pudicitiæ,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrymis humida supplicibus;

1. *Triumphis olim patefacta*, decoratis honore triumphi ducibus. Antiquitus igitur sedem Romani tenuerunt bello nobiles, quam significat hic Propertius. Verba versiculi 2, *Tarpeiæ nota pudicitiæ*, difficultatem habent explicationis non parvam. Domum satis constat non posse Tarpeiæ respici, quæ Sabinis Capitolium tradidit, detestante vel ipso Propertio IV, 4, amorem hujus perfidiæ causam. An igitur vocabulum *Tarpeia* adjectivum facientes, qui notionem inferat Tarpeii montis, interpretabimur: « Janua ego nota pudicitiæ Tarpeiæ (secundus casus), pro mea tum temporis in Tarpeio monte pudicitia? » vel: « nota ego, cujus esset digna Vestalibus castitas (scilicet, Tarpeia illa quum Vestalis fuerit, quæ prodidit Sabinis patriam, deditque monti nomen suum)? » vel denique (et hoc fortasse probaverim magis), constructa cum tertio casu sententia: « in Tarpeio monte janua ego casta castis bene nota feminis? » *Inauratis* autem *celebrata limina curribus* et *lacrymis captorum humida* figurate dicit et ornatu poetico, ne quis triumphi pompam ipsam ad

Nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis,
  Pulsata indignis sæpe queror manibus;
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
  Semper, et exclusi signa jacere faces;
Nec possum infames dominæ defendere noctes,
  Nobilis obscænis tradita carminibus.
[Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ,
  Turpior et sæcli vivere luxuria.]
Has inter gravibus cogor deflere querelis,
  Supplicis a longis tristior excubiis.

verbum intelligat exceptam esse triumphantis domo.

7. *Et mihi*, etc. Suspensas puellarum foribus corollas memorat Catull. LXIII, 66; Tibull. I, 2, 14; Lucret. IV, 1171 sq. Pagani temporibus nostris ante fores dominæ figere solent arborem vittis redimitam versicoloribus. — *Et exclusi signa jacere faces*, quas projecerit, quum abiret, qui non fuerit admissus. Docebat hoc indicium mane prætereuntes, cujusmodi feminam domus habuerit. Cum facibus cantasse juvenes ad amicarum limina, testis est Persius, sat. V, 164 sqq.

9. *Defendere noctes infames dominæ*, dativus casus; a domina tales noctes arcere. Ita videbis adstructum *defendere* eleg. 20, 7—11; apud Virgil. eclog. VII, 47; Horat. Carm. I, 17, 3. — *Nobilis*, famosa ego *tradita* (obnoxia, data) *obscœnis* amantium *carminibus*, cantilenis, quibus provocant isti dominam meam. *Nobilis tradita*, hoc est, nobilis quia tradita. De adjectivo hoc *nobilis*, cum dedecoris sensu, Burmannus dixit ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 500. Quamquam nec male propria sua significatione positum accipiemus: Nobilis ego quondam, nunc tradita carminibus.

11. *Nec tamen*, etc. Contortam hanc, quam nec verba ferunt, dat explicationem Vulpius: « Τὸ *revocatur* accessum simul et recessum significare; non potuisse feminam istam revocari *ad parcendum* famæ suæ, neque *a vivendo* turpiter ac luxuriose. » *Kuinoel:* « Nec tamen potest revocari et eo reduci, ut famæ suæ consulat, *nec* vivat turpior hominibus hujus ætatis corruptissimis, turpior ipsa sæculi sui luxuria. » Sed commentum, ut vides, satis liberum est, in quo *nec* haberemus pro *et* repositum. Lachmanni, spurium interpolatumque distichon judicantis, amplector sententiam, hac præsertim ratione ductus, quod *Has inter* vs. 13, si interjecta ea legantur, non poterit jam ad *noctes* referri.

13. *Has inter*, etc. Turbatus a Broukhusio locus, quem ita scriptum editt. exhibent: « *Hæc* inter gravibus cogor deflere querelis Supplicis *ah! longas* tristior *excubias*: » Interea supplicis deflere

Ille meos numquam patitur requiescere postes,
  Arguta referens carmina blanditia:
Janua, vel domina penitus crudelior ipsa,
  Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur numquam reserata meos admittis amores,
  Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori,
  Tristis et in tepido limine somnus erit?

cogor vigilias. Servari poterat quod ex universis Codicibus enotatum (nam varietatem lectionis habent, quæ fere nulla est) cum Lachmanno restituimus. Hoc dicere januam: « Se per has infames noctes et queri et flere, tristiorem etiam factam ex amatoris adstantis precibus. » Recte vides hic poni comparativum *tristior*, in altera, quam Broukhus. dedit, scriptura obscurum et incommodum. *Deflere*, quarto casu non addito, Manil. tuetur IV, 746, et Apul. Metam. IV extr. ubi, « Psychen paventem... et in ipso scopuli vertice deflentem. » *Tristior a longis excubiis*, quemadmodum Ovidius, Trist. IV, 3, 36, « Tempus et *a* nostris exige *triste malis*. »

16. *Argutam blanditiam* subtilem et ingeniosam *Kuinoel* interpretatur: malim pro canora, sonanti, accipere, ita fere ut *argutus dolor* est eleg. 18, 26.

17. *Janua*, etc. Incipit amatoris cantilena.— *Penitus crudelior. Penitus* comparativo junctum Burmannus reprehendit: Ruhnkenius (ad Vell. II, 27, 1) Propertio ut poetæ concedit, Velleium ipsum, historicum, scripsisse negans, *penitus Romano nomini infestissimum* (Pontium Telesinum). Usu quidem minus probari, cæterum nulla ratione impugnari illud genus loquendi posse, Lachmannus arbitratur.

20. *Nescia preces reddere*, tradere amicæ meas. *Mota*, moto cardine.

22. *In tepido limine*. Magis profecto placeat quod Heinsius *in rigido*, vel quod melius etiam Burmannus *in gelido limine* conjiciunt. Nunc si vulgarem lectionem sequimur, tepidum incubando factum limen intelligo, quem sensum Propertius ponit in re non eadem, IV, 7, 19, « et pectore mixto Fecerunt tepidas pallia nostra vias. » Lachmannus ad amatorum frequentiam retulit, quod et velle Catullum putat LXIII, 65, « Mihi januæ frequentes, mihi *limina tepida*, Mihi floridis corollis redimita domus erat. » In versu Catulli præferendum hoc et ipse judico: videtur enim *tepidum limen* vim adaugere *frequentis januæ* et eodem poni sensu: tam frequentata janua, ut tepefactum limen fuerit. Neque illic amator loquitur, sed amissos queritur Atys amatores suos. Apud Propertium fortasse poterit objici, alienam ab eo, qui rogat aditum, mentionem esse, quam rivalium faciat.

Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos numquam miserata dolores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam trajecta cava mea vocula rima
Percussas dominæ vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe;
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget et invitis spiritus in lacrymis.
Nunc jacet alterius felici nixa lacerto:
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa, doloris,
Victa meis numquam, janua, muneribus.
Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ,
Quæ solet ingrato dicere torva loco,

23. *Prona sidera*, in occasum vergentia. — *Aura Eoo gelu*; familiaris ablativus poetæ; vide ad eleg. 2, 2. *Auram frigoris Eoi* diceremus nos vulgari lingua. *Eoum*, matutinum, proprie quod Auroræ est.

25. *Dolores* cum Lachmanno scribimus, ut ratio servetur Codicum, pro vulg. *labores*, quod videtur a Scaligero primum fuisse. — *Numquam respondes mutua*, mutuo, invicem, quo modo habuimus *flere mutua* dictum eleg. 5, 30.

27. *Cava rima trajecta*, per rimam insinuata penetrans, *vertat*, se vertat, vertatur (vide not. ad IV, 2, 36) *in auriculas dominæ*, ejus intret auriculas. *Vocula* et *auriculæ*, ut alia ejusmodi blandientia verba sunt *ocelli*, *lectulus*, etc.

29. *Patiens*, dura. Ex analogia percipis sensum: pati aut ferre eorum est, quorum pectus non mollescit. *Patientis aratri dentem* Ovidius dixit Amorr. I, 15, 31. — *Sicanum saxum*. Vel Ætnæa saxa sunt, vel rupes in Siciliæ litore, *Cyclopia saxa* Virgilio, Æneid. I, 201.

31. *Ocellos* a flendo *compescere*. — *Surget spiritus*, suspiritus. Ita loquitur etiam II, 29, 37.

34. *Cadunt* irrita *verba mea Zephyro*, quæ Zephyrus dissipat. *Cadere*, ut eleg. 10, 24.

38. *Quæ solet*, etc. Probavit ante nos Lachmannus hunc versum ita constitutum ab Heinsio; in libris melioribus, nec minus in Regg. nostris, est *irato dicere tota loco*. Scaligeri lectionem editiones exhibent non uno laborantem vitio, « Quæ

Ut me tam longa raucum patiare querela
  Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi sæpe novo deduxi carmina versu,
  Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quoties verti me, perfida, postes,
  Debitaque occultis vota tuli manibus!
Hæc ille, et si quæ miseri novistis amantes,
  Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc, dominæ vitiis et semper amantis
  Fletibus, æterna differor invidia.

solet *iratus* dicere *trita* loco; » et suam hanc dedit *Kuinoel* pariter incertam, « Quæ solet ingrato dicere *turba joco.* »

42. *Oscula nixa*, cum nixu adplicata *gradibus*. Hypallagen critici frustra volunt esse, pro, Quæ dabat ille nixus oscula.

44. *Vota*, ut IV, 3, 17, res ipsæ quæ voventur : serta, corollas accipe. — Habent ejusmodi carmina ad januam Theocrit. Idyll. XXIII; Catull. Carm. LXVII; Ovid. Amorr. I, 6; Horat. Carm. III, 10.

45. *Hæc ille*, etc. Iterum janua ipsa loquitur. — *Et si quæ*, etc. et quæ talia miseris amantibus cogitata veniunt. — *Et obstrepit matutinis alitibus*, ad aves canit matutinas; galli quum nuntiant diem, non destitit queri.

47. *Sic ego nunc*, etc. *Nunc*, ut versu 5, præteritos recordans honores suos. — *Differri*. Cf. el. 4, 22.

ELEGIA XVII.

AD CYNTHIAM,

DE MARIS TEMPESTATE.

ARGUMENTUM.

Jactatus ventis et maris æstu Propertius, quam sustinuit fugere, desiderat miser Cynthiam suam. O sortem, tales ictus procellæ pati, et votis nequidquam fatigare deos, et cum naufragio mortem adstantem cernere! Velit mitescere demum Cynthia: audierunt illam imprecantem venti; satis hoc exhaustum pœnæ sit, nec tristiora, quæ det pontus, optentur: amantis non poterit illa sortem non flere mortui. Roma ubinam est! Illic, si fatum adesset, in tumulo sentiret puellæ suæ dolores; darentur flores cineri; amata vox æternum vale diceret. Parcite, o Nereides, amanti; si quando sensistis et vos amorem, parcite.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
Nunc ego desertas adloquor alcyonas.

1. *Et merito*, etc. Crebra fugæ mentio est apud Propertium; ut eleg. 1, 29 sqq. (quamquam illic satis vage loquitur); eleg. 15; hac nostra 17; et III, 21; in quibus diversis Athenarum illud iter forte respicit, decretum sibi III, 21, ubi de itinere ipso dictum in primis notis est. *Et merito*. Abrupta vox, quæ mentis agitationem exprimit, sensum referens desiderii. — *Potui fugisse*. Vide supra not. ad eleg. 10, 2. Exclamantis autem ut primus versus sit, quam dedit novam Lachmannus, distinctionem sequimur. — *Desertas alcyonas*, solitarias, quas videre rarissimum est (ut Plinii verbis utar avem describentis Nat. Hist. X, 47), *adloquor*, invoco, adsint precor illæ mihi. Nota opinio veterum est, cujus exhibent poetæ etiam nostri vestigia, præbere alcyonas placidum æquor navibus. Alcyonis ab Alcyo-

Nec mihi Cassiøpe solito visura carinam est,
Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti:
Adspice, quam sævas increpat aura minas.
Nullane placatæ veniet fortuna procellæ?
Hæccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius sævas converte querelas:
Sat tibi sit pœnæ nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis,
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?

ne nomen est, una cum Ceyce marito in avem muteta. Fabulam Ovidius inter suas retulit, Metam. XI, 410 sqq.

3. *Nec mihi*, etc. Dubitant interpretes, sitne Cassiepea intelligenda, signum cæleste (Cassiopen Andromedes matrem uxoremque Cephei, quæ nimia formæ superbia conciliavit sibi Nereidum invidiam, Manilius inter astra memorat I, 361), an Epiri Corcyræve portus Cassiope. Priorem explicationem futurum *visura* excludit: in utraque vocabulum *solito*, sive adjective capias, *mihi solito*, ut *soliti rediere Pelasgi* apud Valer. Flacc. III, 45, seu pro *ex solito* contra bonorum scriptorum consuetudinem positum opineris, mercatorem facit Propertium nostrum. Scribo: « Nec mihi *Cassiopes statio* visura carinam est. » Portum Cassiopen *stationem* dicit, uti est in illo (Æneid. II, 23), « Nunc tantum sinus et statio male fida carinis. » Lachmannus. — *Cadere*, sensu quo positum hoc verbum erat cum tertio casu junctum eleg. 16, 34.

5. *Prosunt tibi venti*, dant tibi venti quod rogas; *querelis* (vs. 9), imprecationibus tuis concitati sæviunt. — *Increpat.* Dedit Burmannus ex interpolatis Codicibus *increpet.* In eadem constructione priorem formam habere locum, vidimus eleg. 2, 9.

7. *Nullane*, etc. an igitur non continget mihi *placatæ procellæ fortuna*, cæli mitioris beneficium? Vides præteritum *placatæ* pro futuro *placandæ* falso reputari positum, qualia permulta interpretes, nec meliore jure, scriptoribus adfingunt. — *Hæc arena parva*, litoris hujus arena paulula.

10. *Sat tibi sit* exactæ *pœnæ* quod patior; duriora extrema noli cupere mihi. *Nox*, tempestas, ut III, 11, 5.

11. *Siccis* sub *ocellis reponere*, repræsentare tibi sine lacrymis. *Reponere* iterativo sensu, siquidem ea bis quodammodo videntur accidere, quæ nobis per memoriam præsentia facimus. Ita etiam Galli *ramener, remettre sous les yeux; retracer dans l'esprit*; etc. — *Ossa tenere nulla nostra sinu*, urnam cum cinere meo nullam; carere prorsus cineribus meis. Conf. in re simili quæ Tibullus I, 3, 5, « Absti-

Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
Primus, et invito gurgite fecit iter!
Nonne fuit levius dominæ pervincere mores,
Quamvis dura, tamen rara puella fuit,
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere, et optatos quærere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus et posito staret amore lapis;
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter et tenerâ poneret ossa rosa;
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos, æquoreæ formosa Doride natæ,

neas, Mors atra, precor: non hic mihi mater, Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus. »

13. *Ah pereat*, etc. Notus Horatii locus est, Carm. I, 3, 9: « Illi robur et æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem trucî Commisit pelago ratem Primus, etc. »

15. *Levius*. Hoc videntur libri meliores agnoscere: certe, quicumque sint, Regii nostri confirmant. Quod Broukhusius Burmannusque dederunt, *melius*, scriptura fuit in primis editt. reddita. — *Mores*, ut el. 15, 23, durum pectus, ingeatum. — *Quamvis dura*, etc. Interjectum orationi versiculum signis include parentheseos. — *Rara*. Vide ad eleg. 8, 42.

18. *Tyndaridæ*, Pollux et Castor fratres Helenæ, fausta sidera: Horat. Carm. I, 3, 2.

19. *Illic*, Romæ apud Cynthiam. — *Staret* etiam (saltem) mihi datus *lapis ultimus*, sepulturæ lapis; *posito*, composito, tumulato *amore* meo. *Ultimus* lapis, ut *extremus* rogus eleg. 19, 2, et *extremæ* tenebræ II, 20, 17, propria quali notione fingimus quodcumque mortis est.

21. *Illa*. Vide not. ad eleg. 12, 3. — *Donasset crines*. Mos antiquus dare sectos crines mortuis, propinquis aut amicis. Kirchmann. de Funer. Rom. II, 15. — *Funere meo*, in funere meo: supplenda præpositio est. — *Et ossa poneret* in *rosa*, cineres meos in urna cum rosis. Kirchmann. IV, 2, 3.

23. *Illa meum nomen* ter in *extremo pulvere*, super extremum pulverem meum, *clamasset*; solemne clamasset æternum vale. Kirchmann. III, 9. — *Ut mihi nullo terra foret pondere*. Veterem formulam meminimus funerum: *Sit tibi terra levis*. Scimus et usitatam illam etiam nunc in tumulis nostris conspici, notatam literis S. T. T. L. — Variatio hic a versu 19 in temporibus verborum est, de qua diximus ad el. 10, 2.

25. *At vos, Doride natæ* et Nereo,

Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor adtigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

Nereides. — *Felici choro* cingite navem, et *candida* nobis *vela solvite*, omine bono quibus vehamur.

27. *Si quando labens Amor*, de cælo in terram volans (*labi* hoc sensu positum Virgilio, Æneid. III, 243), *vestras undas adtigit*, vos tetigit igne suo; *mihi socio* vestro *parcite*, quem fecit vobis Amor socium.

IMITATIONES GALLICÆ.

13. *Ah pereat, quicumque rates*, etc. Le Brun, *Odes*, V, 10 :

Ah! que n'a-t-il des mers expiré la victime,
L'insensé qui tenta leurs gouffres menaçans,
Et put voir, sans pâlir, de l'orageux abîme
Bondir les monstres mugissans !

19. *Illic si qua meum*, etc. Idem Le Brun, *Odes*, V, 17, ubi domi nam absentem queritur, simillimum ponit votum sententiæ Propertii :

Au moins si je pouvais descendre,
Couvert de tes baisers, dans la nuit du tombeau !
Si tes pleurs arrosaient ma cendre !...
Mais pourquoi de mes jours éteindre le flambeau ?

Alio loco, *Élégies*, I, 7 :

Heureux qui peut mourir au sein de ce qu'il aime !
Dans le cœur d'une amante il survit à lui-même.
Mais ce dernier bonheur, ce plaisir douloureux,
Un barbare destin le refuse à mes vœux.

ELEGIA XVIII.

DE CYNTHIA QUERELÆ.

ARGUMENTUM.

Ingratam iterum expertus Cynthiam, venit Propertius desertum ad locum, et libere narrari gaudet posse rupibus dolores suos. O vices! o mutatam sortem! o miserum se brevi factum de felicissimo! Culpa vero ecquænam sua est? unde frigus illud, unde simultas exorta? An suspectam suam esse fidem? an signis parum testari se amorem suum? an objici, quod satis non didicerit pati leniter injuriam? Ah! femina nulla tentari se alia posse: et stare ardoris sui vel monumenta arbores: et sibi dudum pro lege poni quodcumque jubeat iniquum Cynthia. Sæviat illa licet, nec mollire sinat pectus: ingratæ nihil minus amet ipse carum nomen clamatum jactare per silvas.

Hæc certe deserta loca et taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.

1. *Et taciturna querenti;* silentia, muta, dum questus funduntur. Loca gementi certa, fidelia, interpretes volunt esse; sed eum sensum Propertius non nisi post primum distichon ponit. De particula *Et* in minore versu vide not. ad III, 3, 31.

4. *Sola saxa* pro desertis, ut sæpe.

5. *Unde primum repetam*, deducam, revocem contemtus tuos?

8. *In amore tuo habere notam.*

Quid tantum merui? quæ te mihi crimina mutant?
An nova tristitiæ causa puella tuæ?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita sæva tamen venerit ira mea,
Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo
Lumina dejectis turpia sint lacrymis.
An, quia parva damus mutato signa calore,
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, et Arcadio pinus amica deo.

Petita locutio est a censoris munere : *notabat* hic, qui de causa quacumque pellerentur ordine suo.

9. *Quid tantum*, tam grave, *merui*, sum peccando meritus? — De frequenti verbo *mutare* dictum ad eleg. 4, 2. — *Tristitia*, ira, inimicitia. Eadem est adjectivo *tristis* significatio eleg. 6, 10, et apud Tibull. IV, 4, 18.

11. *Sic mihi te referas levis*, etc. ad me sic redeas mitis et bona, ut integram servasse me tibi constantiam verum est. *Altera nulla pedes intulit nostro limine*, per limen nostrum, transgresso limine meo.

14. *Venire* pro esse, ut variis locis poeta.

15. *Furor*, furoris causa. — *Turpia*, fœdata, corrupta lacrymis. *Dejectæ* autem *lacrymæ* ne mire dictum videatur, memineris difficiliorem intellectu vulgarem formam esse, *dejicere vultum* aut *oculos*. Verbum *cadere* cum lacrymis jungit el. 19, 23.

17. *An* tristitiæ tuæ causa erit, quod *signa* caloris *parva damus* (repetendum enim ex *calore mutato* vocabulum est), *mutato*, translato in aliam, *calore* meo? Defendit scripturam Codicum Burmannus et admisit *Kuinoel* : « An, quia parva damus mutato signa *colore?* » an, quia parum significo pallore vultus amorem meum? Ita capio; et quidem ut improbemus, Lachmannus observatione sua non satis videtur efficere : sed alteram lectionem, *calore*, Groninganus exhibet, qui solus pro multis libris est, tum primitus editiones vulgatæ : hoc nos movet gravius; in hoc stetit nobis consilium. — *Et non ulla*, etc. et quia non satis jacto fidem meam?

19. *Si quos habet arbor amores.* Fabulam poeta forte respicit Hamadryadum, de quibus eleg. 20, 32. — *Fagus*, in amoribus memorata sæpissime : Virgil. eclog. I, 1; II, 3; Ovid. Heroidd. V, 21. — *Arcadius deus*, Pan, cujus amica Pitys in arborem pinum mutata, spretus quum illam Boreas irruens

Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur et vestris *Cynthia* corticibus!
An, tua quod peperit nobis injuria curas,
Quæ solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbæ
Jussa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo, divini fontes! et frigida rupes,

adlisisset solo. Interpp. ad Claudian. de Rapt. Proserp. I, 203.

21. *Ah quoties teneras*, etc. Proprium sensum nullum esse, quem adjectivo *teneras* adfingamus cum *umbris* arborum conjuncto, persuadent plane mihi quæ super hunc versum Lachmannus adnotat, nec dubito post illum Schraderi conjecturam et Koppiersii pro certa ponere, permutatis vocabulis scribentium: « Ah quoties *vestras* resonant mea verba sub umbras, Scribitur et *teneris* Cynthia corticibus! » Inscribere autem arboribus nomina solemne et antiquum signum amoris est, teste etiam, quem paucis ante lineis memorabamus, Ovidio, Heroidd. V, 21: « Incisæ servant a te mea nomina fagi, Et legor *Œnone* falce notata tua; Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt. » Vide et Virgil. eclog. X, 52 sqq.

23. *An* tristitiæ tuæ causa, quod mihi non placide ferri injuriam tuam cogitas? quod indignari me tibi perfidæ? Turbat sententiam *Kuinoel*, de Palmerii judicio corrigens, *Ah tua quot peperit....!* Petenda hic et versu 17 structura est a superiore versu decimo. Vide Argumentum. — *Quæ* solummodo foribus tuis narrata sunt et cognita. *Tacitas fores* non intelligo negantes aditum, quali sensu dicuntur *tacere cardines* eleg. 16, 26, sed, Quæ servare norunt commissa sibi.

26. *Facta*, male facta, crimina in me tua. *Factum* videbis ita positum III, 6, 21. Corrupta lectio vulgaris est, a Broukhusio data, quam Passeratii scriptus Codex habuit, *neque arguto ficta dolore queri*. Non fictas injurias queri se negat Propertius, aut incusare se dolore ficto puellam suam (possumus enim utroque sensu capere); sed quidquid sibi vere sit a Cynthia ferendum, quidquid illa faciat, omnia se æquo animo pati vel injustissima. *Facta*, quod in Regiis meis duobus est, scripti cæteri omnes apud Burmannum indicant. — *Arguto*, clamoso *dolore*.

27. *Pro quo*, etc. Codices ita, *divini fontes*, quod per exclamationem accipiendum erit. Cur vero hic *divinos fontes* potius, quam cæteros deos omnes invocet, non intelligo. Recte viri docti Propertium aliud scripsisse censent. Scaliger (post eumque Broukhus. et Burm.), *Pro quo, di, vivi fontes*, emendatione parum probabili. Jucundæ enim rei, *vivorum fontium*, mentio ab hoc loco, ubi dura et aspera omnia, nimis aliena est. Gruterus, *Pro quo Clitumni fontes;*

Et datur inculto tramite dura quies ;
Et quodcumque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscumque es, resonent mihi *Cynthia* silvæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

nuperus criticus (*Kuinoel*), *devexi fontes* : sed ad fontes devexos, leniter in declive labentes, sedere non sane triste est : Heinsius *dumosi, devexi, continui montes; di, nudi montes* Marklandus. Scribe : « Pro quo, *di, nivei montes*, et frigida rupes, Et datur inculto, etc. » *Montes* Lucretius et *rupes* conjungit V, 202 sq.; *montes* et *saxa* Propertius eleg. 20, 13. *Niveum montem* apud Catullum habes, LXIV, 241. Lachmannus.

31. *Cynthia*, vocativus casus : Resonent mihi silvæ exclamanti, *o Cynthia!* Conf. Virgil. eclog. VI, 44. — *Nec vacent deserta saxa nomine tuo*, nec cessent reddere saxa deserta nomen tuum. Potes et de Cynthiæ inscripto saxis nomine interpretari, sed alterum puto verioremsensum esse. *Resonant* et *tacent* partim cum Scaligero Marklandoque, partim ex emendatione sua Broukhusius edidit. — Argumenti non absimilis est, quam vicesimam sextam epistolam habet Rousseau, *Nouvelle Héloïse, Ire partie.*

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Hæc certe deserta loca*, etc. Bertin, *Amours*, II, *élégie* 12 :

Oui, c'en est fait, je demeure en ces lieux ;
Je borne ici ma course vagabonde :
De ces longs pins le deuil religieux
Convient, hélas! à ma douleur profonde :
Tranquille, au loin je n'entends sous les cieux
Que le bruit sourd de l'océan qui gronde.
Je puis donc seul verser enfin des pleurs,
Et dans les airs exhaler mon martyre!
Si quelque Nymphe, apprenant mes malheurs,
Aux rocs émus ne court point les redire.
Je puis donc seul de lamentables cris
Lasser en paix ces vastes solitudes!
D'où reprendrai-je, inhumaine Eucharis,
Tes désirs vains, tes injustes mépris,
Et tes noirceurs, et tes ingratitudes?
Ils sont passés ces jours délicieux,
Où, tout rempli de ma première ivresse,

Sans nul soupçon, sans reproche odieux,
Sûr d'être aimé de ma belle maîtresse,
Par mon bonheur je surpassais les dieux.

Conf. PARNY, lib. IV, eleg. 5 :

J'ai cherché dans l'absence un remède à mes maux ;
J'ai fui les lieux charmans qu'embellit l'infidèle :
Caché dans ces forêts dont l'ombre est éternelle,
J'ai trouvé le silence, et jamais le repos.
Par les sombres détours d'une route inconnue,
J'arrive sur ces monts qui divisent la nue.
. . . . . .
Ces bois ne peuvent me cacher;
Ici même, avec tous ses charmes,
L'ingrate encor me vient chercher;
Et son nom fait couler des larmes
Que le tems aurait dû sécher.
. . . . . .
Dans ce séjour tranquille, aux regards des humains
Que ne puis-je cacher le reste de ma vie!
Que ne puis-je du moins y laisser mes chagrins !
Je venais oublier l'ingrate qui m'oublie,
Et ma bouche indiscrète a prononcé son nom ;
Je l'ai redit cent fois, et l'écho solitaire
De ma voix douloureuse a prolongé le son :
Ma main l'a gravé sur la pierre,
Au mien il est entrelacé ;
Un jour le voyageur, sous la mousse légère,
De ces noms connus à Cythère
Verra quelque reste effacé.

9. *Quid tantum merui?* etc. BERTIN, *Amours*, II, *élégie* 1 :

Mon Eucharis est trompeuse et parjure.
Qu'ai-je donc fait, et quelle est son injure?
Ai-je un seul jour, négligeant ses attraits,
A ses beaux yeux coûté de tristes larmes?
Ai-je, la nuit, dans des festins secrets,
Par mes clameurs ou mes chants indiscrets,
En l'éveillant excité ses alarmes?

ROUSSEAU, *Nouvelle Héloïse*, *IIe partie*, *lettre* 1 : « Dis, cruelle, . . . « ai-je attiré mes malheurs par ma faute? ai-je manqué d'obéissance, « de docilité, de discrétion? m'as-tu vu désirer assez faiblement pour « mériter d'être éconduit, ou préférer mes fougueux désirs à tes volontés « suprêmes? J'ai tout fait pour te plaire, et tu m'abandonnes! tu te « chargeais de mon bonheur, et tu m'as perdu! »

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Supremum diem non pavet, nec adire tardat Propertius Manes : sed mortuus ne careat amore puellæ suæ, esse timorem hunc duriorem morte. Se certe numquam vel apud inferos mutari posse : illic, quidquid erit, semper addictum mansurum Cynthiæ; illic formosæ quotquot sint, posthabere se nullam non velle Cynthiæ. Hoc utinam illa discat ex amantis rogo, atque in ejus ipso pulvere sentiat ! grato se geret fidam pectore, cui tam constanter amari se sciet. Quamquam etiam fortasse dura tum jussa venient, quæ pium dolorem, quæ fletus memores invidebunt mihi tuos ! Quare igitur lætemur dum licet, et, quam possimus diu, teneamus gaudia nostra.

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes,
Nec moror extremo debita fata rogo :
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exsequiis.
Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundæ conjugis heros

1. *Manes*, Orcum, mortem ipsam intellige. — *Fata rogo debita*, communem rogi subeundam legem. De adjectivo *extremus* vide not. ad eleg. 17, 20.

5. *Puer*. Vide eleg. 6, 23. Mira autem hic objicitur et adnotatione locutio digna : amorem vulgo dicimus significari oculis; amoris videlicet, quo movemur, sensum : Propertio hoc parum est; hærere sibi fingit oculis divum ipsum Cupidinem.

7. *Illic; cæcis* nempe *locis*, quæ statim sequuntur posita. Repetitionis hoc genus linguæ etiam nostræ frequentissimum est. — *Phylacides*, Protesilaus, Iphicli filius, Phylaci

Non potuit cæcis immemor esse locis ;
Sed, cupidus falsis adtingere gaudia palmis,
Thessalis antiquam venerat umbra domum.
Illic, quidquid ero, semper tua dicar imago :
Trajicit et fati litora magnus amor.
Illic formosæ veniant chorus heroinæ,
Quas dedit Argivis Dardana præda viris :
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior ; et Tellus hoc ita justa sinat.
Quamvis te longæ remorentur fata senectæ,

nepos, in oppido Thessaliæ Phylace regnavit. Trojam profectus, primus omnium quum tetigisset litus, ab Hectore occisus est. Mortuus autem permissum diem unum habuit (horas modo tres vult Hyginus), quo Laodamiam reviseret conjugem. Excepto marito, sese Laodamia, ut illum sequatur, vita liberat. Variant in enarranda fabula scriptores. Vide quæ notavit ad Catull. LXVIII, 74, eruditus interpres Doeringius.

9. *Falsis*, irritis, *palmis ;* decipientibus manibus prensantem. — *Thessalis umbra venerat antiquam domum ;* ut erat, umbra venerat antiquam Thessaliæ domum. Ita enim loco adplicandum est, quod umbram designat, epitheton *Thessalis*. De tempore hoc *venerat* diximus ad eleg. 10, 2.

11. *Quidquid ero*, superero quidquid. *Semper tua dicar imago*, ero semper tuus, simulacrum factus et imago mei. — *Fati litora*, litus fatale : sic habebis *ratem fati* II, 28, 39.

13. *Veniant*, si veniant, *chorus heroinæ ;* obversetur licet chorus heroinarum. *Venire*, esse : constantem usum meminimus poetæ.

16. *Et Tellus hoc ita justa sinat.* Burmanni conjecturam, etsi *Kuinoel* pro meliore lectione reddidit, esse dico nihili : « et *Venus* hoc, *si dea* justa, sinat. » Ecquid enim in voto reprehendas, quo sperat hanc Propertius ab Orco justitiam, ut sibi detur mortuo Cynthiam tot formosis præferre? *Tellurem* scimus poni pro locis inferis, notione familiari etiam ævi nostri scriptoribus.

17. *Quamvis te longæ... mors sit amara loco.* Lachmanni exscribimus notam : Hunc locum satis obscurum sibi Burmannus fatetur ; cæteri, interpretando et hic illic aliquid non nimia cum veri similitudinis specie sollicitando, varia primo adspectu blandientia, sed omnia rimanti vana adparitura extundunt. Ea tute, si voles, examinabis : nos tibi locum unius distichi transpositione facta (quatuor autem hic ab eadem syllaba incipiunt) verissime, ni fallor, restitutum dabimus. Sic igitur hæc omnia formanda sunt : « Illic formosæ veniant chorus heroinæ.... Quarum nulla tua fuerit mihi,

Cara tamen lacrymis ossa futura meis.
Quæ tu viva mea possis sentire favilla!
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto
Abstrahat a nostro pulvere iniquus amor,
Cogat et invitam lacrymas siccare cadentes!
Flectitur adsiduis certa puella minis.

Cynthia, forma Gratior; et Tellus hoc ita justa sinat. Quæ tu viva mea possis sentire favilla! Tum mihi non ullo mors sit amara loco: Quamvis te longæ remorentur fata senectæ, Cara tamen lacrymis ossa futura *tuis*. Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor... ! » Vix ulli sunt in Propertii carminibus versiculi suaviores, aut intimi amoris indices magis veri. Optat, ut Cynthia viva in ipsis cineribus sentiat, quantum vel a mortuo ametur. Hoc si fieri possit, mortem sibi tristem negat, quum puellæ se, quamvis diu superstiti, mortuum quoque carum fore sciat. Id unum vereri, ne puella se a busto insidiis Amoris abstrahi patiatur. Matrem suam post obitum mariti a tumulo deduci non potuisse Statius narrat Silv. V, 3, 241, « certe *sejungere* matrem Jam gelidis *nequeo bustis*. » Sequitur: « *te sentit* habetque, Te videt, et tumulos ortuque obituque salutat; » quod huic nostro simillimum, « Quæ tu viva *mea* possis *sentire favilla*. » Neque non tuetur loquendi rationem Ovidius, Metam. XIII, 503, « cinis ipse sepulti In genus hoc sævit; *tumulo quoque sensimus* hostem. » De forma ista *cara lacrymis tuis* vide not. ad eleg. 6, 24. *Tuis* autem pro *meis* Scaliger tacite dedit; quod verum aio esse, adversantibus, quantum pote, librariis. *Ossa* Nostrum pro Manibus sæpissime ponere nemo ignorat (cf. modo IV, 5, 4; 11, 20 et 58). — Suadere Lachmannum puto, quod in iis fortasse tentetur melius. Possit quidem nimis abrupte positum videri hoc: *Quam vereor, ne te*, etc. sensu particulam poscente disjunctivam aliquam; sed parum adtendere comperimus Latinos regulam, qua ab alia re ad aliam transitur, nec ipsius poetæ nostri loca desunt in exemplum citanda. De significatione vocabuli *non ullo loco* vide not. ad II, 22, 44.

24. *Minas* Burmannus interpretatur matris aut parentum Cynthiæ; Cupidinis minas Barthius et *Kuinoel;* Marklandus « hunc locum suspicatur ex aliquo poeta Græco versum, in quo occurrebat ἀπειλαῖς, id est, promissis; utrumque enim voce Græca significari; unde Nostrum more suo hoc pro illo uti, et interpretatum esse *minis*, quum alter forte voluerit *promissis*. » Sed *minas* hic non posse nisi proprio sensu capi, superiora clare ostendunt: « Quam vereor, ne te... *Abstrahat* a nostro pulvere *iniquus* amor, *Cogat et invitam*

Quare, dum licet, inter nos lætemur amantes: 25
Non satis est ullo tempore longus amor.

lacrymas siccare cadentes! » quibus ipsis verbis adducor ut existimem, respici Propertio maritum Cynthiæ (conf. ad II, 6, 26, notata): certe *insidias* illas *Amoris*, quas Lachmannus volebat, non satis intelligo cum *minis* positas. — *Flectitur*, vincitur, dejicitur. — *Certa*, vel certa, etiam quæ fidissima sit.

IMITATIONES GALLICÆ.

11. *Illic, quidquid ero*, etc. Rousseau, *Nouvelle Héloïse*, *IIIe partie*, *lettre* 19: « Vous êtes celle que j'adorai en commençant d'être sensible « à la véritable beauté: vous êtes celle que je ne cesserai d'adorer, même « après ma mort, s'il reste encore en mon ame quelque souvenir des « attraits vraiment célestes qui l'enchantèrent durant ma vie. »

25. *Quare, dum licet*, etc. Sententia non multum differt, quam versiculis pluribus exprimit Le Brun, *Poésies diverses* (*Sur l'usage de la vie*):

L'heure qui s'envole
Ravit nos printemps,
Et rien ne console
Des pertes du tems.

Saisissez la vie,
Mortels indiscrets:
La mort n'est suivie
Que de noirs cyprès.

Sous l'œil du mystère,
Voluptés, Amours,
Cueillez dans Cythère
La fleur des beaux jours.

26. *Non satis est ullo tempore longus amor.* Ad verbum Quinault, *tragédie lyrique de Thésée*, extremo actu IV, ubi et Amorem ipse significans:

On ne peut porter ses chaînes
Assez tôt, ni trop longtemps.

ELEGIA XX.

AD GALLUM.

ARGUMENTUM.

Gallus ut cavere numquam desistat amato puero cuidam suo, timeatque præsertim, dum circa fontes aut mare versatur, Nympharum insidias, memorat Propertius et enarrat Hylæ fabulam, quem flevit olim incustoditum Hercules ab Ascanii fontis Naiadibus raptum. (Historia ex notissimis est, et totum fere carmen occupat.)

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

1. *Hoc*, quod subsequitur vs. 3. — *Pro continuo amore*, pro ut amicus semper sum tibi. Locutio eadem est el. 22, 2. — *Galle.* Vide supra eleg. 13, 2. — *Vacuo ex animo*; qui vacuus sit, quum defluxerit, exciderit, monitum.

3. *Imprudenti fortuna occurrit amanti*, offendit non bene cautus amans fortunam objectam et adversam sibi. *Occurrere*, quo plane modo dicimus nos *heurter*. Sed nec figuram ipsam ignoramus: *Un imprudent que la fortune a heurté.* — *Dixerit*, ostenderit, significaverit hoc ita lacus *Ascanius* infestus Minyis: Hylas puer amatus Herculi, Thiodamantis Dryopum regis filius, in expeditione Argonautarum quum ad Ascanium isset haustum aquam, Nymphis placuit hujus fontis, et ab illis raptus est. Hercules autem ut amissum puerum quæreret, Argonautas socios deseruit. *Ascanius*, Mysiæ lacus aut Bithyniæ; memorat enim utramque regionem in ista fabula Propertius, alteram vs. 20, vs. 34 alteram. Et finitima Mysia est Bithyniæ ac Phrygiæ. *Minyæ*, Argonautæ, quorum plerique ex Minyis gente Thessalica. Diversa tradit ad Virgil. eclog. IV, 34, de hac adpellatione Servius.

Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.
Huic tu, sive leges umbrosæ flumina silvæ,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio,
Nympharum semper cupidas defende rapinas;
Non minor Ausoniis est amor Hydriasin;
Ne tibi sit, durum! montes et frigida saxa,

5. *Est ardor tibi*, ardoris causa. Eleg. 18, 15, vidimus jam: *Ut tibi sim merito semper furor*, causa tibi furoris. Observare liceat obiter, de genere hoc amoris, cujus apud Græcos Latinosque mentio recurrit tam frequens, pauca aut nulla, quæ nos vere doceant, hactenus esse dicta. Virum (J. J. Barthélemy) Gallia tulit aliquot anni sunt, magistrum super hæc præ cæteris audiendum; sed in illo vicit doctrinam pudor, et desideranda manserunt, quæ nova poterant de moribus veterum sperari.

7. *Huic tu defende Nympharum rapinas* (vs. 11): vide ad eleg. 16, 9. — *Sive leges umbrosæ silvæ flumina*, sive per umbrosam silvam navigio lustrabis amnem. — *Sive tinxerit*, adluerit, *Aniena unda pedes tuos*; poetice dictum: Sive leges, tenebis tu, oram Anienis. *Anio*, *Anienus*, *Anien*, fluvius, qui per Tiburtinum agrum in Tiberim decurrit, locis veterum scriptorum celebratus innumeris. Recens habuit nomen *il Teverone*.

9. *Ora litoris Gigantea*. Litus dicit Campaniæ. In ea Phlegræus ille campus, quem pugna nobilitaverat Gigantum adversus deos. Conf. Sil. Ital. XII, 133 sqq. Habuit et Thessalia Phlegræum campum, in quo bellum istud narratur itidem esse gestum. — *Sive ubicumque*, etc. quacumque errabis demum vagus hospes fluminis; in litore fluminis, velut exceptus hospitio.

12. *Non minor Hydriasin* (Hydriadibus) *Ausoniis amor est*, pectus non minus amans, quam Mysiis illis, quæ rapuerunt Hylan. *Hydriasin* cum Lachmanno reponimus, meliorum Codicum scriptura ducti *est amor Hadriacis*. In emendatione Scaligeri, quam editiones exhibent, « Non minor Ausoniis est amor *ah! Dryasin*, » particulam istam *ah!* positus suus ingratam facit. De Nympharum nomine, *Hydriades*, Munckerus dixit ad Albricum de deorum Imaginibus, cap. 7. Easdem Plato memorat epigr. XIV, et Paul. Silentiarius epigr. XLVII.

13. *Ne tibi sit*, etc. Ponunt in superiore versu critici majoris distinctionis signum, ab iisque nostris sententiam ordiuntur novam ita scribentes: « Ne tibi sit *duros* montes et frigida saxa, Galle, neque expertos semper adire lacus. » Hoc

Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasæ navalibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam;
Et jam præteritis labentem Athamantidos undis

erit: « Noli montes, noli saxa adire et lacus; Nymphæ per ista loca pueris insidiantur. » Statim vides esse falsum: timendas amatori Nymphas Propertius dicit non montium, sed fluminum; ipsa vero flumina quum præcesserint cavenda jam memorata, quorsum nova hic de lacubus mentio? Porro nec *duros montes* scripti boni Codices agnoscunt; in aliis *duri*, *durum* legitur in aliis: correxit Lipsius *duros*. Quæ quum ita sint, structuram adoptamus nos et explicationem Lachmanni: « Huic tu... Nympharum semper cupidas defende rapinas (Non minor Ausoniis est amor Hydriasin), Ne tibi sit (durum!) montes et frigida saxa, Galle, neque expertos semper adire lacus: Quæ miser ignotis error perpessus in oris Herculis indomito fleverat Ascanio. » *Ne tibi sit adire montes*, etc. ne tibi per montes et saxa lacusque errandum sit, quod Hercules olim perpessus est mali. Formulam *Ne adire tibi sit*, ne cogaris adire, Heynius illustrat ad Tibull. I, 6, 24, et Huschkius in Epist. Crit. pag. 61. De exclamationibus cujusmodi ista est, *durum!* vide ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 336, Burmannum. Lectionem vero hic Broukhusio Burmannoque receptam, *torrida saxa* pro *frigida*, Gronovius dedit ex emendatione, *turbida* vel *tumbida* libris nonnullis exhibentibus: sed videntur *frigida saxa* firmare boni omnes. *Rupem frigidam* habuimus eleg. 18, 27; *frigida saxa* iterum erunt IV, 7, 66. *Inexperti lacus* sunt, quos numquam adiisti. Sil. Ital. III, 496: « Primus *inexpertas adiit* Tirynthius *arces*. » — *Error Herculis*, ipse Hercules errans. *Herculis error* hæc *perpessus fleverat*, plane ut eleg. 13, 23, *amor Herculis Heben flagrans prima sensit gaudia*. — *Indomito fleverat Ascanio*. Forma hujusce persimilis est eleg. 15, 10; nec differt, quod in eadem elegia, vs. 12, *multa* Calypso dicitur *injusto loquuta salo*. Vide Tibulli distichon citatum ad eleg. 6, 17. *Fleverat* pro flevit, cujusmodi plura vidimus el. 10, 2. *Indomitus Ascanius* est, quem flectere Alcides non potuit.

17. *Pagasæ*, vel plurali numero *Pagasæ*, Thessaliæ maritimum oppidum, in quo fabricata navis illa Argo est, tanto nomine apud veteres. — *Phasidos isse viam* (tendisse ad Phasin): cf. el. 1, 18. — Celebrat expeditionem Catullus, LXIV, 1: « Peliaco quondam prognatæ vertice pinus Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas Phasidos ad fluctus, etc. »

19. *Labentem*, natantem, euntem. *Labi* etiam II, 26, 8, et IV, 6, 48, de nave positum. — *Athamantidos undæ*, mare circa Thes-

Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invicti juvenis processerat ultra
Raram sepositi quærere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,

saliam, cui facit Ino, Athamantis uxor, nomen. Conf. II, 28, 19.

21. *Manus heroum*, Argonautæ. — *Placidis oris. Placitis* ex Heinsii correctione repositum in editt. est. Sed cum Lachmanno recte servabimus scriptam lectionem *placidis*. Ita habet *mansueta litora* Propert. eleg. 17, 28; *placidum portum* et *bona litora* III, 19, 7. — *Mollia composita*, etc. lectum parat in litore frondibus. *Mollia*, scilicet fronde; hoc enim vocabulum bis intelligitur : *tegit fronde litora*, et *litora fronde mollia*.

23. *Comes* Hylas *invicti juvenis*, Herculis. *Juvenis* Hercules, ut illum dicit etiam Ovidius, Fast. II, 305, « Forte comes dominæ *juvenis Tirynthius* ibat. » Vides nihili esse, quod mutata constructione Burmannus *juvenem* facit Hylan *Invicti comitem*.

26. *Zetes et Calais*, Boreæ aut Aquilonis ex Orithyia rapta alati filii. Cf. Gierig. ad Ovid. Metam. VI, 677.

27. *Suspensis palmis. Plumis* Broukhus. Burmann. Barth. cum Livineio dederunt. Scripti Codices *palmis;* recte; ita Græci ταρσούς pro *alis* usurpant. — *Oscula supina*, inversa. Dum osculantur enim, ut recte Passeratius explicat, isti duo Hylan supervolantes, ipsorum nec minus pueri inversus vultus est. *Alterna fuga*, vicissim alter dum alter refugit.

29. *Ille sub extrema*, etc. Sic Codices; nam *subducitur*, quod habent nonnulli, a librariorum oscitantia est, cætera indigna memoratu. Heinsii insignem in hoc versu interpolando temeritatem (scilicet qui dederat legendum, « Ille *sed* extrema *pendentes ludit in* ala, Et volucres ramo, etc. ») adcurata interpretatione facile refutes. Hylas non inepte se a Boreadum osculis defendit. Eorum alterum, quum supra caput suum *suspensis palmis*, ut *oscula supina* ferret, vagantem videt, sinistra manu *extremam alam*, hoc est, remigum pennarum longissimam adripit, itaque, dum ille altius volare nititur, *sub ala* pondere deorsum tracta *pendet*, qua arte ab ore adpetentis *secluditur* ac removetur : alterius *volucres insidias ramo* in dextram sumto a se *submo-*

Et volucres ramo submovet insidias. 30
Jam Pandioniæ cessit genus Orithyiæ :
Ah dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryasin:
Hic erat Arganthi Pegæ sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin ;

vet. Hæc ideo exponenda fuere, quia Vulpius rem minus perceperat. *Extremam alam* ita dicit, ut *extremas manus* Valerius Flaccus I, 291 : « Quis tibi, Phryxe, dolor, rapido quum concitus æstu Respiceres miseræ clamantia virginis ora, *Extremasque manus*, sparsosque per æquora crines! » quæ sunt *primæ palmæ* Propertio, II, 26, 11. Neque aliter illud Catulli intelligendum videtur, Carm. II, 3 : « Quoi *primum digitum* dare adpetenti, Et acris solet incitare morsus. » Lachmannus. — Orationis vitium facile sentis, cui, ut intelligatur, tam multa accedant ab interprete necesse est. Nihilominus vocabulum in iis laudabimus audacter simul et egregie positum, *volucres insidias*, de Vento insidiante.

31. *Cessit*, recessit, Groningamus, Mentelianus, et alii scripti duo : *cessat*, abstinet, unus alter. Hoc et illud ante nos Lachmann. probavit, conjunctivum *cesset* recte notans esse nihili, quem Burm. dedit ex aliis. — *Pandionia Orithyia* (vide vs. 26), Erechthei filia, regis Athenarum, quæ Pandiona habuit avum, Erechthei patrem. In *Orithyiæ* nomine, literæ posteriores duæ syllabam unam faciunt; versus enim spondaicus est. Cæterum, quæ legimus hic de Boreadis, scriptor nullus, si Mureto fides, præter Nostrum memorat. Plura sunt ejusmodi, quæ videtur Propertius ex antiquis Græcorum fabulis hausisse, nunc deperditis. — *Ibat Hylas Hamadryasin*, Hamadryadibus ; lascivia liberatus istorum, sese dabat Hylas rapiendum Nymphis. *Ire* cum tertio casu, ut eleg. 15, 8. *Hamadryades* propria significatione sunt Nymphæ nemorum, quæ nasci cum arboribus dicuntur (ἅμα τῇσι δρυσὶ) et cum iisdem interire.

33. *Pegæ*. Vulgo *Pege*. Pluralem numerum Apollonius Rhodius indicat, ejusque scholiastes. Scaligero monente, scripturam nominis Lachmannus correxit. *Hic erat Pegæ grata domus Nymphis*, ut IV, 1, 14, « *Centum illi* in prato sæpe senatus *erat;* » eodem libro, 9, 20, « Nobile *erit* Romæ *pascua vestra* forum. » Quod autem *Pegas* habemus hic fontem, qui supra vs. 4 erat *Ascanius*, difficultas omnis tolletur, si Burmanni conjecturam volumus satis commodam amplecti : « fontem istum, magna aquarum copia scatentem, vocatum fuisse πηγάς, seu *vim aquarum*, ita ut ex earum abundantia in nomen proprium fons apud incolas abierit, vero nomine *Ascanius* dictus. » — *Arganthus* mons Mysiæ, qui Anton. Liberali est Ἀργανθώνη, Ἀργανθώνιος Stephano Byzant. — *Thyniades Nymphæ*, Bithynicæ. Pars olim Bithynæ gentis designata nomine Tynorum est.

Quam supra nullæ pendebant debita curæ
  Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum irriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaveribus.
Quæ modo decerpens tenero pueriliter unguï,
  Proposito florem prætulit officio;
Et modo formosis incumbens nescius undis,
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis,
  Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ
  Miratæ solitos destituere choros,
Prolabsum leviter facili traxere liquore.
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa : sed illi

35. *Nullæ curæ debita*, nullæ hominum arti. *Nullæ* pro nulli, ut etiam Plaut. Mil. Glor. III, 1, 206. Sic *uni* pro unius apud Catull. XVII, 17. Vide et Nostrum, III, 11, 57. — *Sub arboribus;* proprie dictum *sub;* pendent enim fructus subter de ramis arborum.

40. *Propositum officium.* Meminimus quid sit ex versibus 23—24.

41. *Nescius,* incautus, periculum non cogitans esse sibi. — *Formosis undis.* Inane Burmanni commentum est, hoc epitheton referentis ad imaginem, quam fons reddit expressam pueri. Satis enim constat, vi sensus fere nulla poni, quæ pleraque fingunt *formosa* veteres, qualiter hic vere Propertius loquitur, ut et aliis permultis locis. Vide supra eleg. 2, 9; 4, 7; II, 19, 25; IV, 4, 32. — *Errorem tardat*, moram facit itineri, *blandis imaginibus*, blanda captus imagine sua. *Error* ita positus, ut erat vs. 15. Male Passeratius et *Kuinoel:* « Errorem suum (corpus esse putans, quod umbra et imago esset) longiorem reddit, blanda et adridentia sibi simulacra spectando. »

43. *Flumina*, undam, ut IV, 9, 36. — *Innixus dextro humero*, inclinatus nitens brachio dextro. Sic eleg. 16, 42, *oscula nixa* dicit, hoc est, quæ dat inclinatus amator cum nixu limini. — *Plena trahens* urna sua *flumina. Plena*, plene; hujus neutri vidimus exempla eleg. 16, 26.

45. *Cujus;* hoc est, humeri.

47. *Liquore facili*, cedere facili, ut loquitur eleg. 11, 12.

49. *Cui procul Alcides iterat responsa*, etc. Neque hanc, quam libri omnes præferunt, scripturam probare possum, nec ingeniosam Fonteinii Huschkiique emendationem scribentium ex Theocrito :

Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitus servabis amores
Formosum Nymphis credere fisus Hylan.

« Cui procul Alcides *ter Hyla responsat : at* illi, etc. » quia quæ præcedunt, « Tum *sonitum* rapto corpore *fecit* Hylas, » de clamore Hylæ intelligi nequeunt, quem aliis et ornatioribus verbis poeta indicaturus fuisset : sin referuntur, quo sane referenda sunt, ad sonitum, quem in aquam decidendo faciebat, non potuit eum sonum Hercules procul audire, ut respondendi facultas esset. Magis probæ hoc nomine, nisi alia obstarent, sunt divinationes Rutgersii et Heinsii : « Tum sonitum rapto corpore fecit. *Hyla* Cui procul Alcides iterat. Responsa sed illi Nomen ab extremis fontibus aura refert; » et, « *Quem* procul Alcides iterat. Responsa sed illi Nomen ab extremis *montibus* aura refert. » At levi mutatione integritas sua his versibus redibit, si scribas mecum *det* pro *sed* : « Cui procul Alcides iterat, responsa *det* : illi Nomen ab extremis fontibus aura refert. » Semel iterumque vocabat Hercules Hylam, hortans simul, ut responderet. Lachmannus. — *Extremi fontes* sunt remoti, longinqui. — Hylæ narrant fabulam et Theocritus Idyll. XIII, Apollon. Rhodius I, Valer. Flaccus III.

51. *His, o Galle*, etc. Vulgo : « His, o Galle, tuos *monitis* servabis amores, Formosum Nymphis credere *tutus* Hylan; » His de monitis, o Galle, amores custodies tuos, *tutus* (nil veritus) illos Nymphis committere. Sed veram dedit constructionem Marklandus, sublata post *amores* distinctione verba jungens *servabis tutus credere*, cavebis nimium securus committere. *His* autem *monitus* cum libro Neapolitano et aliis non paucis reponimus de Lachmanni sententia, *monita* in vulgari lectione quum referantur nimis incommode ad initium carminis. Porro nec illud *tutus*, etsi teneri potest, probaverim ex incerto Codice : *visus* boni omnes habent; *fisus* manifeste sincerum est, quod Lachmannus restituit : Cavebis, Nymphis confisus, credere Nymphis Hylan tuum. — In toto poeta nostro carmen forte nullum est, quod interpretationis majorem curam postulet, et videri possit hic quodammodo Propertius aspera dictionis forma declarare ingenium suum.

IMITATIONES GALLICÆ.

17. *Namque ferunt olim*, etc. Reddit fabulam *André* Chénier in idyllio, cui nomen inscribitur *Hylas* (*ou le chevalier de Pange*) :

Le navire éloquent, fils des bois du Pénée,
Qui portait à Colchos la Grèce fortunée,

Craignant près de l'Euxin les menaces du nord,
S'arrête, et se confie au doux calme d'un port.
Aux regards des héros le rivage est tranquille;
Ils descendent. Hylas prend un vase d'argile,
Et va, pour leurs banquets sur l'herbe préparés,
Chercher une onde pure en ces bords ignorés.
Reines, au sein d'un bois, d'une source prochaine,
Trois Naïades l'ont vu s'avancer dans la plaine:
Elles ont vu ce front de jeunesse éclatant,
Cette bouche, ces yeux; et leur onde à l'instant
Plus limpide, plus belle, un plus léger zéphire,
Un murmure plus doux, l'avertit et l'attire.
Il accourt. Devant lui l'herbe jette des fleurs:
Sa main errante suit l'éclat de leurs couleurs;
Elle oublie, à les voir, l'emploi qui la demande,
Et s'égare à cueillir une belle guirlande.
Mais l'onde encor soupire, et sait le rappeler.
Sur l'immobile arène il l'admire couler,
Se courbe; et, s'appuyant à la rive penchante,
Dans le cristal sonnant plonge l'urne pesante.
De leurs roseaux touffus les trois Nymphes soudain
Volent, fendent leurs eaux, l'entraînent par la main
En un lit de jonc frais et de mousses nouvelles.
. . . . . .
« Quand ces trois corps d'albâtre atteignaient le rivage,
D'abord j'ai cru, dit-il, que c'était mon image
Qui, de cent flots brisés prompte à suivre la loi,
Ondoyante, volait et s'élançait vers moi. »
Mais Alcide inquiet, que presse un noir augure,
Va, vient, le cherche, crie auprès de l'onde pure:
Hylas! Hylas! Il crie et mille et mille fois.
Le jeune enfant de loin croit entendre sa voix,
Et du fond des roseaux, pour adoucir sa peine,
Lui répond d'une voix inentendue et vaine.

Adde Parny (*la Journée champêtre*):

On sait qu'Hercule aima le jeune Hylas.
. . . . . .
Tous deux un jour arrivent dans un bois
Où la chaleur ne pouvait s'introduire:
En attendant le retour de Zéphire,
Le voyageur y dormait quelquefois.
Notre héros sur l'herbe fleurissante
Laisse tomber son armure pesante,
Et puis s'alonge, et respire le frais;
Tandis qu'Hylas, d'une main diligente
D'un dîner simple ayant fait les apprêts,
Dans le vallon qui s'étendait auprès
S'en va puiser une eau rafraîchissante.
Il voit de loin un bosquet d'orangers,

Et d'une source il entend le murmure :
Il court, il vole où cette source pure
Dans un bassin conduit ses flots légers.
De ce bassin les jeunes souveraines
Quittaient alors leurs grottes souterraines :
Sur le cristal leurs membres déployés
S'entrelaçaient et jouaient avec grace ;
Ils fendaient l'onde, et leurs jeux variés,
Sans la troubler, agitaient sa surface.
Hylas arrive, une cruche à la main,
Ne songeant guère aux Nymphes qui l'admirent :
Il s'agenouille, il la plonge, et soudain
Au fond des eaux les Naïades l'attirent.
. . . . . .
Bientôt Hercule, inquiet et troublé,
Accuse Hylas dans son impatience :
Il craint, il tremble ; et son cœur désolé
Connaît alors le chagrin de l'absence.
Il se relève, il appelle trois fois,
Et par trois fois, comme un souffle insensible,
Du sein des flots sort une faible voix.
Il rentre et court dans la forêt paisible ;
Il cherche Hylas : ô tourment du désir !
Le jour déjà commençait à s'enfuir :
Son ame alors s'ouvre toute à la rage ;
La terre au loin retentit sous ses pas ;
Des pleurs brûlans sillonnent son visage ;
Terrible, il crie : Hylas ! Hylas ! Hylas !
Du fond des bois Écho répond, Hylas !
. . . . . .

ELEGIA XXI.

GALLI UMBRA LOQUITUR.

ARGUMENTUM.

Gallus, poetæ propinquus (vide eleg. 22, 7), post cladem Perusinam, quum ab Antonii stetisset partibus, in montibus occisus Etruriæ, sororem de miseranda morte sua per fugientem commilitonem edocet.

Tu, qui consortem properas evadere casum,
Miles, ab Etruscis saucius aggeribus
Qui nostro gemitu turgentia lumina torques,

1. *Tu, qui consortem*, etc. In recensendis his decem versibus operam Lachmannus tam minutam posuit, ut nihil omnino judicemus magis esse proprium, quam desumtis ejus verbis rem nostram agere. Ita porro vir doctus:

Poematium non inelegans, sed male sedula criticorum cura probe corruptum, nos meliorum Codicum ope ductuque restituimus. Jam de singulis exponemus. Primos versiculos ita scriptos omni tempore critici dedere: « Tu qui consortem properas evadere casum, Miles ab Etruscis saucius aggeribus, *Quid* nostro gemitu turgentia lumina torques?» In quibus *nostro gemitu* pro *gemitu nostri* positum volunt, eo sensu, quo Livius, XXII, 5, *gemitus vulnerum* dixit. Ita ergo exponunt: « *Quid torques*, crucias, » vel, ut Passeratius, « flectis et volvis huc et illuc *lumina*, meum fatum gemendo tumida?» At vero a gemitu non tument oculi, sed a fletu; nec lugere Gallum poterat miles, qui commilitonem suum ne agnosceret quidem, cuique hoc ut diceretur opus esset, *Pars ego sum vestræ proxima militiæ*. Jure meritoque igitur optimam Codicis Groningani scripturam, Livineio quoque probatam, adsciscimus, *Qui nostro gemitu*, mutata insuper distinctione. Gallus militem fugientem adloquitur, qui, gemitu audito, oculos fletu turgentes a clade Perusina ad loquentem convertebat. Ita enim jungenda verba sunt: *lumina torques ab Etruscis aggeribus*; quo modo loqui videbis Ovidium, Metam. VI, 515, et Horatium, epist. II, 1, 127. Porro militem Gallus se ipsum, ut parentes gaudeant,

Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te servato, ut possint gaudere parentes;
Nec soror acta tuis sentiat e lacrymis.
Gallum per medios ereptum Cæsaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus,
Et quæcumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, hæc sciat esse mea.

fuga servare jubet et fletum compescere, ne soror (Galli puta, non ejus, quem adloquitur), quam male res Perusina gesta sit, ex ejus lacrymis sentiat. Aperta sententia, modo teneas, Gallum omnia non ignoto homini sed sibi cognato dicere (ideo vs. 4, « Pars ego sum vestræ *proxima* militiæ; » ne Passeratio credas exponenti *nuper*), nec, quod interpretibus placet, hoc carmen inscriptum fingi sepulcro Galli, quippe qui humatus numquam fuit (coll. vs. 9; eleg. 22, 8), neque a Gallo moribundo pronuntiari (*proximum* fuisse *morti* censet *Kuinoel* hominem dispersis ossibus, vs. 9); sed ab umbra et εἰδώλῳ interemti, cum gemitu (vs. 3) sancto more prodeunte. At criticis hæc ita potius interpolare libuit: « Sic te *servato possint* gaudere parentes; *Hæc* soror *Acca* tuis sentiat e lacrymis, Gallum per medios, etc. » trium commentis in unum coactis, Passeratii, Beroaldi, Scaligeri. Nam *ut* ante *possint* delendum præcepit Passeratius; frustra. Cur enim nolimus hoc, *Serva te, ut parentes gaudere possint?* At idem Passeratius Scaligeri divinationem improbabat, a quo erat repositum *Acca*, quod nomen unde Galli sorori venisset intelligere nequibat. Nihil sane Codicum scriptura verius est *acta* exhibentium, modo ne mandata morientis intelligas, sed res bello gestas, uti vocabulum Statius et Sallustius usurpant, Thob. II, 651, et Jugurth. cap. extremo 53. Denique etiam *Nec soror* recte habet, vel, si id mavis, *Neu; Ne* autem, quod habent libri quidam, vitiosum est. *Hæc* debetur Beroaldo, non videnti, *sciat* ex versu postremo ad illa quoque revocandum esse, *Gallum per medios*, etc. Duæ res sunt, quas scire sororem Gallus cupit: se, postquam milites Cæsaris evasisset, in ignotas manus incidisse (interpretes adcuratius, quam ipse Propertius, rem incertam edocti, a latronibus interfectum scribunt); tum ossa sua, ne forte quærat integrum corpus, in montibus Etruscis passim esse dispersa. Cæterum et huic et sequenti carmini aliquid epigrammatici inesse ipse, opinor, sentis; ut nihil nos cogat Heinsium sequi, in Adversar. II, 15, pag. 335, et hoc et illud majoris carminis fragmenta esse judicantem.

ELEGIA XXII.

AD TULLUM.

ARGUMENTUM.

Amicum Tullum Propertius docet patriam suam, non sine mœsta gravique bellorum civilium recordatione.

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra,
Italiæ et duris funera temporibus,
Quum Romana suos egit discordia cives; 5
Sic, mihi præcipue, pulvis Etrusca, dolor,

1. *Tullus;* sæpe jam in hoc libro memoratus. — *Pro nostra semper amicitia,* pro continua amicitia nostra. *Semper* adjective positum, ut vides hic esse, Propertius tuetur ipse III, 9, 37 : « Non flebo in cineres arcem sidisse paternos Cadmi, nec *semper* prælia clade pari. » *Semper prælia clade pari,* hoc est, prælia clade pari tam multa. Hoc libro nostro I, 16, 47, « Sic ego nunc, dominæ vitiis et *semper* amantis Fletibus, æterna differor invidia; » *semper*, continuis, *amantis fletibus.*

3. *Si Perusina*, etc. Vulgo : « Si Perusina tibi patriæ sunt nota *sepultæ* Italiæ duris funera temporibus, etc. » A Scaligero hoc est *sepultæ*, quod scriptus liber confirmat non bonus. Sed taxat Lachmannus merito compositionem verborum istam *patriæ sepultæ Italiæ*, et scripturam a se revocatam Codicum omnium *sepulcra*, particula *et* in minore versu addita, rectam facit et commodam : « Si Perusina tibi patriæ sunt nota *sepulcra*, Italiæ *et* duris funera temporibus. » *Sepulcrum* ita Catullus habet, Carm. LXVIII, 89 : « Troja nefas, commune *sepulcrum* Europæ Asiæque. » Audacius Noster, IV, 1, 88 : « Et maris et terræ longa *sepulcra* canam. » *Patriæ* autem *sepulcra* et *funera Italiæ*, quo modo jungit Petronius, cap. 121, *Thessaliæque rogos et funera gentis Iberæ.*

6. *Sic, mihi præcipue*, etc. Parenthesin oratio postulat. Totum locum ita cape : « Si Perusina tibi... Quum Romana suos egit discordia cives (*Sic*, mihi præcipue, pulvis

Tu projecta mei perpessa es membra propinqui;
Tu nullo miseri contegis ossa solo;
Proxima subposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus. 10

Etrusca, dolor, Tu projecta mei perpessa es membra propinqui; Tu nullo miseri contegis ossa solo;), Proxima subposito, etc. » In quibus interpretes *Sis mihi præcipue dolor* cum Scaligero corrigunt, sensu non exactissimo. Codices plerique (Regii etiam nostri duo) *Sit mihi;* Heinsius *Fis* volebat; *Tu mihi* Marklandus. Veram scripturam (Lachmanni subjicimus verba) liber Mentelianus cum tribus aliis servavit, e quibus repono: « *Sic*, mihi præcipue, pulvis Etrusca, dolor, Tu projecta mei perpessa es membra propinqui. » *Sic*, in his bellorum civilium turbis. Hoc enim illa particula significat: In hac rerum conditione, Quum aliud quid sit aut esset. Propertius, II, 25, 39: « At vos, qui officia in multos revocatis amores, Quantum *sic* cruciat lumina vestra dolor! » *Sic*, quum illud facitis. Libro IV, 11, 9, « *Sic* mœstæ cecinere tubæ, » intelliges Ideo. Porro neque ista recte capiunt supra eleg. 3, 34, « *Sic* ait, in molli fixa toro cubitum, » in quibus *Sic* ad præcedentia referendum ita exponi debet: « Quum luna oculos compositos suis radiis patefecisset. » Accedit et auctoritas Virgilii, Æneid. I, 223, « Et jam finis erat, quum Juppiter æthere summo Despiciens mare velivolum terrasque jacentes Litoraque et latos populos, *sic* vertice cæli Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis; » ubi Heynium adi, et, qui Græca contulit, Wunderlichium ad Æschinem contra Ctesiph. pag. 226. Hæc adcurate Lachmannus. — De vocabulis junctis *Etrusca pulvis* et *nullo solo* vide quæ diximus ad eleg. 11, 12. — *Propinqui mei*, Galli; cf. el. 21.

9. *Proxima contingens Umbria subposito campo;* Umbria, qua parte subposito campo (sextus casus) contingit Perusiæ proxima. Cf. Propertii Vitam Chronol. ad ann. 702, et notata libro IV, 1, 123 sqq.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Qualis, et unde genus*, etc. Ita etiam Bertin in epilogo:

O vous qui lirez mes écrits,
Lecteurs trop indulgens, voulez-vous me connaître?
Au sein des vastes mers l'Afrique m'a vu naître.
Faible arbuste à neuf ans transplanté dans Paris,
Et de mon premier ciel favorisé peut-être,
Je surpassai l'espoir de mes maîtres chéris, etc.

FINIS LIBRI PRIMI.

SEXTI AURELII

PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER SECUNDUS.

ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

AD MÆCENATEM.

ARGUMENTUM.

Mirantibus, cur indesinenter, quum scribit, Veneris laudes repetat, non ab Apolline accipere se ingenium, sed a Cynthia sua Propertius respondet. Quod si posset magis, et ad heroica vires sufficerent, partam Cæsari gloriam bello, tot victorias, tot actos triumphos, in iisque semper Mæcenatis conspiciendam fidem, prima et unica futura sibi esse argumenta carminis. Vetari talia tam exiguo pectori: natum se, quem habeant amantes poetam; in hoc reputari sibi laudem positam, ut et amemus et redamemur; causam sibi mortis fore serius ocius puellam suam.

Quæritis, unde mihi toties scribantur amores,
Unde meus veniat mollis in ora liber.
Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.

2. *Mollis*, amatorius, elegiacus. Vide ad vers. 41.

3. *Non hæc Calliope*, etc. Ovidius, Trist. V, 1, 27, de miseriis suis: « Non hæc ingenio, non hæc componimus arte: Materia est propriis ingeniosa malis. » Incertam lectionem *dictat* pro *cantat*, recepit cum Burmanno *Kuinoel*. Cæteri *cantat*, quod ut Codd. fides tuetur, ita recto sensu per se positum defendimus. Cantare enim Apollo fingitur, dum scribentes excipiunt ejus verba poetæ. Inde Virgil. Æneid. I, 8: « Musa, *mihi* causas *memora*, quo numine læso, etc. »

*Sive illam Cois fulgentem incedere ~~coccis~~ cogis,
Hoc totum in Coa veste volumen erit;
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos;
Gaudet laudatis ire superba comis;
Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus;
Seu quum poscentes somnum declinat ocellos,
Invenio causas mille poeta novas;*

5.* *Sive illam Cois... mille poeta novas.** Turbatum locum signamus nota. *Kuinoel* (ut aliorum deterrimas lectiones omittam) scriptum dedit hoc modo : « Sive illam Cois fulgentem incedere *vidi*, Hoc totum *e* Coa veste volumen erit; Seu vidi ad frontem, etc. » Bene quidem; et acciperem, nisi Codices obstarent. Sed paucissimi, qui nec magnæ fidei sunt, illud *vidi* in primo versu exhibent; cæteri diversissime : « Sive illam Cois fulgentem incedere *cogis*. » Latebat in hoc, quam veram scripturam eruerent critici. Sensit Lachmannus, et corruptum vocabulum *cogis* acute corrigit : « Sive illam Cois fulgentem incedere *coccis*. » Porro nec stare locus poterat, nisi verbum accederet, cui versiculus iste subjiceretur. Permutatis inter se distichis (quatuor hic ab eodem vocabulo incipiunt) rem Lachmannus peragit, quocum legimus : « Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis, Miramur, faciles ut premat arte manus. Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos, Gaudet laudatis ire superba comis; Sive illam Cois fulgentem incedere *coccis*, Hoc totum *in* Coa veste volumen erit; Seu quum poscentes somnum declinat ocellos, Invenio causas mille poeta novas. » In quibus recta constructione habet : *Seu vidi capillos errare, Sive illam vidi incedere fulgentem, Seu vidi quum ocellos declinat.* Scripturæ autem Codicum, *Hoc totum e Coa veste volumen erit*, mendum inesse sensus arguebat : quis enim carmen *e Coa veste* accipiat, quod scribitur carmen de Cois vestibus? Liber quidem exaratus manu *Totum de Coa veste volumen erit* exhibet, sed interpolatoris mera conjectura est. Egregie Lachmannus reponit : « Hoc totum *in* Coa veste volumen erit; » quod quali modo capiendum sit, mox videbimus. — *Lyræ carmen percussit*, id est, percussa lyra carmen (canorum sonum) elicuit. Ne cum Dousa Burmannoque *percurrit* velis corrigere, Huschkium adi, Epist. Crit. pag. 8—12. — *Errare*, de capillis, ut eleg. 22, 9. — *Coa cocca* dicit, quas *purpuras Coas* Horatius, Carm. IV, 13, 13. — *Hoc totum*, etc. *Hoc*, ideo (casus sextus est), volumen suum (Lachmanni verbis utor) *totum* futurum *in Coa veste* dicit, eaque celebranda totum occupatum iri. Ovid. Fast. VI, 251 : « *In prece totus eram* : cælestia numina sensi. » Horat. sat. I, 9, 2 : « Nescio quid meditans nugarum,

Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
  Tunc vero longas condimus Iliadas;
Seu quidquid fecit, sive est quodcumque loquuta,
  Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Mæcenas, fata dedissent,
  Ut possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
  Impositam, ut cæli Pelion esset iter;
Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri,
  Xerxis et imperio bina coisse vada,
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
  Cimbrorumque minas, et benefacta Mari:

totus in illis. » Epist. I, 1, 11 : « Quid verum atque decens curo et rogo, et *omnis in hoc sum.* » — De *Cois vestibus* vide I, 2, 2.

14. *Tunc.* Lachmannus *Tum.* Vide ad I, 7, 21. — *Longas Iliadas condimus.* Laudant interpp. ex Polluce proverbium : Μακρότερα τῆς Ἰλιάδος λαλῶν, prolixiora Iliade loquens.

18. *Heroas manus in arma ducere.* Gladio cingi poetas ipsos figurate dicimus, dum tumultuantes acies et bellica facta celebrant. *Manus*, ut sæpe, phalanges, agmina.

19. *Non ego Titanas*, etc. Fabula passim memorata scriptoribus. — *Ossan impositam* pro vulg. *impositum* liber Neapolitanus agnoscit. Probo, ait Lachmannus; alibi enim præferri talia Codicum auctoritate solent; atque ita Ovidius quum sæpius, tum Amorr. II, 1, 13, in re eadem : « *ingestaque Olympo Ardua* devexum Pelion *Ossa* tulit. » — *Ut cæli Pelion esset iter.* Librorum omnium scriptura hæc, quam a se restitutam Lachmannus firmat exemplis. Flaccus Valerius, I, 565 : « durum vobis *iter* et grave *cæli* Institui. » Idem auctor, I, 793 : « Da *placidæ* mihi *sedis iter*... » Ita et Ovid. Metam. XI, 792, Lucan. IV, 267, Senec. Phœniss. 304, *leti viam* dixerunt. Editores in versiculo Propertii cum Broukhusio correxerant : « ut *cælo* Pelion esset iter. »

21. *Thebas.* Vide ad I, 7, 1 sq. — *Nomen Homeri*, Homerus unde famam tulit. — *Xerxis et imperio*, etc. Hoc genitivo *Xerxis* bonum scriptorem qui usus sit, ne unum quidem novi. Præterea vero particula *et* ferri non potest; quid enim Xerxes ad bellum Trojanum? Lego : « *Xerxi aut* (vel) *Xerxive* imperio bina coisse vada. » Eam formam *Xerxi* habet Cornel. Nepos, XXI, 1, 3. Cf. Heinsium ad Ovid. Heroidd. VIII, 9. Lachmannus. — Factum ipsum notissimum explicatione non indiget.

23. *Regnave prima Remi*, Romæ primordia. *Remus* pro Romulo, ut IV, 6, 80; apud Catull. LVIII, 5; Juvenal. X, 73. — *Cimbrorumque.*

Bellaque resque tui memorarem Cæsaris, et tu
Cæsare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut, civilia busta, Philippos,
Aut canerem Siculæ classica bella fugæ;
Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ,
Et Ptolemæeæ litora capta Phari:
Aut canere inciperem et Nilum, quum tractus in urbem

Postulat oratio *Cimbrorumve minas*. Lachmannus correxit.

25. *Tui Cæsaris*. Positum pronomen hic, ut eleg. 10, 4, et IV, 1, 46, cui pietatis inest et amoris significatio. — *Cæsare sub magno*, post magnum Cæsarem, *cura tu mea secunda fores*, argumentum alterum, altera tu causa carminibus meis.

27. *Nam quoties*, etc. Nulla librariorum errantium habita ratione, scribe ex historiæ fide: « Nam quoties Mutinam, aut, civilia busta, Philippos, Aut canerem Siculæ classica bella fugæ; Eversosve focos antiquæ gentis Etruscæ, *Aut* Ptolemæeæ litora capta Phari: Aut canere inciperem et Nilum, quum tractus in urbem Septem captivis debilis ibat aquis; *Et* regum auratis circumdata colla catenis, Actiaque in Sacra currere rostra via; etc. » Priora ad res gestas, ultima ad triumphum pertinent. Neque in hujusmodi enumeratione negligentiæ locus est. Hæc optime Lachmannus. — *Mutinam*, id est, liberatum ab Augusto Decimum Brutum, quem tenebat Antonius obsessum Matinæ. — *Philippos;* in celeberrimis quibus campis obruta cum Bruto Cassioque Romana libertas est. *Civilia busta* dicit campos istos, quo modo *Perusina patriæ sepulcra* erant I, 22, 3, et *Troja commune sepulcrum Europæ Asiæque* apud Catull. in notis illic citatum. — *Classica bella Siculæ fugæ*, in Siculo mari devictum fugatumque Sextum Pompeium ab Augusto. *Bella fugæ*. Vide ad eleg. 10, 23. — *Eversos* Etruriæ *focos*, Perusiæ excidium. — *Litora Phari capta*, obsessam captamque Alexandriam, postquam vicisset Augustus ad Actium. Insula *Pharus* est, juncta olim aggere et ponte cum Alexandria. *Ptolemæea*, ab Ægypti regibus Ptolemæis. — *Aut canere inciperem et Nilum*. Pulchra et hæc certissimaque emendatio Lachmanni, quem de loco disserentem ipsum audi: Codices optimi, Groninganus cum aliis, *Aut canerem Cyprum et Nilum* habent, Neapolitanus *Cyptum*. Id quum historiæ non conveniret, *Ægyptum* primi editores substituerunt (*Aut canerem Ægyptum et Nilum*, etc.), probantibus, qui posthac hunc poetam adtigerunt, omnibus. Sed quo tandem consilio *Ægyptum* commemorat, qui jam dixerat antea *Ptolemæeæ litora capta Phari?* Quid, quod hic de rebus gestis in Ægypto (has enim *Ægypti* nomen sic nude positum indicabit) non amplius agitur, sed de triplici triumpho, Ægyptio, Illyrico, Actiaco: « *Nilum*, quum tractus in urbem....

Septem captivis debilis ibat aquis;
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra via;
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumta et posita pace fidele caput.

Et *regum* auratis circumdata colla catenis, *Actiaque* in *Sacra* currere *rostra via*. » Neque duci in triumpho imago potuit, septem ostiis tarde incedentem Ægyptum referens, sed Nilum. Præterea, ut de soni rusticitate nihil dicam et intolerabili desinentia Canerem Ægyptum et Nilum quum, habet etiam metrica ars, quod admissum contra suas regulas culpet. (Scilicet in penthemimeri non posse particulam *et* poni ut hic est, « Aut canerem Ægyptum *et* Nilum, quum tractus in urbem, » Lachmannus comparatis exemplis ostendit: ejus adi commentarium.) Quæ quum ita sint, librorum lectio *Aut canerem Cyprum* facile nos ducit eo, ut reponamus: « Aut *canere inciperem* et Nilum, quum tractus in urbem Septem captivis debilis ibat aquis. » Ex *canere inciperem* posteaquam factum erat *canerem ciperem*, nihil mirum jam est, inde *Cyprum* promanasse. Ita vero particula *et* sese sustinere potest, prædicens nova, non sequentia prioribus copulans. Verbum *incipere* sæpissime videbis apud Nostrum hoc ipso modo construi; ut II, 19, 19; III, 4, 16; IV, 10, 1. — Emendationem iterum pro verissima tueor, et locum ut habeat in venturis editionibus, confidenter auctor sum. — *Nilum, quum tractus in urbem*, etc. Claudianus, de Cons. Stilich. III, 22: « Hi famulos traherent reges; hi facta metallo Oppida, vel montes *captivaque flumina* ferrent. Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes, etc. » *Fractis amnes cornibus*, pro quo *debilem Nilum captivis aquis* Propertius posuit. Scilicet in triumpho meminimus esse ductas imagines, quæ provincias, urbes, et subacta flumina repræsentarent. — *Via Sacra. Sacram*, ait Festus, « quidam adpellatam esse existimant, quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum ac Tatium; quidam, quod eo itinere utantur sacerdotes, Idulium sacrorum conficiendorum causa. » Initium ab amphitheatro via Sacra habuit, et per vicinos hortos juxta Pacis templum et forum Cæsaris recta tendebat in Capitolium. Triumphantibus imperatoribus adsuetam frequenter eam scriptores commemorant. De eadem vide II, 23, 15; II, 24, 14. — *Actia rostra currere*, imposita vehi curribus. *Canere* autem *rostra currere*, ut paucis ante versibus *canere bina boisse vada*; et III, 3, 6: « Unde pater sitiens Ennius ante bibit, Et *cecinit* Curios fratres, et Horatia pila... Ansèris et *tutum* voce *fuisse Jovem*. » Ita etiam *flere* sæpe in auctore nostro cum infinitivo constructum, de quo vide II, 27, 7.

35. *Te semper contexeret*, misceret, *illis armis*; semper nomen tuum gesta inter hæc celebratum referret. — *Et sumta et posita pa-*

Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.
Sed neque Phlegræos Jovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus;
Nec mea conveniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves,

ce; ut in pace, sic et bello. Notanda locutio ista est, qua verba *sumere* et *ponere* inversa sententia Propertius cum *pace* conjungit, recta solitaque oratio quum *bellum* aut *arma* posceret.

37. *Theseus infernis*, etc. Hoc distichon ut superiori connexum intelligi posset, Muretus *quale caput* supplebat. Structuræ licentiam abnormem nec excusandam Lachmannus rejicit, mutatione hac sua sistens restitutum locum: « Te mea Musa illis semper contexeret armis, Et sumta et posita pace fidele caput, Theseus infernis, superis *ceu fatur* Achilles, Hic Ixioniden, ille Menœtiaden. » Quod vir doctus explicat: « Fidele Augusto caput Mæcenatem dicit, quales sibi Pirithoum et Patroclum fuisse superis inferisque Achilles ac Theseus referunt. Nam mortui apud inferos sua fata narrant (vide Nostrum, IV, 7, 63 sqq.; II, 28, 27; Virgil. Æneid. VI, 618 sq.): dii autem (hos enim *superos* intelligo) apud Homerum et alios res ab hominibus gestas in animum sibi sæpius revocant. » — Ingeniosa profecto conjectura videbitur, sed et nimium fortasse libera; ideo nec adversabor, si, vulgari servata lectione, quædam opinari malis excidisse apud Nostrum. — *Ixioniden*..... *Menœtiaden*. Ixiona Pirithous, Menœtium habuit Patroclus patrem.

40. *Intonet*, intonabit. Conjunctivus est, ut sæpe, pro futuro positus. — *Callimachus*, Cyrenæus poeta, Batti et Mesatmæ filius, carminibus elegiacis inclaruit. *Angustum* hic *pectus* habet (plane ut *exiguum* Nostri *pectus* est IV, 1, 59), quippe qui tenera leviaque cecinit, hoc eodem sensu *non inflatus* dictus infra eleg. 34, 32. Decorat se Propertius *Romani Callimachi* nomine IV, 1, 64. — *Phlegræos Jovis Enceladique tumultus*, bellum Giganteum, in notis memoratum ad I, 20, 9. *Enceladus* unus e Gigantibus est.

41. *Nec præcordia mea conveniunt*, apta sunt, *condere Cæsaris nomen in Phrygios avos*, Trojanam Cæsaris originem dicere. — *Durus versus*, heroicus, epicus. Sic *durum poetam* habes eleg. 34, 44, et *duram coronam*, quæ poetarum epicorum est, III, 1, 20. *Mollia* contrario sensu dicuntur amatoria carmina; ut *liber mollis* supra versu 2; *mollis versus* I, 7, 19; *chori molles* II, 34, 42.

43. *De tauris. De terris* Codex Regius meus D. Inter varias lectio-

Nos contra angusto versantes prælia lecto.
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori; laus altera, si datur uno
Posse frui: fruar o solus amore meo!
Si memini, solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada:
Seu mihi sunt tangenda novercæ pocula Phædræ,

nes hanc Burmannus non habet.

45. *Nos contra*, etc. Bona hæc tenendaque scriptura Codicum: « Enumerat miles vulnera, pastor oves, Nos contra angusto *versantes* prælia lecto: » Nos amantium enumeramus gaudia, inter se rixas angusto lecto versantium. In vulgari lectione, « Nos contra angusto *versamus* prælia lecto, » turbari sententiam Lachmannus adtendit, ubi *narramus*, *celebramus* (pugnas istas) cohærentia loci volebat, non *versamus*, committimus. Cæterum *versari prælia* aut *bellum* neminem fortasse præter Propertium et Ciceronem dixisse (in Verrem, III, 53, 124, et pro Archia, 9, 21), idem Lachmannus observat, *contra versantes* apud Nostrum recte accipiens alterum contra alterum, ut *contra obpugnare* est III, 11, 13, ne hic vocabulum *contra* pro *autem* existimes positum. — *Pote*. Vide ad I, 11, 9.

47. *Laus* est *in amore mori*, et vitæ et amoris eumdem velle esse terminum; *laus altera, si datur uno Posse frui*, si possit hic nobis unicus amor fructum habere suum, puellæ scilicet expertus mutuo. *Amore* enim *fruitur*, quem domina redamat. Propertius, III, 20, 30: « Semper amet, *fructu* semper *amoris* egens. » Tibullus, I, 5, 17: « Omnia persolvi: *fruitur* nunc alter *amore*, Et precibus felix utitur ille meis. » — *Solus;* ante alios omnes; præ cæteris, quicumque sint amatores. *Solum* ita dicit I, 7, 11; II, 7, 19; 20, 35.

49. *Si memini*, etc. Ante versiculum istum Broukhusius Burmannusque de sententia Scaligeri positum distichon exhibent *His saltem ut tenear*, etc. quod loco suo restitutum habes eleg. 3, 45—46, ex unoque libro nec optimo *Sed memini* pro *Si memini* corrigunt. Scaligeri transpositiones ejusmodi, quibus turbatum passim Propertium agnoscere est, non multum morabimur: hoc loco, illustrari dicemus versibus 49—56 sententiam distichi *Laus in amore mori.... fruar o solus amore meo*, idcirco falsam prorsus esse lectionem *Sed memini*, adversari notante particula *sed* ea quæ sequuntur præcedentibus. — *Illa*, Cynthia. Vide not. ad I, 12, 3.

51. *Seu mihi sunt*, etc. Vulgo: « Seu mihi *sint* tangenda novercæ pocula Phædræ....; Seu mihi Circæo pereundum gramine; sive Colchis Iolciacis urat ahena focis. » Restituit Lachmannus scripturam Codicum: nam *est* post *pereundum* universi tuentur; *sunt* in superiore versu præter alios Neapolitanus

Pocula privigno non nocitura suo;
Seu mihi Circæo pereundum est gramine; sive
Colchis Iolciacis urat ahena focis;
Una meos quoniam prædata est femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides;
Et deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis;

habet ac Mentelianus. Ne quis autem cum præsentibus iis Tangenda *sunt* et Pereundum *est* subjunctivum *urat* miretur positum, de tali modorum variatione ad I, 2, 9, dictum est. Porro sententiam omnem explicamus ita: « Si memini, culpat levitatem Cynthia; fidelem igitur illam experiar; ipse autem, si vel mihi Phædræ pocula bibenda sint, etc. eamdem unam semper amabo. » *Seu* enim hic pro *si vel* cum Lachmanno accipies dictum: vide Wunderlich. ad Tibull. I, 6, 21. *Sive* ita Noster, hoc ipso libro, eleg. 25, 10. — *Phædræ pocula*, philtrum, quo tentatus Hippolytus. In hoc aut ingenium suum Propertius, aut veteres, quas nunc ignoramus, Græcorum fabulas sequitur. Neque enim aliunde comperimus, auxilium id genus Phædram in privignum quæsivisse. *Non nocitura pocula* ista sunt, quæ corrumpere non valuerunt juvenem. — *Gramen Circæum*, herbæ magicæ; quæ saga Circe venena miscet. — *Sive Colchis*, etc. sive Medea mihi paret ahena sua, in quibus, ut Æson, vitam redordiar, etc. *Urere ahena*, igne subposito; calefacere. Sic *Cyclopum officinas urere* Vulcanus dictus Horatio, Carm. I, 4, 8.

56. *Domo*. Vide not. ad I, 8, 22.

58. *Solus amor*, etc. Versiculum habuimus forma simillimum I, 2, 8, ubi jam vidimus *artificem morbi* esse, qui morbo sanando artem suam adplicat.

59. *Tarda Philoctetæ crura*; quum sagittis sese vulnerasset ab Hercule acceptis, vel, ut alii volunt, serpens eum læsisset morsu. *Tarda crura*, plane ut apud Virgil. *tardata sagitta genua* sunt, Æneid. XII, 746, et *tardus vulnere* Æneid. II, 436. — *Machaon*, Æsculapii filius, de quo vide interpp. ad Cels. de Medic. I, in Præfat. — *Phœnix*, Amyntoris filius, a patre orbatus oculis, cujus pellicem matre suadente corruperat. Apollod. III, 13, 8. — *Chiron* Centaurus, cui pater Saturnus, mater Philyra fuit.

62. *Androgeon*, Minois filius ab Atheniensibus occisus, cujus facti pœna fuit, ut quotannis juvenes vorandos Minotauro traderent. Mortuum restitutum illum vitæ Propertius unus memorat, cui et in

Mysus et Hæmonia juvenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleæ poterit tradere poma manu;
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera adsidua colla graventur aqua;
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
Brachia, et a medio pectore pellet avem.
Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero;
Mæcenas, nostræ spes invidiosa juventæ,
Et vitæ et morti gloria justa meæ,
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna jugis,

hoc, ut videtur, Græci præiverant. — *Cressis herbis.* Reputata enim Creta ferre saluberrimas.

63. *Mysus juvenis*, Telephus Mysorum rex, Græci quum Trojam peterent litoribusque adpulissent Mysiæ, exorta pugna, ab Achille vulneratus, et eadem, qua fuerat læsus, Thessala Achillis sanatus cuspide. Claudianus in Deprecatione ad Hadrianum, XXXIX, 45 : « Quæ per te cecidit, per te fortuna resurgat. Sanus Achillea remeavit Telephus hasta, Cujus pertulerat vires. » Plinius, Hist. Nat. XXV, 19, utilissimam æruginem emplastris ab Achille tradit inventam, qui ideo pingi solitus sit decutiens illam cuspide in vulnus Telephi.

65. *Vitium* pro amore, ut III, 17, 6. — *Solus*, unus omnium, ut erat vs. 48. — *Tantaleæ manu*, manui (cf. I, 11, 12), *tradere poma poterit*, quæ carpere conantem indesinenter fugiunt.

67. *Urnæ virgineæ*, urnæ virginum (Danaidum). Recte igitur lib. III, 13, 30, *virgineos calathos*, ubi reponunt *vimineos* critici. Sed et *virgineum gymnasium* hoc eodem libro III, 14, 2, *virgineus focus* IV, 4, 44. Jam vero, si totius loci connexum adtendimus, a versiculo *Omnes humanos sanat medicina dolores* tria pendent disticha hæc, *Tarda Philoctetæ.... cuspide sensit opem;* cum altero minore, *Solus amor morbi non amat artificem*, junguntur ea, quæ de se Propertius subjicit.

73. *Juventæ nostræ spes invidiosa*, in quo spem sibi cum æmulatione quæsitam juventus Romana ponit. Sic et apud Ovidium habes, Metam. IV, 794 : « Multorumque fuit *spes invidiosa* procorum. » — *Et vitæ*, etc. et in vita mihi et in morte justa causa gloriæ.

76. *Esseda*, militaria Britannorum vehicula (conf. Cæs. de Bello Gall. IV, 33), levia, duabus rotis,

Taliaque illacrymans mutæ jace verba favillæ:
Huic misero fatum dura puella fuit!

ob agilitatem in usu mos Italis, atque hominum opulentiorum aptata commoditati. Aurigari puellas ipsas solitas esse vectas essedo, ex Ovidii loco discimus, Amorr. II, 16, 49 sq. *Cælatis* autem *jugis esseda Britanna* sunt, quæ *pictos currus* dicit IV, 3, 9 : « Hibernique Getæ, *pictoque Britannia curru.* »

77. *Jacere verba*, ut mox eleg. 8, 16, et IV, 9, 32. *Jactare convicia* III, 8, 11; *verba* III, 11, 7; *cantica* IV, 5, 45. — *Fatum*, fati, mortis causa. — Confer ejusdem argumenti carmen apud Horatium, Carm. II, 12.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Quæritis, unde mihi*, etc. Conf. BERTIN, *Amours*, I, *élégie* 16:

Pourquoi reprocher à ma lyre
De préluder toujours sur des tons amoureux?
Je ne saurais former dans mon faible délire
De plus mâles accords, ni des chants plus heureux.

Propertii totum locum fideliter reddit *André* CHÉNIER, *élégie VIII*:

Pourquoi de mes loisirs accuser la langueur?
Pourquoi vers des lauriers aiguillonner mon cœur?
.....
Ai-je connu jamais ces noms brillant de gloire,
Sur qui tu viens sans cesse arrêter ma mémoire?
.....
Si je chante Camille, alors, écoute, voi,
Les vers pour la chanter naissent autour de moi.
.....
Tout pour elle a des vers! ils me viennent sans peine,
Doux comme son parler, doux comme son haleine.
Quoi qu'elle fasse ou dise, un mot, un geste heureux
Demande un gros volume à mes vers amoureux.
D'un souris caressant si son regard m'attire,
Mon vers plus caressant va bientôt lui sourire:
Si la gaze la couvre, et le lin pur et fin
Mollement, sans apprêt; et la gaze et le lin
D'une molle chanson attend une couronne:
D'un luxe étudié si l'éclat l'environne,
Dans mes vers éclatans sa superbe beauté
Vient ravir à Junon toute sa majesté.
Tantôt c'est sa blancheur, sa chevelure noire,
De ses bras, de ses mains le transparent ivoire:
Mais si jamais, sans voile et les cheveux épars,
Elle a rassasié ma flamme et mes regards,

Elle me fait chanter, amoureuse Ménade,
Des combats de Paphos une longue Iliade.

21. *Pergama, nomen Homeri.* Præclare de magno Homero alter Chénier (tragœdiarum auctor non vulgaris, qui Tiberium in scenam produxit), *Épître à Voltaire :*

Brisant des potentats la couronne éphémère,
Trois mille ans ont passé sur la cendre d'Homère,
Et depuis trois mille ans Homère respecté
Est jeune encor de gloire et d'immortalité.

39. *Sed neque Phlegræos Jovis... Nos contra angusto versantes prælia lecto* (vs. 45). Bertin, *Amours*, I, *élég.* 16 :

Dans nos jours trop féconds en discordes rebelles,
Qu'un autre en vers pompeux célèbre les combats ;
Qu'il chante les héros : moi je chante les belles,
De plus tendres fureurs et de plus doux ébats.

André Chénier, *Fragmens d'élégies :*

Si je chante les dieux ou les héros, soudain
Ma langue balbutie et se travaille en vain :
Si je chante l'amour, ma chanson d'elle-même
S'écoule de ma bouche et vole à ce que j'aime.

46. *Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.* Sic et La Fontaine, *Fables*, IV, 5 :

Ne forçons point notre talent,
Nous ne ferions rien avec grace.

63. *Mysus et Hæmonia juvenis*, etc. *André* Chénier, *ode VIII* (*à Fanny malade*), cum tenero amantis dolore :

.....
Ceux qui souffrent pour toi, tu les plaindras peut-être ;
.....

Troie, antique honneur de l'Asie,
Vit le prince expirant des guerriers de Mysie
D'un vainqueur généreux éprouver les bienfaits :
D'Achille désarmé la main amie et sûre
Toucha sa mortelle blessure,
Et soulagea les maux qu'elle-même avait faits.

78. *Huic misero fatum dura puella fuit!* Bertin, *Amours*, II, *élég.* 12, inscribi tumulo suo hosce versus jubet :

Ci-gît, hélas ! un amant trop épris
Des doux attraits d'une beauté cruelle :
Tout son destin fut d'aimer Eucharis,
Et de mourir abandonné par elle.

ELEGIA II.

DE CYNTHIA.

ARGUMENTUM.

Captus iterum a Cynthia, Jovi servitium suum Propertius exprobrat, nondum terris ereptam mirans tam pulchram faciem. Esse sane dignam, quam vel ipse Jupiter amet: Ischomachen illam, Proserpinam illam esse, illam forma superare deas; quibus tot bonis absit ut umquam senectus damnum ullum adferat!

Liber eram, et vacuo meditabar vivere lecto:
At me composita pace fefellit Amor.
Cur hæc in terris facies humana moratur?
Juppiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva coma est, longæque manus, et maxima toto
Corpore; et incedit vel Jove digna soror,

1. Hanc et sequentem elegiam, quas Broukhusius Burmannusque, duabus in unam coactis, Scaligero præeunte confusissimas exhibent, separatim nunc positas restitutas accipe. — *Liber eram*, etc. De primo hoc disticho vide subjectas ad Propertii Vitam Chronologicam notas, supra pag. 17. — *Vacuo lecto*, cælibe, qui sit clausus amoribus. — *Meditabar. Quærebam* Broukhusius, Burmannus, *Kuinoel*. A Scaligero hoc est, quem videtur ejusdem verbi repetitio decepisse: pro ut enim versus in disponendo carmine trajecerat, sequebatur *Quærebam sicca si posset*, qui versiculus elegiæ tertiæ quintus est.

3. *Hæc facies humana*, Cynthia. Dictum hoc eodem modo, quo pronomen *Illa* usitatum Propertio notavimus ad I, 12, 3. — *Ignoro furta tua*, te gaudentem furtis nequaquam agnosco. Insignem furtis illis meminimus Jovem.

5. *Fulva coma* et flava, summo habitæ in honore veteribus. — *Longæ manus*. Laudat itidem *manus procerulas* Apuleius, Florid. II, 15. — *Corpore toto maximam* intellige, statura prorsus maximam, posito hic vocabulo *totus* adverbialiter, ut esse diximus lib. I, 5, 22. — *Et incedit*, etc. Orationis dura et impedita constructio, ut non raro apud Nostrum. Ita cape: « Et incedit, quæ vel digna soror habeatur Jovi, aut incedit Pallas (qualis Pallas est), quum Dulichias

Aut quum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis;
Qualis et Ischomache, Lapithæ genus heroinæ,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurio et sanctis fertur Bœbeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite jam, divæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumææ sæcula vatis aget!

aras suas invisit.» Satis notus ex poetis est, quem dearum fingunt augustiorem incessum. *Dulichiæ aræ*, ab insula Dulichia Ulyssis, qui fidam habet custodem Minervam. *Munychias*, Atticas, volebat Heinsius, libris apud Burmann. duobus tribusve addicentibus. Prætulit hoc leviter nimis *Kuinoel*. — De *Gorgone*, Medusa, conf. Gierig. ad Ovid. Metam. IV, 752.

9. *Qualis*, etc. Construitur sententia: Qualis et Ischomache, quæ grata Centauris rapina fuisse fertur (ita ex altero disticho verbum *fertur* huc adplica), Cynthia nempe talis mea est. *Ischomache*, dicta eadem et Hippodamia, Acasti aut Adrasti filia, cui mater heroina ex gente Lapitharum fuit. Pirithoo regi quum illa nuberet, in *medio vino*, convivio, rapere conantibus Centauris puellam et quæ cæteræ præsentes essent, pugna inter eos et Lapithas orta acerrima est. Conf. Ovid. Metam. XII, 210 sqq.

11. *Mercurio*, etc. Ita etiam hic: Qualis et Brimo, nostra puella est, quæ fertur illa composuisse Mercurio latus. *Brimo*, Proserpina, ἀπὸ τοῦ βριμᾶν, a terrendo, quæ terrores nocturnos immittere credita. Huic Mercurius quum *Bœbeidos undis*, ad undas Bœbeidos (cf. IV, 3, 10), vim facere tentasset, tam acriter puella restitit infremens, ut habere quod vellet nequiverit deus. Vide schol. Apollonii Rhod. III, cujus locum adfert ad Senecæ Med. 812 Delrius. Mutat Propertius fabulam, quomodo bis factum paulo ante vidimus, eleg. 1, 51 et 62. *Bœbeis*, Thessaliæ lacus, de quo vide interpretes ad Valer. Flacc. I, 449.

13. *Quas pastor*, Paris, etc. Nota satis historia.

15. *Facies*, ut versu 3, de toto corpore; Cynthia ipsa. — *Senectus.* Videtur et hic sine consilio a Scaligero esse repositum *vetustas*, quam lectionem exhibent Broukhusius et Burmannus. — *Etsi... aget!* Scripturam non prorsus auctoritate destitutam Codicum *Et sic... agat!* Marklandus Burmannusque probaverant, et *Kuinoel* recepit. Placere magis alterum nos cum Lachmanno dicimus, «ut longos annos poeta Cynthiæ non optet, sed eos fore in persuasum habeat.» — De *Cumæa vate*, Heynius in Excursu III ad Virgil. Æneid. VI.

ELEGIA III.

DE CYNTHIA.

ARGUMENTUM.

Jactavit se nimium fidens amore misso poeta liberum: redintegratus Cynthiæ servus, en iterum in conscribendis elegis totus est. Utcumque vero facie domina pollet, ejus esse ingenium, ejus artes esse, quæ vicerint. Num te, o mea lux, blandus Amor nascentem excepit omine suo? Neque enim ab humana matre venisse tibi tot bona cogites : cælestia dona largiuntur dii. Olim mirari se, femina quomodo valuerit Trojam pessumdare : nunc stare sibi rem satis compertam; quidquid ob Helenam factum sit, nunc sibi probari. Vultis, pictores, et Apelli et Zeuxidi eripere famam suam? In exemplo vobis Cynthia nostra sit : uretur, quicumque vel pictam spectabit Cynthiam.

Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
Hæsisti; cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
Et turpis de te jam liber alter erit.
Quærebam, sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis :
Differtur, numquam tollitur ullus amor.

1. *Qui nullam*, etc. Conf. subjectas ad Vitam Chronolog. notas, supra pag. 17. — *Hæsisti*; repente stetisti, constitisti immotus. — *Spiritus*, animus, superbia illa tua.

4. *Turpis liber*, pudendus amatorius, fœde nobilitans auctorem suum.

5. *Quærebam*, etc. res quærebam difficultatis ejusdem : an possent piscis et aper, etc. aut ego si possem, etc. — *Differtur*, intermissus vacat.

Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit;
Lilia non domina sint magis alba mea;
Ut Mæotica nix minio si certet Hibero,
Utque rosæ puro lacte natant folia;
Nec de more comæ per lævia colla fluentes,
Non oculi, geminæ, sidera nostra, faces;
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella,
Non sum de nihilo blandus amator ego,
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
Egit ut evantes dux Ariadna choros;

9. *Nec me*, etc. Distinctis qui per mediam orationem trajecti versiculi sunt, hæc ita cape : « Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit (Lilia non domina sint magis alba mea; Ut Mæotica nix minio si certet Hibero, Utque rosæ puro lacte natant folia;), Nec de more comæ per lævia colla fluentes, Non oculi, geminæ, sidera nostra, faces; Nec *sic* Arabio lucet bombyce puella (Non sum de nihilo blandus amator ego), Quantum *quum* posito formose saltat Iaccho, Egit ut evantes dux Ariadna choros; Et quantum, Æolio quum tentat carmina plectro, etc. » *Non sint magis alba*, non erunt, non forent. Conjunctivi notus hic usus est. *Sunt* primus dedit Burmannus, quod bonus liber unus Mentelianus agnoscit. — *Hiberum minium* laudat Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 37. — *Nec sic Arabio*, etc. Satis liquet, deficere hic interpretationis artem omnem, qua, vulgari servata lectione, formare sensum tentemus. Ecquid in talibus humani sermonis est : « Non tantum *cepit* me Cynthia, *si qua puella lucet bombyce*, quantum quod ipsa formose *saltat* et quantum quum plectro *tentat* carmina? » Verba *si qua puella lucet bombyce* non examino quali nomine ita posita dicenda sint : satis erit confusionem hanc intolerandam notavisse temporum, « Nec me tam *cepit* si *lucet*, quantum *cepit* me quum *saltat* et *tentat* carmina. » Nam Quantum *quod* et Quantum *quum* Lucretii exemplo, IV, 1131—1133 (« Aut *quum* conscius ipse animus... Aut *quod* in ambiguo verbum, etc. »), tueri possemus conjuncta, modo se recte cætera haberent. Varia igitur tentant viri docti, quorum et hic superat Lachmannus ingenium scribendo : « Nec *sic* Arabio lucet bombyce puella, Quantum *quum* posito, etc. » Nec tantum me cepit oris decore Cynthia, nec tantum in bombycinis ea lucet, quantum lucet quum saltat et canit. Comparationis hic particulæ positæ *Nec tam*, *Nec sic*, *Quantum*, ut mox aliæ istæ *Non ita*, *Nec sic*, *Quantum*, eleg. 14, 1—9. — *Posito Iaccho*, vino, post mensam. In superiore versu minore, *de nihilo*, tam levi de causa, scire se negat blandiri. — *Egit ut Ariadna evantes choros.* Respici interpp. monent genus choreæ difficillimum, quod ab Ariadna Bacchi

Et quantum, Æolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyræ;
Et sua quum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaque Erinnes non putat æqua suis.
Num tibi nascenti et primis, mea vita, diebus
Candidus argutum sternuit omen Amor?
Hæc tibi contulerunt cælestia munera divi;
Hæc tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non, non humani sunt partus talia dona;
Ista decem menses non peperere bona.

uxore habuerit nomen. Vide Heyn. Observatt. ad Homer. Iliad. σ, 590. — *Æolium plectrum*, Lesbium Sapphus. — *Docta ludere*, docta quæ ludat, *par Aganippeæ lyræ*, non inferius Musis ipsis. — *Et quum scripta sua Corinnæ committit*, id est, Corinnæ scriptis, plane ut *Mimnermi versus plus Homero valere* dicitur, plus Homeri versu, I, 9, 11: Insigni errore *Kuinoel* nomen *Corinnæ* secundum esse casum opinatus accipit: *Et scripta sua cum Corinnæ* scriptis *committit;* cujus formæ versus est hoc libro positus, eleg. 8, 23. Corinnæ exstiterunt duæ; Thespia altera, altera Thebana aut Tanagræa, famam utraque pangendis versibus adepta, quarum dicitur hæc Pindarum ipsum vicisse quinquies. — *Carminaque Erinnes*, etc. Lectio probanda hæc, a Burmanno recepta, quam exhibent *Kuin.* et Lachmann. Versiculum in scriptis libris corruptissimum Volscus restituit, nisi quod vitiose *Carmina quæ* dederat pro *Carminaque*. Ante Burmannum erat, « Carminaque *æquævis* non putat *esse* suis, » Scaligeri commentum hoc, sed quod, puto, numquam cepere qui admiserunt. Scripsit Erinne lyrica et heroica tanto æstimata pretio, ut cum Homericis compararentur. Coævam illam Sappho et amicam habuit.

23. *Num tibi nascenti et primis diebus*. Recte copulam istam *et* inseruit Lachmannus. In vulgari lectione, « Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus, » videtur nasci per plures dies Cynthia. Mox *Aureus Amor* acceperunt ab Heinsio editores, scripti libri quum *Ardidus*, *Arduus*, vel *Aridus* darent. *Candidus* idem Lachmannus reponit, Macrobio auctore, qui, ubi de differentiis et societate Græci Latinique verbi agit, pag. 692, versiculum ita adfert: « *Candidus Augustæ* sternuit omen Amor. » Et quidem Pontano vocabulum istud *Augustæ* lectionem suggesserat, præferendam Hemsterhusio Lachmannoque visam, *Candidus augustum.... omen:* sed ex Codicibus alterum tenere certius erit, *argutum*, quod nec sensum ineptum facit. *Sternuere* autem, res, ut scimus, fausti ominis. *Argutum*, sonorum: vide ad I, 16, 16.

28. *Decem menses*, lunarii, pro ea, quæ Romanorum erat, supputandi ratione.

Gloria Romanis una es tu nata puellis:
Romana adcumbes prima puella Jovi.
Nec semper nobiscum humana cubilia vises:
Post Helenam hæc terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?
Pulchrius hac fuerat, Troja, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europæ atque Asiæ causa puella fuit:
Nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelae, fuisti;
Tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;
Vel Priamo belli causa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,

29. *Gloria Romanis*, etc. In his omnia confusa, divina et humana, Lachmannus reprehendit, transpositis duobus hexametris ordinem restituens: « *Nec semper nobiscum humana cubilia vises:* Romana adcumbes prima puella Jovi. *Gloria Romanis una es tu nata puellis:* Post Helenam hæc terris forma secunda redit. » Falsum est, quod in altero minore versu Burmannus habet, *Romano adcumbes Jovi* (ut vel divus ipse Jupiter Romanorum custos, vel deus Augustus factus intelligatur; hujus autem aut illius amori destinet Propertius Cynthiam). Scripti plerique, *Romana accumbens*. Pro vera lectione ipse Burmannus ad hanc ipsam elegiam, vs. 57 (nobis 2, 5), *Romana adcumbes prima Jovi* tuetur. *Adcumbere Jovi* est *ad latus Jovis sedere*, ut *discubitoria* sunt quæ dicit *cubilia*.

34. *Fuerat*, fuisset. Vide not. ad I, 10, 2.

38. *Tu*, Menelae, *quia poscebas*, repetebas; *tu*, Pari, *quia lentus eras*, restitutor lentus, tardus.

40. *Vel Priamo belli causa probanda fuit*. Sic in extremo versu MSS. plerique, *fuit*; quorum si nos ducit auctoritas, dignam Helenam Propertius narrabit, quæ et Achilli mortis, et Priamo belli exstiterit causa. Sed aliud scriptura sua Groninganus liber indicat, quocum facere testatur Heinsius Mentelianum: « Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles; Vel Priamo belli causa probanda *foret*. » Pulchrius Trojæ fuisse, si contigisset accipere a Cynthia excidium (coll. vs. 34), digna ea sane, pro qua vel Achilles moreretur ac bellaret Priamus. Posterius hoc Lachmannus prætulit, nec possum ego non adsentiri, utcumque veritus mutationem inferre: certe suavius est (Lachmanni verbis utor), si ipsa Cynthia, tamquam altera Helena, quam si prior illa, laudibus a Propertio extollatur; quod et in proximis fit: « Si quis vult fama.... Hic

Hic dominam exemplo ponat in ante meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

* * *

His saltem ut tenear jam finibus! aut mihi si quis,
Acrius ut moriar, venerit alter amor,
. . . . . .
Ac veluti primo taurus detractat aratra,
Post venit adsueto mollis ad arva jugo;
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
Cognitus Iphicli subripuisse boves;
Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.

dominam exemplo ponat in ante *meam.* »

42. *Exemplo ponat in ante.* Edd. vulgo *ponat in arte*, in opere, quod habent scripti pauci, ex emendatione haud dubie. Meliores *in ante*, idque verissimum est: « Hic dominam *exemplo ponat in ante* meam; » ante quam alias tabulas ponat, pro exemplo pingat dominam nostram. *Ponere* de pictoribus pervulgatum est. Verborum ordinem tuetur Ovidius, Metam. II, 524: « Argolica quod *in ante* Phoronide fecit. » Lachmannus.

43. *Eois, Eoos;* correpta in altero prima syllaba, eadem in altero producta. Lege quæ sunt ab eodem Lachmanno super variationem istam notata.

45. *His saltem*, etc. Disjunctis his decem versibus quænam adsignari sedes melior possit, ad eleg. sequentem videbimus, ubi de primo etiam distichо speciatim dicetur.

49. *Trepidant feroces;* indignantes, renuentes agitant se. Comparatio similis est apud Ovidium, Heroidd. IV, 21 sqq.

51. *Turpia perpessus vates*, etc. Nelei Pero filia erat, quam promiserat pater, suo in Iphiclum odio compulsus, daturum se ducendam uxorem ei, qui rapere ausus esset Iphicli boves. Bias quum puellam vehementer amaret, furtum Melampus augur, Biantis frater, in ejus gratiam suscepit: sed *boves cognitus subripuisse*, subripere voluisse, ab Iphiclo captus in vincula conjectus est. Sterilis autem Iphiclus erat sine progenie: artem Melampus eum docet, qua liberos habere possit; libertatem et boves munus accipit; Bianti Pero cedit uxor. Conf. Homer. Odyss. λ, 286 sqq.; Pausan. IV, 36; Apollodor. I, 9, 11. — *Amythaonia domo*, quum patrem Bias ac Melampus haberent Amythaona.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Qui nullam tibi dicebas*, etc. Le Brun, *Élégies*, III, 8, verbis pluribus :

Hier encor, dans ma douleur mortelle,
Un prompt dépit m'avait armé contre elle ;
A l'outrager j'excitais ma fierté.
Déjà mon cœur, sûr de sa liberté,
Avec fureur insultait à sa chaîne :
Trop vains éclats d'une impuissante haine !
En un moment ce courroux dissipé
Me livre encore aux traits de l'inhumaine ;
Et ce beau jour pour jamais me ramène
Au joug fatal dont j'étais échappé.

9. *Nec me tam facies*, etc. Bertin, *Amours*, I, *élégie* 8 :

Il faut brûler quand l'haleine des vents
Disperse ses cheveux sur sa gorge embellie.
Un air de négligence, un air de volupté,
Le sourire ingénu, la pudeur rougissante,
Les diamans, les fleurs, l'hermine éblouissante,
Et la pourpre et l'azur, tout sied à sa beauté.
Que j'aime à la presser, quand sa taille légère
Emprunte du sérail les magiques atours,
Ou qu'à mes sens ravis sa tunique étrangère
D'un sein voluptueux dessine les contours !
.....
Il faut mourir lorsqu'au milieu de nous
Eucharis, vers le soir, nouvelle Terpsichore,
Danse, ou prenant sa harpe entre ses beaux genoux,
Mêle à ce doux concert sa voix plus douce encore.
.....
O vous qui disputez le prix,
Le prix divin des talens et des charmes,
Je n'ai qu'à montrer Eucharis,
Vous rougirez et vous rendrez les armes.

35. *Olim mirabar*, etc. Bernard, *Poésies diverses*, elegans in his imitator Nostri :

Quel est, ô dieux, le pouvoir d'une amante !
Quand je voyais Pâris, Achille, Hector,
La Grèce en deuil et Pergame fumante,
Quels fous ! disais-je : Homère, qui les chante,
Est plus fou qu'eux.... Je n'aimais point encor.
J'aime, et je sens qu'une beauté trop chère
De ces fureurs peut verser le poison ;
J'approuve tout : rien n'est beau comme Homère,
Atride est juste, et Pâris a raison.

ELEGIA IV.

MULTA prius dominæ delicta queraris oportet;
Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas,
Et sæpe immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequidquam perfusa meis unguenta capillis,
Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytæis,
Non Perimedeæ gramina cocta manus.
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus,

3. *Ungues dentibus corrumpere.* Impatientis hoc signum meminimus apud Horatium poetæ scribentis esse, sat. I, 10, 71. Adjectivum hic *immeritus* locutio nostra adprime reddit, *qui n'en peut mais.* Sic et libro IV, 3, 19: « Occidat, *immerita* qui carpsit ab *arbore* vallum! » IV, 5, 16: « Cornicum *immeritas* eruit ungue *genas.* » — *Et suscitet* tibi *ira dubio pede crepitum*, et iratus pulses terram instabili pede.

5. *Nequidquam*, ut magis placerem meæ, elegantiam sedulo cultu adsciscebam corpori. *Planta morata expenso gradu;* cum arte lenti pedes, et compositi ad mensuram gradus.

7. *Non hic herba valet*, etc. Hoc et quæ tria sequuntur disticha Broukhusius Burmannusque translata in primam elegiam dederunt cum Scaligero. Revocata huc, in locum suum, de amore non tollendo, sed levando accipienda esse Lachmannus observat: « Dolores ex amore mulieris ejusque fastu susceptos nullis remediis ex amantis animo eximi ait; sæpe proximum morti amatorem esse; ita denique mollem subjectumque fieri; malis discere quod non didicisse mallet. » — *Cytæis*, Medea, pro saga qualibet. Ab oppido Colchidis Cyta vel Cyte vel Cytæa (Κύτα, Κύτη, Κύταια) nomen ducitur. *Nocturna* autem, quæ sacra sua noctu facit. — *Non Perimedeæ*, etc. Libri meliores: « Non *per Medeæ* gramina *cocta manus.* » Scripturam manifeste falsam Muretus correxit, auctore quo habent editiones: « Non *Perimedea* gramina *cocta manu.* » Broukhusius tamen quum locutionem istam *manu coquere* non ferret, *gramina secta* reposuit. Nunc si volumus, quantum licet, scriptis

Unde tamen veniant tot mala, cæca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus, æger;
Huic nullum cæli tempus et aura nocet.
Ambulat; et subito mirantur funus amici.
Sic est incautum, quidquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellam:
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter sæpe uno mutat præcordia verbo:
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

adhærere Codicibus bonis, magis probabimus id, quod ex interpolatis recentioribus aliis enotant critici, « Non *Perimedeæ* gramina *cocta manus.* » *Perimedea manus* pro caterva, ut libro I, 20, 21, II, 29, 2. Venefica *Perimede* est, cujus et apud Theocritum mentio, Idyll. II, 16. Dedit posteriorem lectionem istam Lachmannus.

10. *Cæca* et abdita prorsus via est, *unde tamen* (etsi non cernimus) *tot mala veniant.*

13. *Ambulat;* et vivit, et valet. — *Incautum*, passive; improvisum, non cavendum.

15. *Nam cui* pro *Cuinam* accipere nihil opus est. Explicat particula *Nam*, quomodo ex illis, quæ præcesserunt posita, oritur causa novis his, quæ facere se poeta dicit. — *Vati* (hariolo) *cui non ego sum præmia*, non ego data præda sum? *Præmia*, præda, ut II, 30, 22, III, 13, 46. — *Versat*, volvit interpretans.

17. *Puellam* ex libris duobus non bonis cum Lachmanno scribimus, pro vulgari lectione *puellas.* Singularem hic numerum poscebat extremus versiculus: « *Altera* vix ipso sanguine mollis erit. » — *Gaudeat in puero.* Sic III, 1, 40: « *Gaudeat in* solito tacta puella *sono.* » IV, 8, 63: « Cynthia *gaudet in exuviis*, victrixque recurrit. » Vide et libro II, 6, 4.

19. *Tranquillo descendis flumine*, tu quicumque deditus pueris. Universa eadem forma secundæ personæ est initio carminis. — *Quid tibi tam parvi litoris*, etc. Suavissima vox in re putida. Innoxias undas esse, quas talis amator naviget.

21. *Præcordia*, sensus, iratum animum.

Videamus jam de posterioribus elegiæ tertiæ versibus, *His saltem ut tenear jam finibus*, etc. quos in scriptis libris connexos superioribus Broukhusius Burmannusque partim ad elegiam primam, partim ad secundam (nobis ter-

tiam) transtulerunt de Scaligeri sententia. Porro inde ab eodem Scaligero primum distichon critici inversis pentametri hemistichiis ita scriptum dedere : « His saltem ut tenear jam finibus : aut mihi si quis *Venerit alter amor, acrius ut moriar.* Ac veluti primo, etc. » Totum fragmentum Vulpius quum in sedem Codicum suam revocandum pronuntiasset (si nulla sententiarum cohærentia poni dicimus, poetarum elegiacorum μῦθόδον esse ἀμεθόδευτον respondens), explicationis hæc verba subjecit : « Initio elegiæ dixerat poeta, se dimissos amores revocavisse, inductum et coactum forma Cynthiæ, quam postea describit. Nunc ait : *Si mihi necessario amandum est, ac mala omnia fortiter perferenda, quæ in amore sunt,* hoc mihi saltem dii largiantur, ut unam tantummodo amare possim, ne videlicet, si plures amare cœpero, amoris incommoda mihi duplicentur et augeantur. » Esse nihil rati Barthius et *Kuinoel*, quod melius tentarent, Vulpium exscribere satis habuerunt. Negat ferre Lachmannus interpretationis abusum, quo tam facile scriptoribus adfingerentur quæ supplenda quisque judicaremus, consideransque sequentis elegiæ quartæ principium, « Multa *prius* dominæ delicta queraris oportet, » in quibus pariter cum Passeratio subaudiri volunt *Quam ejus lecti copia tibi fiat, et ea certa demum et fideli tuto frui possis*, rem totam mutatam fundamentis novis constituit : Nam, inquit, « quum neque illi decem versus *His saltem*, etc. prioribus commode conjungi queant, et hi versus *Multa prius*, etc. in carminis principio positi, difficiles intellectus habeant; quid probabilius est, quam illos decem versus ad hoc posterius carmen pertinere, si modo eorum sensus et cohærentia initium fieri ab illo *His saltem*, etc. et hos *Multa prius*, etc. superioribus adnecti patiantur? Id autem recte fieri posse, adcurate omnia rimanti facile patebit. Hoc enim Propertius dicit : Nolle se aliam post hanc puellam amare; domi enim experiri, feroces amatores mox perdomitos æqua et iniqua ferre; nec novum id esse, quum Melampus amoris causa vel furtum facere sustinuerit. Multa tamen prius, quam ita humiles fiant et Amori subjecti, ægre eos et cum dolore ferre, sed frustra amori repugnare, quum nullum exstet hujus diri cruciatus remedium. Id sibi quoque accidisse; tam graves sese dolores expertum, ut mulieris amorem hostibus imprecetur, amicos mitius puerorum imperium subire malit. » Hæc Lachmannus. Dispositionem eamdem partim jam ante suaserat Schraderus, quam nec dubitarem ego de tam bona utriusque sententia admittere, quidquid objectari possit, vel sic ordinatis versibus orationem omnem in iis satis aridam et abruptam esse; sed aliud, quod magis obstat, video. Scilicet distichon *His saltem*, etc. qualiter vel Codices vel impressi libri scriptum exhibent, quum sensum aut nullum aut incommodum præberet, Lachmannus correxit : « His saltem ut tenear jam finibus! *hei* mihi, si quis, Acrius ut moriar, venerit alter amor! » Quoniam mihi amare fatale est, utinam saltem in hoc uno amore me contineam! Hei mihi, si ad hunc novus, qui me crudelius exerceat,

amor accesserit! (*Mori*, ut apud Nostrum, I, 10, 5, Ovid. Art. Amat. I, 372, Amorr. II, 7, 10, pro eo, quod in amoribus solemne verbum est, *perire.*). Porro, mihi ex hoc ipso primum oritur dubium. Nam si *aut* in *hei* mutatum accipimus, criticorum licentiæ jam modus nullus est, locus jam scriptorum nullus, quem desperemus restituere mutilum vel corruptum sanare. Sed concedamus hoc: « His saltem ut tenear jam finibus! hei mihi, si quis, Acrius ut moriar, venerit alter amor! » Vide sequentia: « Ac veluti primo taurus detractat aratra, etc. » Quorsum istud *Ac?* An sententia eadem hic et supra est? an elegantiam esse dixeris? Nil tale quidquam. Fatetur ipse Lachmannus incommodum, et orationi iterum corrigendo subvenit: « *Unca velut* primo taurus detractat aratra, etc. » At vero paulatim talem viam ingressi Propertium habebimus novum. Jam igitur in his quid agetur melius? Id, puto, quod sæpius agendum foret. Rem dubiam, ut est, linquemus non tactam; sensum interruptum hic non magis, quam aliis multis Propertii locis, ferre negabimus; quæ sunt destituta connexu, non conabimur ad eum, quem volumus, sensum interpolationibus redigere. His positis, interpretationem refutare esset nihili, quam elegiæ hujus quartæ viri docti commiiscuntur: « Videri poetam respondere cuidam amicorum, qui eum consuluerat, quomodo flectere posset puellam duram, ab ipso adamatam. » Sensum Regius Codex meus D, etsi paucioribus verbis, multo certius reddebat, in quo titulum inscriptum lego carmini: DE LABORIBUS, QUI IN AMORE PUELLARUM SUNT.

ELEGIA V.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Cynthiam publica morum licentia diffamat : indignatur Propertius, et servare se negat velle fidem, quæ præmium suum infidiam habeat. Unam de tot levibus amandis non fallacem inveniam, et ereptum tibi lugebis tu sero poetam tuum. Ira dum recens est, inquit, discidium fiat : separationis feremus non æternum dolorem. Sed et parcat in hoc ipsa Cynthia nocere sibi ; quem lædit, amantem illa timere discat. Non ulciscetur indecora vis poetam ; non rixa, non feræ manus, insignitum hominem Apollinis lauro : versiculum satis erit numquam delendum scripsisse, qui Cynthiam formosam dicet, qui dicet itidem sine fide Cynthiam.

Hoc verum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Hoc merui sperare? dabis mihi, perfida, pœnas :
Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.

1. *Hoc verum est?* Ita nos Galli : *Est-il bien vrai que, Se peut-il bien que....?* Adfirmatio est sub forma dubii. Male *Kuinoel* accipit : Hoc justum et æquum est...? — *Ferri*, fama ferri, diffamari. Sic verbo *differre* utitur I, 4, 22.

4. *Et nobis*, etc. et me quoque meus amor ad puellam feret aliquam novam. Ne dubita, quin verissime Lachmannus *aliquo* correxerit, ubi Codices et impressi libri : « Et nobis *Aquilo*, Cynthia, ventus erit. » Inepta prorsus hic *venti Aquilonis* mentio : neque enim, ut ipse observat Lachmannus, Roma se abiturum Propertius dicit (unice recta quæ in his interpretatio foret), nec translate ac figurate *Aquilo* de amore poni potest, sed indefinita notione vocabulum *ventus*. Sic *auram* et *flatum* usurpat Noster, II, 12, 8, II, 25, 27. Bene igitur Burmannus : « Et

Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
  Quæ fieri nostro carmine nota velit;
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
  Vellicet. Heu sero flebis, amata diu!
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
  Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
  Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes:
  Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte, dolebis:
  Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu, per dominæ Junonis dulcia jura,
  Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
  Verum etiam instanti læsa repugnat ovis.

nobis *alio*, Cynthia, ventus erit; » pro *alio* vitiose scriptum *aliquo*, deinde et *aquilo* fuisse judicans. Sed vera scriptura hoc ipsum *aliquo* erat, non alia, atque illud alterum, significatione capiendum (Lachmanni et hic utimur verbis), nisi quod additam habet loci incerti notionem. Brutus apud Cicer. epist. ad Divers. XI, 1 : « cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut *aliquo terrarum* arbitror. »

5. *Inveniam tamen*, etc. *Tamen* viris doctis placet pro *tandem* accipere. Hoc si volebat poeta, quidni scribebat : « Inveniam *tandem* e multis fallacibus unam? » Restituamus igitur propriam suam particulæ significationem : Inveniam, *etsi res difficilis est*, fidelem unam ex tot fallacibus. Ita nobis est vocabulum nostrum *pourtant* : « Sur le nombre des infidèles, j'en trouverai une *pourtant*, qui, etc. »

7. *Mores*, ut I, 17, 15. — *Et quæ te vellicet*, stimulo te rivalitatis pungat, lancinet. *Pizzicare* ævo nostro Itali itidem figurate dicerent. Verbum minus recte Burmannus et *Kuin.* explicant : Insectari, per ora hominum traducere.

9. *Nunc est ira recens*, etc. Hortatur se Propertius. — *Dolor*, injuriæ dolor, sensus qui proximus iræ est (*le ressentiment*, *le dépit*).

11. *Carpathiæ undæ*, inter Rhodum et Cretam, ab insula dictæ Carpatho.

15. *Nec tu non aliquid*, etc. dolebis quidem miser, sed levabit tibi patientia malum.

17. *At tu*, o Cynthia. *Dominam* ejus dicit *Junonem*, quippe quam feminæ propriam sibi deam venerabantur, et juris jurandi adsciscebant testem.

Nec tibi perjuro scindam de corpore vestem,
Nec mea præclusas fregerit ira fores;
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim lædere pollicibus,
Rusticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat,
Cujus non hederæ circuiere caput.
Scribam igitur, quod non umquam tua deleat ætas:
Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.
Crede mihi, quamvis contemnas murmura famæ,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

26. *Cujus non hederæ*, etc. qui non artes colit nostras; qui, ut ego sum, poeta non sit. Tutelarem deum poetæ Bacchum habuerunt (vide III, 2, 7); stabant eorum nec minus oratorum imagines in bibliothecis publicis cum hedera positæ.

27. *Quod non umquam tua deleat ætas;* quod, quamdiu vives, hæreat indicta formula tibi. Broukhusius *tua quod numquam deleverit ætas* in Codice Menteliano legi testatur. Heinsius diversam ejusdem libri scripturam adfert. Tutius igitur de cæterorum consensu *quod non umquam tua deleat* recipiemus. — *Cynthia verba levis;* cujus habent verba nihil ponderis, certi nihil. Græca nota forma est. Lectionem editoribus probatam, « Cynthia forma potens, Cynthia *forma* levis, » non nisi MSS. pauci deteriores agnoscunt, in eaque fortasse alieno sensu *forma levis* ponitur: certe non inconstantes puellæ atque infidæ sunt, quas *leves figuras* Propertius dicit I, 4, 9. Libri meliores *verba levis:* reponamus hoc, quod et Lachmannus admisit.

30. *Pallori;* quo modo *pallescere* nos *culpa*, propter culpam, dicit Horatius, epist. I, 1, 61. — Cum elegia hac nostra conf. ejusdem Horatii epodon XV.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Hoc verum est, tota*, etc. Beatin, *Amours*, II, *élégie* 3:

Oui, tout Paris sait ta noirceur,
Tout Paris sait ta perfidie:
Va chercher maintenant, impie,
Quelque stupide adorateur
Pour exercer ta dure tyrannie!
Je romps mes fers, ingrate, je t'oublie:
Le désespoir t'arrache de mon cœur.
Une autre au rang de ma maîtresse
Va monter, le front ceint d'un immortel feston;
Une autre jouira du glorieux renom
Que t'avait promis ma tendresse, etc.

ELEGIA VI.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Dolor et indignatio Propertii de tam magna amatorum turba, quæ Cynthiæ adsidue tenet occupatam impudicam domum. Liberum numquam se timore esse, et adduci eo miserum amantem, ut res, quæ sunt per se nihili, pro suspectis habeat; Cynthiæ a matre sua datum osculum non ferat; tenerum in cunis paveat infantem; sub ipsa amicæ tunica latere virum sibi persuadeat. Rivalitatem et vitia hæc amoris esse, quæ sæpe in magna eruperint mala : inde Trojæ clades et cruentatæ Pirithoi nuptiæ; inde Sabinæ raptæ, et protervior in dies crescens morum licentia. O felicem Ulyssis pudicum lectum! o felicem feminam, quæ conjugis limen amat! (Cætera mutila sunt, de quibus vide notas.)

Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes,
Ad cujus jacuit Græcia tota fores;
Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim'
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius;

1. *Lais* impudica venalis famosa, gente Sicula, quæ Corinthi domicilium habuit. *Ephyrea* ita ab Ephyra dicitur, vetus quod exstitisse nomen Corintho Plinius docet, Hist. Nat. IV, 4. — *Jacere* et cubare et volvi meminimus amantes ad amicarum limina.

3. *Turba nec fuerat*, nec fuit. Diximus de variatione hac temporum ad I, 10, 2. — *Thais*, clara itidem inter prostitutas, Alexandrina orta lucrum apud Athenas quæsivit. *Menandream* illam dicit, quam poeta Menander scenæ personam induxerat. Fabula interiit Menandri. — *Populus Erichthonius*, Athenienses, ab Erechtheo vel Erichthonio quondam rege. — *Ludere* verbum amoris est, quod sensu proximo vertimus nos Galli, *Folâtrer*, *Prendre ses ébats*. Ita vero *ludere in Thaide* positum, ut erat supra *gaudere in puero*, eleg. 4, 18.

Nec, quæ deletas potuit componere Thebas,
  Phryne tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos,
  Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.
Me juvenum pictæ facies, me nomina lædunt,
  Me tener in cunis et sine voce puer;
Me lædit, si multa tibi dedit oscula mater;
  Me soror, et quum quæ dormit amica simul;
Omnia me lædunt; timidus sum, ignosce timori;
  Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut fama est, vitiis ad prælia ventum est;

6. *Phryne*, Thespia, vero nomine Mnesarete, nobilis et hæc impura, tantis cumulata amatorum donis, ut, quas Alexander Thebas diruerat, vellet ipsa reficere, modo publice rem scriptus titulus significaret. De qua vide Quintilianum, Institut. II, 15, 9. — *Tam multis;* omissa, quæ respondeat, comparationis altera parte, ut I, 2, 15; 15, 9.

8. *Oscula*, etc. Vulgaris edita lectio *Oscula ne desint*, etsi valde placet, quum scriptis modo duobus firmetur, jure Lachmannus revocat quod itidem recte cæteri habent, *Oscula nec desunt.*

9. *Me juvenum pictæ facies.* Et hic de Lachmanni sententia restituimus quem scripti plerique verborum ordinem tuentur: in quibus arte pronuntiata hæc, *pictæ facies*, unum quasi vocabulum faciunt; contra si *Me juvenum facies pictæ* legimus, evanescit quod in hoc tenuis acuminis est, et *facies ipsas juvenum*, *juvenes ipsos*, dicere videmur, *pictos quoque eos.* — *Nomina. Numina*, deorum icones, vulgo legitur, quod an satis lingua ferat, non expendimus. Codices uno duobusve demtis universi, *me nomina lædunt*: teneamus hoc. Lachmannus ante nos probavit explicans: Me vel picturæ juvenum apud te visæ et nomina eorum, quos amatores tuos suspicor, a te pronuntiata terrent.

12. *Me soror, et quum quæ*, etc. Egregia Dousæ correctio *et quum quæ*: si quæ, si aliqua tecum amica dormit. Scripturam satis constat inceptam esse, « Me soror, et *cum qua* dormit amica simul. » Propertium enim quomodo lædere amica potest, quæ non cum Cynthia, sed cum Cynthiæ sorore cubans deprehenditur?

13. *Omnia*, etc. Signa parentheseos adjice: « Omnia me lædunt (timidus sum, ignosce timori); Et miser in tunica, etc. » — Conf. Imitat. Gall. ad II, 34, 19.

15. *His olim*, etc. Hæc octo disticha hinc submovit Scaliger, bene tuitura locum suum, si non de rivalitate virorum, sed de mulierum libidine accipias, quam efficere dicit, ut jure meritoque aliquis timeat. Lachmannus. — *Ad prælia ventum est.* Ingrata substantivi ver-

His Trojana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor,
Nutritus duræ, Romule, lacte lupæ.
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas;
Per te nunc Romæ quidlibet audet Amor.
Felix Admeti conjux et lectus Ulixi,
Et quæcumque viri femina limen amat!

. . . . . .

Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptæ cuilibet esse licet?

. . . . . .

bi repetitio post illud *ut fama est.* Bene idem Lachmannus : « His olim, ut fama est, vitiis ad prælia ventum. » Cæterum, inquit, *est* post brevem vocalem in extremo versu melius ponitur, quam abest: post longam syllabam, ut hic, ubi fieri potest, omittitur.

17. *Aspera Centauros*, etc. Vide not. ad eleg. 2, 9. — *Aspera* cælatis exstantibus figuris *pocula.* — *Adversus Pirithous* est exadversum positus.

23. *Ulixi.* Vide ad eleg. 9, 13. — *Et quæcumque viri limen amat.* Servare domum, res in veteribus feminis tanto pretio habita, ut vel mortuis accederet elogium. Testantur satis lapides, in quibus innumeris : DOMUM SERVAVIT, LANAM FECIT, etc.

25. *Templa Pudicitiæ*, etc. Non optime versiculi duo cum superioribus cohærent: in auctore tamen nostro ferrem junctim editos, nisi mox alia signa, manifesta ea, sensum interruptum proderent. Ab hoc igitur ipso disticho initium esse factum ruinæ censebimus, quæ primam totam secundi libri partem fragmentis exstantem fœde mutilam ostendit. Primus de lacunis istis Lachmannus monuit, quas sine Codicibus inventis quibusdam novis temerarium erit et supervacaneum tangere: apud cæteros, quæ sensus aperte disjungit, uno recollecta contextu scripta prodeunt; sed ab omni tempore criticis infelicissima lex fuit, ut minima pueriliter urgerent, totius orationis formam vix dignarentur adtendere. — *Si cuivis nuptæ*, etc. Ecquid opus feminis erat templa Pudicitiæ exstruere, si nuptæ possunt peccare quidlibet? Nuptam fuisse Cynthiam ex hoc non inferemus; nam nimis inepte Propertius deceptum maritum exprobraret uxori, quam et ipse corrupit, et sibimet fidelem optat; *nubere* hic, ut sæpe, de illegitimo amore interpretabimur. Sed aliud est, quod Cynthiam clare testatur non semper cælibem vixis-

Quæ manus obscænas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes.
Ah gemat, in terris ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita lætitia!
Non istis olim variabant tecta figuris;
Tum paries nullo crimine pictus erat.

. . . . . .

Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.

. . . . . .

Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitæ tristis custodia prodest:

se : hoc in elegia libri II vicesima tertia deprehendimus, de qua verissime Broukhusius : « Spinas ac difficultates et pericula et ludibria in amore matronali carmen tam vivis coloribus præpingit, Cynthiæ nomine nequaquam dissimulato, ut de hujus matrimonio deque poetæ cælibatu dubitari omnino non possit. » Vide et ad sequentem eleg. 7. Ipsam hanc opinionem Ovidius suggerit : ex ejus enim versibus (Trist. II, 461—462 et 465) discimus, carmina olim exstitisse Propertii, in quibus non aliter, ac Tibullus, præcepta dabat, *Qua nuptæ possint fallere ab arte viros.* — *Cuilibet.* Menteliani Codicis bona scriptura hæc, quam et alii tres exhibent, duo subindicant. Cæsar, de Bello Gall. VI, 35 : « Quid vos hanc miseram.... sectamini prædam, *quibus* licet jam esse *fortunatissimis?* »

32. *Jurgia sub tacita lætitia*, sub obscænis istis imaginibus, *condita.* Corrumpunt visæ picturæ feminas; exuitur fides et pudor abit; simultates inter viros exsurgunt. *Lætitia* de libidine amoris, ut I, 10, 12.

34. *Paries pictus crimine.* Magis etiam audacter libro IV, 6, 50 : « Tigna cava et *pictos* experiere *metus.* »

36. *Mala herba.* Dicimus nos pariter *la mauvaise herbe.*

37. *Quæ limina ponam.* Locutionis hujus *ponere alicui limina* interpretationem bonam video nullam. Heinsius partim, partim Lachmannus recte corrigunt : « Quos igitur tibi custodes, quæ *ad* limina, ponam, Quæ numquam supra...? » vel *Quin umquam supra*, si te repetitio offendit, *Quos, quæ, Quæ.*

39. *Nam nihil invitæ*, etc. Conf. Ovid. Amorr. III, 4, 1 : « Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,

Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est. 40
Nos uxor numquam, numquam diducet amica:
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

Nil agis : ingenio quæque tuenda suo. Si qua metu demto casta est, ea denique casta est, etc. »

41. *Nos uxor numquam*, etc. Cohærentiam Vulpius evolvit : « Monitis adhuc et aliorum exemplis fidem et constantiam in amore laudavit : nunc demum exemplo suo Cynthiam hortatur, ut mutuam sibi voluntatem præbeat. » Sine causa, ut vides, cum Scaligero Broukhusius Burmannusque hoc distichon ad eleg. sequentem transtulerunt, ubi nec *amicæ* nomen convenit. Cæterum a Beroaldo scriptura vulgaris est, « *Uxor me* numquam, numquam *me ducet* amica. » Codices omnes : « *Nos uxor* numquam, numquam *me ducet* amica. » Quid igitur magis certum lectione ea, quam Volscus anno 1482 sive ex aliis libris sive de conjectura dedit : « *Nos uxor* numquam, numquam *deducet* amica; » nisi quod et hic et eleg. 25, 9, rectius *diducet* scribemus.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes.... Omnia me lædunt; timidus sum, ignosce timori* (vs. 13). La Fontaine, *Contes* (*le petit Chien qui secoue de l'argent*), ubi maritus ad uxorem :

..... entre nous,
J'ai sujet d'être un peu jaloux.
Que fait autour de notre porte
Cette soupirante cohorte?
Vous me direz que jusqu'ici
La cohorte a mal réussi.
Je le crois : cependant, etc.

9. *Me juvenum pictæ facies*, etc. Ita Bertin, *Amours*, I, *élégie* 15 :

Pardonne, o ma jeune maîtresse,
Mon cœur s'inquiète aisément.
Je l'avoûrai, dans ma fougueuse ivresse,
Je ne sais point aimer paisiblement.
L'oiseau qui dans ton sein repose mollement,
Et de son bec saisit ta langue enchanteresse;
D'un enfant au berceau l'innocente caresse,
Un baiser de ta sœur, alarme ma tendresse,
Et désespère ton amant.
Je suis jaloux de l'ouvrier habile
Qui de ton corps mesure les contours;
Je suis jaloux de ce marbre immobile
Qui tous les soirs te voit changer d'atours;
Je suis jaloux de toute la nature;
Et malheureux, jour et nuit tourmenté,

Je crois voir un rival caché dans ta ceinture
Et sous le tissu fin qui voile ta beauté.

P. Corneille, in fabula sua, cui titulus est *Psyché*, act. III, sc. 3:

Je le suis (jaloux), ma Psyché, de toute la nature:
Les rayons du soleil vous baisent trop souvent;
Vos cheveux souffrent trop les caresses du vent:
Dès qu'il les flatte, j'en murmure.
L'air même que vous respirez
Avec trop de plaisir passe par votre bouche;
Votre habit de trop près vous touche;
Et sitôt que vous soupirez,
Je ne sais quoi qui m'effarouche
Craint, parmi vos soupirs, des soupirs égarés.

Chaulieu (tom. II, pag. 152), *Élégie*:

Ce n'est pas tout encore: à ses transports jaloux
Mon cœur agité s'abandonne.
Parens, amis, tout ce qui l'environne,
Sa chienne même excite mon courroux.

Dorat, *Baiser XVII, l'Absence*:

Il est vrai; tout me fait ombrage:
L'oiseau qui vole à tes côtés,
L'ormeau qui t'offre son feuillage,
L'onde qui baigne tes beautés,
La glace où se peint leur image;
Et même, excuse un tel aveu,
Quoique ton serin parle peu,
Je suis jaloux de son ramage.

La Fontaine, *élégie IV*:

Vous me rendez jaloux, et de qui? Quand j'y songe,
Il n'est excès d'ennuis où mon cœur ne se plonge.
J'envie un rival mort: m'ajoutera-t-on foi,
Quand je dirai qu'un mort est plus heureux que moi?

Cum quibus confer eumdem La Fontaine, *Contes, la Coupe enchantée*:

Les maux les plus cruels ne sont que des chansons
Près de ceux qu'aux maris cause la jalousie.
Figurez-vous un fou, chez qui tous les soupçons
Sont bien venus, quoi qu'on lui die.
Il n'a pas un moment de repos en sa vie:
Si l'oreille lui tinte, ô dieux! tout est perdu, etc.

13. *Omnia me lædunt; timidus sum, ignosce timori.* Poeta his nostris annis de patria et libertate præclare meritus, *Casimir* Delavigne, *l'École des vieillards*, act. III, scen. 2:

Quand on aime avec crainte, on aime avec excès.
.....

Celui qui vous arrache, en vous laissant peut-être,
Un regard, un sourire, un instant d'entretien,
Me semble un ennemi qui me ravit mon bien.
.....
Je dois trembler, je tremble....

15. *His olim, ut fama est*, etc. La Fontaine, *Contes, le Tableau* :

Les plaisirs de Vénus sont sources de débats ;
Leur fureur n'a point de seconde.
J'en prends à témoin les combats
Qu'on vit sur la terre et sur l'onde,
Lorsque Pâris à Ménélas
Ota la merveille du monde.

37. *Quos igitur tibi custodes*, etc. Ancilla apud Molière, *l'École des maris*, act. I, scen. 2, sententia persimili :

Notre honneur est, monsieur, bien sujet à faiblesse,
S'il faut qu'il ait besoin qu'on le garde sans cesse.
Pensez-vous, après tout, que ces précautions
Servent de quelque obstacle à nos intentions,
Et quand nous nous mettons quelque chose à la tête,
Que l'homme le plus fin ne soit pas une bête ?
Toutes ces gardes-là sont visions de fous ;
Le plus sûr est, ma foi, de se fier en nous.
Qui nous gêne, se met en un péril extrême ;
Et toujours notre honneur veut se garder lui-même.
.....

ARISTE.

Elle a quelque raison en ce qu'elle veut dire.
Leur sexe aime à jouir d'un peu de liberté :
On le retient fort mal par tant d'austérité ;
Et les soins défians, les verroux et les grilles,
Ne font pas la vertu des femmes ni des filles.
C'est l'honneur qui les doit tenir dans le devoir,
Non la sévérité que nous leur fesons voir.

La Fontaine, *Contes* (*On ne s'avise jamais de tout*) :

Nous avons beau sur ce sexe avoir l'œil,
Ce n'est coup sûr encontre tous esclandres.

Eumdem La Fontaine confer, *Contes, le Berceau* :

Ne gênez point, je vous en donne avis,
Tant vos enfans, o vous pères et mères ;
Tant vos moitiés, vous époux et maris ;
C'est où l'Amour fait le mieux ses affaires.

ELEGIA VII.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Legem ab Augusto revocatam, quæ cogeret ad matrimonium cælibes, irritam factam cum Cynthia lætatur. Procreare in utilitatem publicam liberos, parum sibi curæ esse; felicitatem patris nullam ponere se ante amorem suum.

Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret; quamvis diducere amantes
Non queat invitos Juppiter ipse duos.
At magnus Cæsar. Sed magnus Cæsar in armis:
Devictæ gentes nil in amore valent.

1. *Gavisa es sublatam legem*, etc. Damnum Augustus reparare volens, quod civium numero bella fecerant, anno 726 legem de maritandis ordinibus indixit, sed quæ tanta omnium adversatione excepta est, ut relicta sine vi manserit. Hoc sensu Propertius *sublatam* eam dicit, abolescentem omissam. Sed quid est, Broukhusius ait, « quare amantes nostri tam anxie metuerent, ne per novam hanc legem dividerentur ac distraherentur? An, si lex fuisset perlata, Cynthiam ducere non poterat Propertius, cælebs cælibem? » De poeta quum satis constet non habuisse uxorem, Cynthiam ipsam tum temporis fuisse nuptam ex elegia quoque hac nostra colligi posse vir doctus autumat. — *Flemus;* contracte pro *flevimus*. Sic *narramus*, narravimus, II, 15, 3; *mutamus*, mutavimus, ibid. versu 9.

3. *Ni* pro Ne, de quo vide Servium ad Virgil. Æneid. III, 686.

5. *At magnus Cæsar*, etc. At vero, inquit, poterat amantes Cæsar dividere. Statimque subjicit: Sed quare hoc? magnus Cæsar et potens, quum tenet arma, vere est: nihili autem in amore est gentes devicisse; pavere amantes norunt bellatorem nullum. Hac forma *in amore valere* Propertius utitur I, 1, 16; I, 9, 11.

Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptæ perdere amore faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah mea tum quales caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba!

. . . . . .

Unde mihi patriis gnatos præbere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.

7. *Nam citius paterer*, etc. Ovidius, Heroidd. XVI, 153: « Ante recessisset caput hoc cervice cruenta, Quam tu de thalamis abstraherere meis. » — *Quam possem amore nuptæ*, conjugem novam amando meam, *faces perdere*, abjicere tuas, quibus a te uror. *Perdere*, ut I, 2, 5. Male autem accipiunt, qui frequentia in amorum scriptoribus vocabula *tædas* et *faces* pro puellis ipsis dici opinantur.

9. *Aut ego*. Criticorum inventio est *Anne ego...?* Scripti Codd. universi, *Aut ego...?* — *Transirem*, sustinerem transire, maritus factus domum tuam. *Clausa limina*, doloris tui indicium.

11. *Ah mea*, etc. Codices, inter quos Neapolitanus quidem ac Mentelianus: « Ah mea tum quales caneret tibi *tibia* somnos, Tibia...! » pro quo Heinsius *faceret tibi tibia somnos* correxit. Sed hoc nihili est. Scripti libri cæteri: « Ah mea tum quales caneret tibi, *Cynthia*, somnos Tibia....! » quod cum Lachmanno defendimus. In altera lectione sonus ingratus est *tibi tibia*. Nuptiarum autem satis clare dicit Propertius tibiam, tristiorem futuram eam Cynthiæ vel tuba funerum. Conf. Ovid. Heroidd. XII, 137 sqq.

13. Libri scripti omnes aliud carmen hinc ordiuntur: primus Volscus in edit. secunda (1488) ex duobus unum fecit: Elegiam separare, inquit, « non ausim, quoniam ex eodem ducitur argumento. » Non nego, omnia ad unum carmen pertinere: sed quia non satis bene cohærent, non dubito, quin antiquus librarius interstitio lacunam indicare voluerit. Lachmannus. — *Unde mihi patriis*, etc. Augusti legem illam Propertius detestatur: Ecquæ mihi causa, inquit, cur patriæ liberos procreem? quid tantum ad me publica res et Cæsaris triumphi? Talia si negamus pro bonis tueri, de cæteris quibuscumque dubitemus licet vel certissimis. Nihilominus tamen Lachmanno necessaria visa est emendatio Ruhnkenii scribentis: « Unde mihi *Parthis* gnatos præbere triumphis? » et triumphos non, ut ipse Ruhnkenius volebat, Augusti, sed a Parthis agendos accipit. Fateor quidem, in interpretatione nostra parum se gerit Propertius civem: sed an civem magis decet natos suos, Romanos, triumphis hostium promissos dicere?

12.

Quod si vera meæ comitarent castra puellæ, 15
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places : placeam tibi, Cynthia, solus.
Hic erit et patrio sanguine pluris amor. 20

15. **Quod si vera meæ,* etc. * Corruptissima hæc librorum omnium scriptura quo probabili modo restitui possit, non videtur. Scaliger emendavit : « Quod si *Romanæ* comitarent castra puellæ ; » Heinsius, « Quod *mea* si *teneræ*, etc. » Sed in utraque lectione illud vitii Lachmannus reprehendit, quod *Hinc* versu 17, id est, *a Romanis* vel *a teneris sibi celebratis puellis*, famam suam poeta jactabundus deducet, quem statim impudenter exclamantem audimus : « *Tu mihi sola places* : placeam tibi, *Cynthia*, solus. » Ipsius Lachmanni commentum, etsi pariter incertum necessario est, at profecto longe superat : « Quod si *cura* meæ *comitari* castra puellæ, Non mihi sat magnus, etc. » Si puellæ suæ, Cynthiæ, esset curæ, ut se comitaretur, non filios se militatum missurum esse, sed ipsum cum illa in castra profecturum ; hanc enim solam carminis sui, hanc gloriæ causam esse, hanc unam præ omnibus sibi placere. — *Castoris equus* est Cyllarus, quem Neptunus Junoni, Juno Castori dedit. Interpp. ad Virgil. Georg. III, 90. — *Non mihi sat magnus iret*, hoc est, satis multus, non infrequenti adjectivorum istorum confusione. Sic I, 5, 10, *millia quanta* (quam magna) sunt Quam multa millia. Vide et illic quæ citavimus exempla. In eodem libro, eleg. 8, 37, « Quamvis *magna* daret, quamvis *majora* daturus, » intelliges Multa atque etiam plura.

18. *Gloria ad hibernos*, etc. Jactantiæ poeticæ vagum et indefinitum genus est ; nihil aliud. *Borysthenidæ*, Scythæ ad Borysthenem.

20. *Patrium sanguinem* unice recte Lachmannus interpretatus est, cognationem et communionem sanguinis, quæ patri cum filiis intercedit. Ita *paternus maternusque sanguis* Ciceroni dicitur, pro Roscio Amerino, 24. Amare te, inquit poeta, pluris erit mihi, quam habere filios.

IMITATIONES GALLICÆ.

3. *Quamvis diducere amantes Non queat invitos Juppiter ipse duos.* Le Brun, *Odes*, II, 21 :

Joins ton cœur à ce cœur qui t'aime ;
Plonge-toi, chère amante, au sein de ton amant ;
Et, dans les nœuds sacrés de notre embrassement,
Ne crains pas Jupiter lui-même.

ELEGIA VIII.

AD AMICUM.

ARGUMENTUM.

Ereptam sibi Cynthiam inconstantem luget, et detestanda rivalis gaudia reputans, defendit adversus amicum quas spargit lacrymas. — Mori Cynthia jubet Propertium suum : habeat illa quod cupit, et ingratæ puellæ detur ut amantis insultet tumulo. Ecquid mirum? nonne propter Antigonen se manu sua Hæmon interfecit? Sed nec tu, perfida, nec tu ipsa effugies mortem : apud inferos te mecum volo; ibimus pariter, hoc ferro conjuncti. Jam vero, ne quis prodito amori exprobret tam miseram cædem, Achillem ipsum, Briseide amissa, ultum sanguine esse injuriam suam, dum, positis armis, vinci trucidarique Danaos sub Troja patitur.

Eripitur nobis jam pridem cara puella,
Et tu me lacrymas fundere, amice, vetas?
Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ :
Ipsum me jugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est?
Omnia vertuntur : certe vertuntur amores.
Vinceris aut vincis, hæc in amore rota est.
Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni,

3. *Nullæ sunt inimicitiæ*, etc. At, inquit, acerbius nihil est, quam propter amorem ortæ inter rivales inimicitiæ. — *Lenior* tibi *hostis ero* a te jugulatus, quam isti ego sum, qui Cynthiam abduxit.

9. *Tyranni* pro regibus, ut Græci loquuntur.

Et Thebæ steterunt, altaque Troja fuit.

. . . . . .

Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
Illa tamen numquam ferrea dixit, Amo.

. . . . . .

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum?
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum jacies verba superba caput?

* * *

Sic igitur prima moriere ætate, Properti?
Sed morere: interitu gaudeat illa tuo;

11. *Munera quanta dedi*, etc. Non perapte hoc distichon et superiora coeunt: malo igitur sententiam prorsus scindere. Cæterum *vel* pro *et*, qualiter hic necessario accipiemus positum, deterioris ævi esse Lachmannus adnotat, corrigitque: « Munera quanta dedi! *væ*, qualia carmina feci! » Ovid. Amorr. III, 6, 101: « Huic ego, *væ*, demens narrabam fluminum amores. » — *Illa*. Vide not. ad I, 12, 3.

13. *Ergo tam multos*, etc. Vocabulis ut propriam significationem et grammaticæ leges suas servemus, nec *temerarium*, quod interpretibus placet, pro *stulto* dictum accipere volemus, et subintelligi negabimus posse in tali constructione *sum* vel *fui*. Heinsius correxit et Francius: « Ergo *ego* tam multos nimium temerarius annos, Improba, qui tulerim teque tuamque domum? » quod Lachmannus explicat: « Ergo ego nimis temerarius? egone audax, qui amorem tuum poscam? quum tamen tam multos annos imperium tuum patienter tulerim. Jam dubito, simne tibi umquam liber visus, an usque me pro servo tuo habitura sis. » Interpretationem quantum liceat opinari, bonam, per te judicabis: hoc certum positum erit, adjecto pronomine *ego* omitti verbum substantivum posse. Cæterum stare et hic orationem destitutam connexu, res ipsa clare facit indicium. — *Domum*. Vide ad I, 8, 22. — *Jacere verba*. Vide ad eleg. 1, 77.

17. *Sic igitur prima*, etc. Novum carmen Lachmannus ab istis versibus orditur, quos in scriptis libris omnibus cum superioribus conjunctos diversa prorsus sententia concipi observat. Poeta, inquit, his secum loquitur, cum domina sese interficere parat, mortem inhonestam Achillis exemplo excusat: priora ad amicum scribebat, nihil de morte, nulla fortitudo animi, nil nisi miseræ rejecti amoris querelæ.

Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigonæ tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipse suo saucius ense latus,
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies : mecum moriaris oportet;
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor;
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura.
Mors inhonesta quidem : tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugas, fractos in litore Achivos,
Fervere et Hectorea Dorica castra face;
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, et sparsas cæde jacere comas;

21. *Hæmon*, regis Thebanorum Creontis filius, amore captus Antigones, quum vivam eam Creon sepeliri jussisset, quæ Polynici fratri clam honores dedisset terræ, juvenis ad amicæ tumulum sese interficit : vide Sophoclis tragœdiam. Cæterum pro *Antigonæ* scribe cum Lachmanno *Antigones*. De nominibus his monuimus jam libro I, 4, 5.

23. *Cum miseræ puellæ*, scilicet *ossibus*, quod ex *ossa* supplendum est. — *Thebanam ire domum*, Thebas in regiam patris redire.

29. *Conjux* pro amata puella (Briseide), quomodo et Ovidius, Heroidd. VIII, 86, Valer. Flaccus, II, 208. — *Cessare in tectis*. Ex uno et altero pravo Codice dedit Burmannus *Cessare in Teucros*. Libri cæteri omnes, *in tectis* : rectum hoc : tentorium Achillis Homero ita dicit οἶκον (Iliad. ω, 471) Lachmannus egregie docet.

31. *Fugas, fractos Achivos*. Omittit, ut sæpe, copulam *et* poeta. *Fractos Achivos*, si modo vera scriptura sit, lingua satis confirmat et communis ratio. *Pyras* autem pro *fugas* Lachmannus conjicit, refertque ad septimum Iliadis librum, quo per totum diem mortuos cremari meminimus. — *Castra* de classe habet etiam Virgil. Æneid. III, 519, V, 669.

33. *Multa arena porrectum*. Depingit hoc epitheton *multa* staturam viri excelsam, sensu quo Virgilius pariter, Æneid. IX, 589 : *ac multa porrectum extendit arena*. In loco nostro vocabulum istud *Porrectum* quam pulchre positum sit, ex aure percipimus.

Omnia formosam propter Briseida passus.
Tantus in erepto sævit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita pœna,
Fortem illum Hæmoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo quum sim vel matre vel armis,
Mirum, si de me jure triumphat Amor?

35. *Briseis*, a Brise patre, Hippodamia : capta ex oppido Lyrnesso Achilli præda obtigerat.

37. *Sera pœna;* exacta sic tandem pœna, quæ dari debuit. — *Hæmoniis equis*, Thessalis : vide ad I, 13, 21. De Hectore et Achille omnia hæc notissima sunt. — Transposita ac permixta singula, quibus hanc et sequentem elegiam Broukhusius Burmannusque contextim ediderunt scriptas, non indicavimus : fastidiosa res erat, cujus nec pensaret fructus molestiam.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Eripitur nobis*, etc. Quod ita reddit Bertin, *Amours*, II, *élégie* 9 :

Je perds la moitié de moi-même,
Et tu me défends de pleurer !
Ami, qui pourrait endurer
Mon infortune et ma douleur extrême ?
Un autre, ô ciel ! de plaisir éperdu,
Contre son cœur pressera l'infidèle !
Un autre dormira près d'elle,
Jusqu'au milieu du jour à ma place étendu !

3. *Nullæ sunt inimicitiæ*, etc. Hercules apud Quinault (*tragédie lyrique d'Alceste*, act. I, scen. 1), Alcesten, quam deperit, ereptam sibi ab Admeto querens :

Ah ! qu'une ame jalouse
Éprouve un tourment rigoureux !
J'ai peine à l'exprimer moi-même.
Figure-toi, si tu le peux,
Quelle est l'horreur extrême
De voir ce que l'on aime
Au pouvoir d'un rival heureux.

5. *Possum ego in alterius*, etc. Le Brun, *Élégies*, III, 6 :

Cependant.... un rival.... O trop juste courroux !
O Céphise ! ô transports d'un cœur tendre et jaloux !

Un rival dans tes bras jouit de sa victoire !
De mes feux abusés tu lui contes l'histoire, etc..

Et alibi, *Élégies*, II, 5 :

Du bonheur d'un rival ô désolante image !
Sur ce lit où cent fois tu reçus mon hommage,
A ses bras odieux entrelaçant tes bras,
Tu l'appelles toi-même aux amoureux combats.
Dieux ! un autre que moi presse ton sein d'albâtre ! etc.

11. *Munera quanta dedi!* Maritus ad infidam uxorem apud LA FONTAINE, *Contes*, *le Calendrier des vieillards* :

T'ai-je jamais refusé nulle chose,
Soit pour ton jeu, soit pour tes vêtemens ?

17. *Sic igitur prima*, etc. Infelix GILBERT, *ode dernière*, cujus quidem erat mens diversissima :

Au banquet de la vie, infortuné convive,
J'apparus un jour, et je meurs :
Je meurs ; et sur ma tombe où lentement j'arrive,
Nul ne viendra verser des pleurs.

Sed Nostro proximus BERTIN, *Amours*, II, *élégie* 12 :

Depuis longtems sa fatale colère
D'ennuis amers a trop su me nourrir :
Je perds son cœur, je cesse de lui plaire,
De ma douleur je n'ai plus qu'à mourir.
Oui, j'en mourrai ; voilà mon espérance.
Je vois déjà mon étoile pâlir :
Lassé du jour, lassé de ma souffrance,
Dans le Cocyte, avec indifférence,
Comme un torrent je cours m'ensevelir.
.....
A la pitié toi seule inaccessible,
Toi seule, ingrate et coupable beauté,
Contempleras d'un œil sec et paisible
La place encore où ce cœur trop sensible
Déplorera ton infidélité.

25. *Sed non effugies*, etc. LE BRUN, *Odes*, III, 12 :

Et quand je goûte un bien suprême,
Dans un gouffre de maux l'ingrate m'a plongé !
Ah ! périsse tout ce que j'aime,
Adélaïde... amour.... moi-même.... !
Qu'il est doux de mourir après s'être vengé !

ELEGIA IX.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Amatorem novum habet Cynthia, sed, ut in amore vaga et mutabilis est, hunc ejectum mox alter sequetur. O veteris Græciæ mores, o prisca fides perdita, quum Ulyssi Penelope esset, quum pie fleret Briseis Achillem mortuum! Sed tu vel unius noctis, vel unius diei, improba, castam solitudinem ferre non sustines : hoc ipso momento, nonne etiam alium istum captas, qui te jam semel reliquit amantem suam?..... Merita jam oblita sua in puellam Propertius revocat; abire jussus paret, ceditque rivali; Cupidines orat, ut telis suis tam acerbæ vitæ finem denique faciant. (De cæteris non integris vide notas.)

Iste quod est, ego sæpe fui : sed fors et in hora
Hoc ipso ejecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere, tam multis femina digna procis;
Conjugium falsa poterat differre Minerva,
Nocturno solvens texta diurna dolo;
Visura et quamvis numquam speraret Ulixen,
Illum exspectando facta remansit anus.

1. *Iste quod est*, quod nunc in amore tuo est, hoc *ego sæpe fui*. Explicatum videbis pronomen *iste* ad I, 2, 25. — *Hora*, temporis momentum, ut I, 6, 11 et 35.

3. *Poterat*, potuit. Conf. not. ad I, 10, 2. — *Salva*, ab amore scilicet; incorrupta. Nullo sententiæ bono *Kuinoel* emendationem Francii recepit et Marklandi *sola*.

5. *Minerva* pro arte ipsa textoris, ut apud Virgil. Æn. VIII, 409.

7. *Et quamvis numquam visura speraret*, numquam se visuram. Græca locutio est.—*Facta remansit anus*, facta anus est. Verbum *remanere* non intelligo, nisi cum Lachmanno statuimus eadem significa-

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillen
Candida vesana verberat ora manu;
Et dominum lavit mœrens captiva cruentum,
Adpositum flavis in Simoenta vadis;
Fœdavitque comas, et tanti corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu;
Quum tibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis;

tione positum, qua sæpius in auctore nostro *venire* pro *esse* legitur (vide modo ad I, 5, 32); scilicet, ut in hoc hodiernam loquendi rationem Italorum sequamur, qui sua *rimanere* et *venire* non aliter ac substantivum verbum participiis conjuncta solent adstruere. Ecquid mirum? an non multa debet sermo recens Italus veteri Romano? an non inter utrumque sub variis formis cognationem intimam agnoscimus?

9. *Exanimem amplectens. Exanimum* primus dedit Broukhusius. Omnes antea *exanimem*. Regulam, unde probemus alterutrum magis, post Lachmannum dicemus ævo nostro esse nullam.

10. *Verberat*, præterito sequente *lavit*; conf. not. ad I, 10, 2.

12. *In Simoenta*. Constructionem hanc verborum facio: « Et dominum lavit adpositum in Simoenta flavis vadis. » *In Simoenta*, Simoenta *versùs*, *ad* undam. *In* autem pro *ad*, quum jam *Adpositum* orationi insertum esset. *Simoenta flavis vadis* ablativus notissimus est, repetitus mox versu 16. Epitheton *flavus* passim de fluvialibus aquis usurpant.

13. *Fœdavitque comas*. Comas interpretari licet vel pulvere conspersas, vel sectas, quas daret mortuo. Priorem usum Virgilius, Æneid. X, 844, XII, 611, alterum Propertius memorat, I, 17, 21. — *Achilli*; secundus casus; vide passim ad Virgilium notata. Hanc formam *Achilli*, quam liber Neapolitanus et alii, fortasse etiam Groninganus, agnoscunt, Lachmanno auctore prætulimus vulgari *Achillei*, scribendi ratio ut nobis una constet, *Ulixi* itidem reponentes in superiore elegia 6, 23, iterumque *Achilli* IV, 11, 39. — *Maximaque*, etc. Interpres Ovidius, Metam. XII, 615: « Jam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam. »

15. *Quum tibi*, etc. Convertit ad Achillem verba. Familiaris hæc Propertio forma orationis est: ut II, 24, 43—46; II, 26, 35—40; III, 13, 35—42, ubi conf. ad posteriorem hunc versum notata. — *Cærula mater*, marina Thetis. — *Deidamia viduo toro*, Deidamia conjux a te relicta, Lycomedis, quem habuit Scyros regem, filia, Pyrrhi mater.

17. *Veris natis*. Noli *veros natos*, legitime procreatos filios, accipere; nihil enim ad rem liberi; sed di-

Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxistis pocula risu;
Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Di faciant, isto capta fruare viro!

. . . . . .

Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Quum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ,
Et lectum flentes circumstaremus amicí.
Hic ubi tum, proh di! perfida, quisve fuit?
Quid, si longinquos retinerer miles ad Indos,
Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facile est verba et componere fraudes:
Hoc unum didicit femina semper opus.

gnas natas patria, quas vere suas Græcia dicere potuit.

19. *Una nocte vacare*, per noctem unam sine amore esse. *Vacare*, ut I, 13, 2. Vide et ad I, 9, 27, ubi de adjectivo *vacuus*.

21. *Duxistis pocula*, tu Cynthia cum isto. Sic Neapolitanus liber et alius, *duxistis*, quod esse vulgari scriptura *duxisti* elegantius Lachmannus monet, Heusingeri citans dicta in præfat. ad Cicer. de Offic. pag. 47. — *Mala de me verba*, verba inter mensam de me injuriosa.

25. *Hæc mihi vota*, etc. Vulnus et hic inflictum carmini. Sensum *Kuinoel* restituit scribendo: « *Quæ* mihi vota tuam propter suscepta salutem...! » Eleganter et nitide, sed veri speciem quærimus. Hoc nomine præferenda Lachmanni conjectura fuerit: « *Et* mihi vota tuam propter suscepta salutem...! » Tu alios petis: et ego olim vota pro salute tua suscepi! (Orat Propertius Jovem, ut ægrotanti velit adesse Cynthiæ, hoc libro II, 28.) — *Poterer* pro *potirer* non rara scriptoribus forma. Cf. Ovid. Metam. XIV, 641; Valer. Flacc. VII, 54.

28. *Quisve fuit?* aut quis aderat, nisi ego? Certus sensus et bonus, ne dubita, etsi Burmannus ineptum judicat, pueriliter objectans præcedentem versum: « Et lectum flentes *circumstaremus amici.* »

29. *Quid, si longinquos*, etc. at tu, vota ubinam sunt, quæ pro me faceres, si fortasse longinqua belli marisve pericula subirem? Sed vobis, perfidæ, fallacia numquam verba desunt, etc. — *Staret navis.* *Stare* pro esse, ut I, 17, 20; III, 19, 20; III, 22, 22. — *Componere*, aptare, disponere.

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non constat fœdus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela, precor, pueri, promite acuta magis;
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam.
Sanguis erit vobis maxima palma meus.

* * *

. . . . . .

Sidera sunt testes, et matutina pruina,
Et furtim misero janua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius umquam;
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi;
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,

33. *Syrtes;* vada arenosa duo, majus et minus, ad Africam, periculosissima habita navibus, de quibus vide Sallust. Jugurth. 78.

35. *Quam cito feminea*, etc. quam cito frangit mulier omne fœdus in ira sua. — *Sive ea*, etc. causa quæcumque datur, illa vel hæc, aut gravis aut levis.

38. *Pueri*, Cupidines. Vide ad I, 6, 23. Servos *Kuinoel* de Burmanni sensu accipit: sed apud Burmannum quidem, parare mortem Propertio non nimis inepte servi jussi poterant; sequebatur enim ex ea, quam diximus, elegiarum confusione: *Sic igitur prima*, etc. (el. 8, 17).

40. *Palma*, gloria, victoria: III, 9, 17; IV, 10, 5.

41. *Sidera sunt testes*, etc. Concepti in novam sententiam versus, quos fuisse partem alterius carminis opinabimur. — *Et furtim misero*, etc. *Kuinoel* adnotat: « Intelligi debet janua Propertii domestica clam reserata (domus maternæ, coll. I, 11, 21, ut Vulpius putat), non Cynthiæ; nam loquitur de suo amore in Cynthiam, non de amore quo ipsum Cynthia amplexa esset, quod ostenderet janua Cynthiæ aperta. » In his quod argutiæ est, non satagimus refellere. Cynthiæ domum Propertius, non suam, clarissimis verbis indicat: Sidera, inquit, amoris mei sunt testes, et janua illa tua, quæ furtim aperta mihi vigilias toties vidit et labores meos.

46. *Quoniam non licet esse tuum.* Recte Codices *non esse tuum*. Heinsius, ut aliquid mutaret, *non esse tuo* reposuit. Dictum hoc, Mihi *non licet esse tuo*, ut vere placuit Propertio scribere eleg. 6, 26.

47. *Educere annos*, ut *educere*

Ille vir in medio fiat amore lapis!

. . . . . .

Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces;
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

. . . . . .

noctem Statius, Thebaid. II, 74, hoc est, ducere. — *In medio amore fiat lapis*, frigidus et immotus æque ac lapis hæreat. Narrat Ovidius contigisse ipsi sibi hoc infortunium, Amorr. III, 7.

49. *Non ob regna*, etc. Fragmentum aliud, quod superioribus connectere frustra tentabimus. Pejus erit, si versiculos istos ponimus elegiæ sequentis exordium. — Non minore animo quam sese Thebani fratres ob regnum interfecerunt (vide I, 7, 2), sibi cum rivali de puella sua quæsitam iri armis mortem adfirmat. — *Media non sine matre;* intercedente miseris natis Jocasta, quæ tam impiam illorum cædem negavit superstes ferre. — *Morte tua;* rivalem illum suum provocans.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Iste quod est*, etc. De puellæ suæ amore instabili Bertin, *Amours*, II, *élég.* 6, cujus ad rivalem verba sunt:

Tu ris, dans ta barbare ivresse,
Des maux qu'endure mon amour:
Objet des caprices d'un jour,
Triomphe, insulte à ma détresse;
Triomphe, crois-moi; le tems presse;
Demain ta crédule tendresse
Gémira peut-être à son tour.

31. *Sed vobis facile est*, etc. La Fontaine, *Contes, les Quiproquo:*

. . . . . femmes savent mentir;
La moins habile en connaît la science.

33. *Non sic incerto*, etc. Bertin, *Amours*, II, *élégie* 6:

Tu ne connais pas les dédains
De cette amante impérieuse,
Et sa colère impétueuse,
Et ses caprices inhumains.
La paille errante et passagère,
Qui dans l'air tourne en s'élevant;
La laine éparse au gré du vent,

La feuille du tremble mouvant,
Est moins inconstante et légère, etc.

Adde MALHERBE, lib. II, *Stances, Aux ombres de Damon :*

La femme est une mer aux naufrages fatale ;
Rien ne peut aplanir son humeur inégale ;
Ses flammes d'aujourd'hui seront glaces demain :
Et s'il s'en rencontre une à qui cela n'avienne,
Fais compte, cher esprit, qu'elle a, comme la tienne,
Quelque chose de plus qu'humain.

41. *Sidera sunt testes*, etc. PARNY, lib. III, *les Sermens :*

Oui, j'en atteste la nuit sombre,
Confidente de nos plaisirs,
Et qui verra toujours son ombre
Disparaître avant mes désirs ;
J'atteste l'étoile amoureuse
Qui, pour voler au rendez-vous,
Me prête sa clarté douteuse ;
Je prends à témoin ces verroux
Qui souvent réveillaient ta mère,
Et cette parure étrangère
Qui trompe les regards jaloux ;
Enfin, j'en jure par toi-même,
Je veux dire par tous mes dieux :
T'aimer est le bonheur suprême,
Il n'en est point d'autre à mes yeux.

BERTIN, *Amours*, II, *élégie* 10 :

Songe du moins aux maux que j'ai soufferts
Pour retenir ta volage tendresse.
Tu le sais bien ; ton esclave amoureux
N'a redouté ni les vents, ni la pluie,
Ni le soleil, ni le froid rigoureux,
Ni les torrens roulant des rocs affreux,
Ni Jupiter sous un ciel en furie.

44. *Nunc quoque eris*, etc. Idem BERTIN, ibidem, I, *élégie* 7 :

Ne crains pas qu'à mes côtés
Une autre affaisse ta couche,
Ni que ma coupable bouche
Caresse d'autres beautés.
Tu me plais seule, o mon ame !
Oui, j'en atteste les dieux,
Ce Paris, si glorieux,
Après toi n'a plus de femme
Qui puisse tenter ma flamme,
Et qui soit belle à mes yeux.

Et libro II, *élégie* 3 :

Pardonne, pardonne, Eucharis ;
N'en crois pas mes dédains, n'en crois pas ma colère :
Nulle autre n'entrera dans mon lit solitaire,
Nulle autre ne vivra dans mes derniers écrits.

ELEGIA X.

AD AUGUSTUM.

ARGUMENTUM.

Amorum tenuem lyram ponit Propertius, et majoris argumenti res dicendas adgrediens, Orienti imminentem Augustum, occupata jam Arabia, celebrat. Jejunas quidem et inconditas esse laudes suas, sed deficere sibi ad tam magna ingenium.

. . . . . .

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Hæmonio jam dare tempus equo.
Jam libet et fortes memorare ad prælia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.

1. *Sed tempus*, etc. Orditur ab isto carmine Lachmannus TERTIUM LIBRUM, pro quatuor, ut vulgo fit, partibus Propertio quinque adsignans. Dispositio hæc voluminis nova argumentis quibus ex ipso poeta deductis firmari possit, subjecta ostendunt notata ad Vitam Propertii Chronolog. pag. 15 sq. Initium autem carminis hujus decimi considerantibus patebit quædam ante dicta periisse. Adversandi enim particula *Sed* ut habeat locum, necessaria alia proxima sunt, quibus respondeat. Aliter judicantem Vulpium ratio refellit cujuscumque sermonis. In vett. editis libris *Jam tempus* legitur, ex emendatione haud dubie. — *Aliis choreis*, Musa nova comite. — *Hæmonio equo*. Thessalus equus, vel si fortissimos Thessalia genuerit, audaciam ingenii majorem figurate significans non satis intelligitur. Probabili conjectura Heinsius *Aonio equo* reponebat.

3. *Turmas fortes ad prælia*. Structura præpositionis *ad* familiaris Propertio. Ita *sapiens* (terra) *ad verum* legimus II, 13, 42; *venales* (amicæ) *ad munus* II, 16, 21; *cæcus ad formosas* II, 22, 20; *sobrius ad lites* IV, 2, 29; *irrita* (tela) *ad feras* IV, 9, 40. — *Mei*. Vide not. ad eleg. 1, 25. — *Dux*, de regnante principe, ut II, 16, 20.

Quod si deficiant vires, audacia certe
  Laus erit: in magnis et voluisse sat est.
Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus:
  Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu;
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anime, ex humili; jam, carmina, sumite vires.
  Pierides, magni nunc erit oris opus.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
  Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet:
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
  Et domus intactæ te tremit Arabiæ;
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiat illa tuas post modo capta manus.

7. *Tumultus* pro bello, ut II, 1, 39; II, 27, 7; III, 15, 1. — *Quando.* Frustra *quandoquidem* volunt esse. Bella, inquit, celebrabo nunc, ubi scripta ante puella mea est.

9. *Subductus vultus*, austerus, rigidus, qui poetam notet versantem epica. *Adductum* dicit Tiberii *vultum* Suetonius, Tib. 68; *obductam frontem* Juvenalis, sat. IX, 2.

11. *Surge, anime*, etc. *Anime* et *carmina* pro *anima* et *carmine*, quod alterum in scriptis omnibus est, alterum in plerisque, Burmannus egregie correxit, mutata insuper, ut habes nunc, quæ prius erat distinctio posita: *Surge, anima, ex humili jam carmine: sumite vires, Pierides.*

13. *Jam negat*, etc. Adulationis poeticæ mera figmenta hæc. Parthos et Orientem subactum canit, ubi solummodo exercitus in Arabiam Ælio Gallo duce missus erat, nec nisi infeliciter exitu rei cessuro. Vide Propertii Vitam Chronol. sub ann. 730. — *Negat Euphrates equitem Parthorum post terga tueri.* Quæsito et obscuro sensu conceptum hoc, ut alia sunt innumera Propertii. Negat, inquit, Euphrates bellare jam audere Parthos; quorum simulatam fugam et retroverso vultu missa tela meministi. Vide III, 9, 54. — *Tenuisse* pro tenere positum; vide ad I, 10, 2. Tenere se dolet Euphrates occisos Crassos. Cladem illam Crassi tam acerbam Romanis tamque diu ploratam Ovidius uno disticho fideliter expressam complectitur, Fast. VI, 465: « Crassus ad Euphraten aquilas, natumque, suosque, Perdidit, et leto est ultimus ipse datus. »

16. *Domus Arabiæ.* Vide ad I, 6, 4. — *Intacta*, libera adhuc et integra manens.

18. *Sentiat.* Hanc scripturam videntur libri omnes agnoscere, cum Lachmannoque reponimus pro

Hæc ego castra sequar : vates tua castra canendo
Magnus ero : servent hunc mihi fata diem !
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes ;
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

vulgari *Sentiet*. Neque enim minus recte *Effice ut sentiat* dicere Propertius potuit.

19. *Hæc ego castra sequar. Sequi*, dicere, celebrare, ut *prosequi* III, 9, 53.

21. *Ut caput*, etc. quemadmodum ubi in magnis statuis caput ipsum dei adtingere non est (non datur) manu, ponitur hic (tum) ad imos pedes corona; sic nos nunc, etc.

23. *Inopes conscendere;* ope destituti ad conscendendum, quæ nos evehat. *Laudis carmen* intellige, quod proprium laudi carmen est. Sic *lyræ carmen* vidimus positum pro carmine, quod lyra facit, eleg. 1, 9. Illa eadem elegia, vs. 28, *bella fugæ* dicit bellum, quod versatur in fuga ; *tela fugæ* (Parthorum) III, 9, 54, tela significans, quæ Parthus mittit fugiens. *Conscendere* autem hic de carmine non magis videbitur mirum, quam *percutere* in eleg. modo dicta 1, 9. Notata ea si parum illustrant et adversus criticos tuentur Propertii versum, Huschkium adi in Analect. Crit. pag. 158 sqq. — *Sacris*. Poetam scimus dici sacra facere quum canit, vel ex IV, 6. *Orgia* videbimus eodem sensu posita III, 1, 4.

25. *Ascræos fontes ;* Aganippen fontem, qui fluminis poetici ipsum caput. Servius ad Virgilii eclog. X, 12 : « Callimachus Aganippen fontem esse dicit Permessi fluminis. » De fonte igitur majores poetas haurire fingit Propertius, minores de flumine. Sed raro non inobservata scriptoribus differentia ista est. Ab *Ascra* autem, parvo ad Heliconem oppido, nuncupavit aquas illas poeta. — *Lavit*. Non repugnat lingua nostra tali audaciæ. *Marie-Joseph* Chénier, *Discours sur la calomnie :* « Ducis *tremper* de pleurs son vers tragique et sombre. »

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Sed tempus*, etc. Bertis, *Amours*, III, *élégie dernière*, non, ut Noster, alicujus Augusti facta celebraturus, sed patriæ imminente bello ipsum se ad arma parans :

C'est assez d'une faible lyre
Tirer de timides accords ;

C'est assez du dieu qui m'inspire
Dans de frivoles jeux dissiper les trésors.
Rentrez sous vos riants ombrages,
Doux enfans de la paix, voluptueux Amours;
Cachez-vous: la Discorde a troublé nos rivages,
Le soldat jusqu'aux cieux pousse des cris sauvages,
Et j'entends battre les tambours.
.....
Levons-nous, il est tems, qu'on apporte mes armes;
D'un large bouclier chargez mon faible bras.
Oui, j'abjure, o Vénus, tes honteuses alarmes;
Amour, perfide Amour, je renonce à tes charmes;
C'en est fait, l'honneur parle, et je vole aux combats.

5. *Quod si deficiant vires*, etc. LA FONTAINE, in epistola præmissa Fabulis (*à monseigneur le Dauphin*):

Et si de t'agréer je n'emporte le prix,
J'aurai du moins l'honneur de l'avoir entrepris.

7. *Ætas prima canat Veneres.* PARNY, lib. IV, *épilogue*:

Il n'est qu'un tems pour les douces folies,
Il n'est qu'un tems pour les aimables vers.

VOLTAIRE, *Épîtres, LXXXVIII*, juvenilem ætatem et maturam notat:

Dieu fit la douce illusion
Pour les heureux fous du bel age,
Pour les vieux fous l'ambition,
Et la retraite pour le sage.

17. *Et si qua extremis tellus*, etc. Conf. VOLTAIRE, *Épîtres*, VIII (*à M. le prince Eugène*, sub ann. 1716):

Poursuivez; des Musulmans
Rompez bientôt la barrière,
Faites mordre la poussière
Aux circoncis insolens;
Et plein d'une ardeur guerrière,
Foulant aux pieds les turbans,
Achevez cette carrière
Au sérail des Ottomans.

ELEGIA XI.

. . . . . .

Scribant de te alii vel sis ignota, licebit:
  Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
  Auferet extremi funeris atra dies;
Et tua transibit contemnens ossa viator,
  Nec dicet, Cinis hic docta puella fuit.

. . . . . .

1. *Scribant*, etc. Distichà tria, quæ non, ut scripti Codices indicant, pro carmine accipiemus, sed magis ex ipsa re sentimus esse partem reliquam solummodo carminis. — *Licebit*, per me licet, hoc aut illud non magis curo. — *Semina humo sterili ponere* figurata locutio est, ex Ovidio etiam citanda, Heroidd. V, 115. Cf. Juvenal. sat. VII, 48 sq. Habemus et nos itidem Galli eam: *Semer dans le sable, Semer dans une terre ingrate.*

3. *Lectus;* funebris ille, imponendus rogo.

6. *Nec dicet*, etc. quippe ubi laudes de te istæ supererunt nullæ. — *Docta*. Epitheton Cynthiæ, ut I, 7, 11, II, 13, 11. Memoravit ejus artes Propertius I, 2, 27—28; II, 1, 9—10; inprimis II, 3, 17—22.

ELEGIA XII.

DE AMORE.

ARGUMENTUM.

Cupidinis fictam imaginem explicat: quare puer pingatur, alas acceperit, pharetram gerat, sagittis armatæ sint manus. De telis quidem (experientia se edoctum loqui) recta esse omnia: sed amisisse videri parvum deum pennas, quem frustra pectore suo conetur evolantem pellere. Quid tibi jucundum, o puer, extenuati amantis habitare ossibus? Alios trajice telis tuis; pax mihi detur et vita; tibi poeta tuus maneat.

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit et humano corde volare deum:
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet:

2. *Miras manus*, mire artifices.

4. *Et levibus curis*, propter nugas, in curandis quæ nugæ sunt, magna sæpe hominum interire bona. Amantes igitur quum et sensu careant, et meris ineptiis tam anxie vacent, sub imagine pueri docte repræsentatus Amor est.

6. *Fecit et humano corde volare deum*, id est, cor humanum tribuit, quocum volaret deus; divinam humanamque naturam in puero miscuit. Vide Huschkium Anal. Crit. pag. 40 sqq.

7. *Alterna in unda*; huc illuc per undam, deorsum sursum. — *Aura*. Vide ad eleg. 5, 4.

10. *Gnosia*, Cretica: vide ad I, 3, 2. Excelluerunt in sagittis mittendis Cretenses. — *Ex utroque*

Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago :
Sed certe pennas perdidit ille suas ;
Evolat heu ! nostro quoniam de pectore nusquam,
Adsiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis ?
Si pudor est, alio trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno :
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea ;
Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet,
Hæc mea Musa levis gloria magna tua est,
Qui caput et digitos et lumina nigra puellæ
Et canat, ut soleant molliter ire pedes ?

humero pendens *pharetra jacet*, pharetra sita pendens est ; *jacere* de positu, non aliter ac I, 11, 2.

13. *Manet et puerilis imago ;* hæret et animo mihi inculcatus puer, totam ipsam in me complector impressam imaginem dei. Vide modo citatum Huschkium, pag. 60.

20. *Non ego*, etc. Propertium, inquit, cædis non hominem, sed extenuatum corpus et umbram hominis.

21. *Quam*, etc. Interjectum orationi minorem versum accipe : « Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet (Hæc mea Musa levis, gloria magna tua est), *Qui* caput et digitos et lumina nigra puellæ Et *canat*, ut soleant molliter ire pedes ? » (Talia de te mihi solita quis erit, qui cantet ? quis erit, qui puellæ caput ac digitos luminaque et incessum canat ?) *Qui* et *canat* de magis certa Codicum fide Lachmann. reposuit, et elegantiam ita addidit sententiæ. Lectio antea erat : « Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet ? Hæc mea Musa levis gloria magna tua est, *Quæ* caput et digitos et lumina nigra puellæ Et *canit*, ut soleant molliter ire pedes. » — Hanc elegiam confer cum Moschi primo idyllio.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Quicumque ille fuit*, etc. La Motte Houdar, scriptor non magni nominis, *éclogue XVI :*

Viens, connais aujourd'hui le dieu qui t'a dompté ;
Vois comme à cet autel l'art l'a représenté.

Lorsque j'étais amant, un druide sincère
De tout cet appareil m'expliqua le mystère :
Enfant, de la raison il méconnaît la voix ;
Nu, la sage pudeur lui dicte en vain ses lois ;
En mille égaremens, aveugle, il nous entraîne ;
Ses flèches, son flambeau, l'arment pour notre peine ;
Et sur son dos enfin ce plumage mouvant
Nous dit que sa faveur se change au moindre vent.

Cum primis quatuor versibus confer PARNY, *la Journée champêtre*, qui, postquam amantem varie agitatum representavit :

Amans, amans, voilà votre portrait !
Un sort malin vous promène sans cesse
Des pleurs aux ris, des ris à la tristesse ;
Un rien vous choque, un rien vous satisfait ;
Un rien détruit ce qu'un rien a fait naître ;
Tous vos plaisirs sont voisins d'un tourment ;
Et vos tourmens sont des plaisirs peut-être :
Ah ! l'on dit vrai, l'Amour n'est qu'un enfant.

5. *Idem non frustra ventosas addidit alas*, etc. CHAULIEU (tom. I, pag. 153), in carmine *l'Apologie de l'inconstance*, puerum deum adloquitur :

Un arc, des traits et des ailes,
Qu'on t'a donnés sagement,
Du dieu des amours nouvelles
Sont le fatal ornement.
Qui, voyant cet équipage,
Ne croira facilement
Qu'il ne faut pas qu'on s'engage
D'aimer éternellement ?

Conf. LE BRUN, *Élégies*, III, 6 :

Le premier qui donna des ailes à l'Amour
Peignit bien de ce dieu la fatale inconstance.
Hélas ! quand il s'enfuit, il s'enfuit sans retour :
Céphise, grace à toi, j'en ai l'expérience.

12. *Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.* VOLTAIRE, *Poésies mêlées*, *XI* (*Inscription pour une statue de l'Amour*) :

Qui que tu sois, voici ton maître :
Il l'est, le fut, ou le doit être.

21. *Quam si perdideris*, etc. LE BRUN, *Élégies*, IV, 6, ad Venerem :

Quel autre, si je meurs, soupirant l'élégie,
Saura peindre ta gloire aux champs de la Phrygie ;
Mettre à tes pieds l'orgueil de Junon, de Pallas,
Et de la pomme encore honorer tes appas ?

ELEGIA XIII.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Poeta ab Amore factus, ut Cynthiam canat, favorem ejus unicum scriptis suis expetit, vulgi confusam vocem et judicia nihil curat. — Funera sua committit Cynthiæ : tumuli vanis honoribus ut abstineatur, præcipit; pompam sibi satis esse, quos Proserpinæ dona ferat, libellos amorum suos. Sequetur dolore amens funebrem lectum Cynthia; amantis nomen iterum atque iterum clamabit; urnæ manu sua inferet cineres; atque utinam illa, quum advenerit dies, eodem sepulcro amet quiescere posita! Sed nil quidquam deprecatur Propertius mortem : ecquodnam bonum vivere? quo citius de vita tollimur, tanto plus nobis ærumnarum vitari.

Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Jussit et Ascræum sic habitare nemus;
Non ut Pieriæ quercus mea verba sequantur,

1. *Susa*, urbs magna satisque nota Persarum. — *Achæmeniis*, Persicis. Achæmenes rex olim Persarum ditissimus, a quo dicti sunt Achæmenidæ, qui ad usque Darium imperaverunt. Arcum autem et sagittas propria gentibus Orientis arma esse, ubique legimus.

3. *Tam graciles Musas;* tam leves, tenues, quæ Musæ sunt meæ. Lachmann. ad II, 20, 7, verba minus recte jungit *tam vetuit contemnere.* — *Sic;* ut facio, cum tenui Musa. — *Ascræum nemus*, ad Heliconem montem. Vide eleg. 10, 25.

5. *Non*, etc. non ut carminibus meis Orpheus alter rapiam silvas, sed magis, etc. *Pieriæ quercus* pro Thraciis. Thraciæ pars est Pieria,

Aut possim Ismaria ducere valle feras,
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu.
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formæ tantum mirator honestæ,
Nec si qua illustres femina jactat avos:
Me juvet in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus et puris scripta probasse mea.
Hæc ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula; nam domina judice tutus ero:
Quæ si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

* * *

. . . . . .

Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,

contermina Macedoniæ. — *Ismaria valle*; in valle, per vallem Ismariam. Mons ejusdem Thraciæ Ismarus est, lyra cantuque nobilitatus Orphei.

8. *Linum* inter vates antiquissima fama celebrat. Orphea discipulum habuit et Herculem, Apollinis filius. — *Inachius*, Argivus: cf. I, 13, 31. — *Sim*, ero: vide III, 3, 41.

9. *Non ego*, etc. non ego sum, cui forma solummodo vel genus admirationem moveat: me juvet in gremio, etc. Vocabulem *honestus* ad conditionem referes et genus feminæ; totum vero distichon ad ipsam Cynthiam, de cujus avo diximus ad I, 1, 1.

11. *Me juvet*. Restituit Lachmannus scripturam hanc *Me juvet*, quam libri meliores cum cæteris plerisque agnoscunt, item antiquitus impressi, pro vulgari *Me juvat*, meliorem illam, sequente *Hæc ubi contigerint*, id est, quæ nondum contigerunt.

13. *Populi confusa fabula*; sermones, judicia vulgi hæc illa. — *Valere* hic mittentis et contemnentis est: Nihil curare, habere de nihilo.

17. *Quandocumque igitur*, etc. Posteriora hæc, sensu penitus alio concepta, critici dudum intellexerunt a prioribus separanda esse. Sed ubi facile partes duas admittimus, vocabulum *igitur* an recte possit carmini dare exordium, quæremus. Jacobsius adfirmat, in epistola, quæ Astii Propertianis Observatt. præmittitur, pag. 14, adlatoque Horatii exemplo, sat. I, 10, 1, « *Nempe* incomposito dixi pede currere versus Lucili, » abruptam hanc formam Propertio vindicat. Rationem liceat non accipere. *Nempe* apud Horatium eleganter ad ea pertinet, quæ legimus initio quartæ satiræ posita: voca-

Accipe, quæ serves, funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei;
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus: at sint
Plebeii parvæ funeris exsequiæ.
Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

bulum hic destitutum connexu *igitur* otiosum et sine sensu est. In simili funeris argumento eadem plane forma Tibullus utitur, III, 2, 9, « *Ergo* quum tenuem fuero mutatus in umbram, etc. » Sed illic vides orationis constructionem rectam: *Ergo*, inquit, adplicandum scilicet iis, quæ præcesserunt. Nullus jam dubito, quin ante Propertii versum aliqua olim exstiterint juncta. — *Mors. Nox* in impressis libris legitur de correctione Heinsii. *Mors* agnoscunt scripti omnes. — *Quæ serves*, observes, *funeris mei acta*, mandata de funere meo.

19. *Tunc.* Lachmannus *tum*. Vide ad I, 7, 21. — *Longa imagine*, longa imaginum serie, de quibus vide I, 5, 24. — *Nec tuba*, etc. nec præstet inanem querelam tuba morti meæ. Tubæ inter instrumenta pompæ funebris erant, *funestæ* dictæ hoc libro II, 7, 12, *mœstæ* IV, 11, 9.

21. *Lectis* sive lecticis efferebantur conditione majores; sandapila infimum vulgus. — *Torus Attalicus*, magnificus, a Pergami rege dictus Attalo, qui primus aurum textis inseruit. Satis autem languide in hoc disticho res et vocabula jungit Noster, quæ sunt discriminis fere nullius, *lectum* et *torum*.

23. *Lances odoriferæ*; nam et spargere rogum odoribus mos fuit. Kirchmann. Fun. Rom. III, 5. De locutione hac, *ordo lancibus odoriferis*, vide ad I, 2, 2. — *At sint*. Mutatio levis Heinsii, quam jure Lachmannus adoptat. *Adsint* in scriptis et impressis exemplaribus est, præcedente *Desit* incommode positum. — *Plebeii funeris parvæ exsequiæ*. Traxit ab hoc unus e pictoribus nostris (*Vigneron*) materiam insignis tabulæ. Feretrum ignobile est, lente ad sepulturam incedens, quod supremus heri comes demisso collo canis prosequitur solus. Picturam quis non recordetur vulgo dictam nomine *le Convoi du pauvre?*

25. *Si tres sint pompa libelli*. Lachmannum vide ad Propertii Vitam Chronol. supra pag. 15 sq. — *Persephona*, Περσεφόνη, Proserpina est. In eodem nomine Græcam formam Propertius tenuit II, 28, 47 et 48. — Horatium confer, Carm. II, 20, 21, qui venturæ sibi gloriæ conscius: « Absint inani funere næniæ, Luctusque turpes et

Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum;
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi subpositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvula testa meos:
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat exstincti funeris umbra locum:
Et duo sint versus, *Qui nunc jacet horrida pulvis,*
Unius hic quondam servus amoris erat.
Nec minus hæc nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque si quando venies ad fata, memento,
Hoc iter ad lapides cana veni memores.

querimoniæ; Compesce clamorem, ac sepulcri Mitte supervacuos honores. »

27. *Sequeris* et mox versu 29 *pones* libri meliores exhibent. Alteram lectionem *sequare* et *ponas* Burmannus Lachmannusque refutaverunt.

30. *Onyx*, vas ex onyche, ut III, 10, 22. Plinius, H. N. XXXVI, 8: « Hunc (onychen) aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant *ad vasa unguentaria*, quoniam optime servare incorrupta dicitur. » — *Syrium munus*, unguenta, odores ex Syria.

31. *Ardor*, ignis, rogo *subpositus*. — Cum Propertii toto hoc Tibullum confer, III, 2, 9 sqq. in quibus et ipse persolvenda sibi justa præcipit.

38. *Quam fuerant;* supple *nota* ex antecedente *notescet*. *Fuerant* autem *nota*, pro notuerunt, innotuerunt, de qua variatione temporum diximus ad I, 10, 2. — *Phthius vir*, Achilles, a Thessaliæ tractu Phthiotide. Cruentavit ejus bustum cæsa Polyxena.

39. *Tu quoque*, etc. Recensere supersedimus varia, quæ parum feliciter ad hoc viri docti egerunt, et quali modo sistit Lachmannus distichon, ut accipiatur, paucis verbis suademus: « Tu quoque si quando venies ad fata, (memento), Hoc iter ad lapides cana veni memores. » Tu quoque (Cynthia) quum morieris, illo supremo mortis itinere ad monumentum nostrum te conferre ibidemque componi memineris, ut *mixtis ossibus ossa teram* (ita loquitur IV, 7, 94). *Hoc iter* et *illam viam* sæpius dicunt pro extrema poetæ, ut Propertius III, 18, 22, « Est mala, sed cunctis *ista* terenda *via* est. » Rectum quoque hoc, *venire iter* et *ire iter*. Vide Munckerum ad Hygini fab. 38. Lucretius, III, 1043,

Interea cave sis nos adspernata sepultos :
Non nihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
Jussisset quævis de tribus una soror !
Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ? 45
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Cui si tam longæ minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humari,

« *iterque* dedit legionibus *ire* per altum. » *Redire*, *proficisci*, *adscendere iter* apud Nostrum, II, 27, 16, III, 21, 1, IV, 10, 3; et, quod nihil differt, passim *ire vias* aut *viam* (conf. I, 1, 18). *Memores* autem *lapides*, ut egregie Huschkius, sunt qui memoriam servant mortui inscripto nomine, sensu quo *memori sepulcro nosci* Valer. Flaccus habet IV, 314, et *cana* est capillis albis, ætate longa exacta vitæ. In priore versu *venire ad fata* nemo non intelligit ad fatalem terminum, ad mortem, frequenti mortis et fati apud auctores confusione : vide modo eleg. 1, 78.

42. *Non nihil*, etc. non nullam habet rerum, quæ fiunt, conscientiam tellus. *Sapire*, ut IV, 6, 83. *Ad verum sapiens terra*. Vide supra eleg. 10, 3.

43. *Atque utinam*, etc. Postrema hæc turbati carminis fragmentum Jacobsio visa (in epistola ad Astium, quam supra memoravimus), disjunctim posita *Kuinoel* exhibet, meliore judicio Lachmannus contexta prioribus tuetur, quum nec sensu neque indole differant. — *Tres sorores*, Parcæ.

45. *Nam quo*, etc. quo enim bono protrahimus vitam? annos annis cumulavit Nestor; qui si minus vixisset, Antilochi nati non vidisset mortem. *Tam dubiæ horæ spiritus*, tam incerti exitus vita. *Post tria sæcla cinis visus Nestoris est;* sæcula tria quum implevisset, Nestor obiit, inter vivos ille mansit tres γενεάς. Homerus testis, Iliad. α, 247, ubi γενεὰν scholiastes observat fuisse veteribus annorum triginta. Hoc sensu Noster *sæculum* dixit. Vide Gierig. ad Ovid. Metam. XII, 188. — *Cui si*, etc. Locus varie corruptus in libris, quorum meliores *Qui* vel *Quis si tam longæ* et *Quis tam longævæ minuisset* exhibent. Sustulit feliciter mendum Santenius reponendo : *Cui si tam longæ minuisset*, etc. Sed nec sanus minor versus est; quis enim *Gallicum* pro Trojano accipiat dictum a Phrygiæ fluvio Gallo? *Troicus* idem Santenius, *Dardanus* legit Burmannus, *Ilius* Lachmannus, quod teneo : « *Cui si tam longæ* minuisset fata senectæ *Ilius* Iliacis miles in aggeribus, Non ille, etc. » *Longæ fata senectæ*, ut I, 19, 17. *Ilius*, Iliacus : III, 13, 61; IV, 1, 53. Broukhusii lectionem in editione Burmanni repetitam non moror, quam ut statim rejicias, satis erit vel leviter inspicere. — *Hu-*

Diceret aut, O mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso non numquam flebis amico:
Fas est præteritos semper amare viros.
Testis, cui niveum quondam percussit Adonin
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum jacuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

mari. Scriptura, quam libri plerique, certe meliores agnoscunt, *Antilochi corpus humari. Antilochi corpus humati*, ut in impressis omnibus est, non itidem proprie dici Lachmannus monuit. Occisus Antilochus est a Memnone, Auroræ filio. — Cum versibus his 45—50 conf. Juvenal. sat. X, 246—255.

51. *Tu tamen*, Cynthia nempe.

53. *Testis*, etc. Scripti Codd. universi: *Testis, qui niveum quondam*, etc. translato ad aprum testimonio, quod indicat hic Propertius: sentis quam inepte. Correctionem dedit unice veram Huschkius, mutatione nulla reponens: *Testis, cui niveum*, etc. Testis illa est (Venerem intellige, nominandam vers. 56), cui durus aper venantem pulchrum Adonin percussit. — *Idalius vertex*, mons, in Cypro.

55. * *Illis formosum jacuisse paludibus.* * Corrupta verba haud dubie; nam nec quidquam facit ad rem, si jacens hic narratur Adonis mortuus, et primum casum *formosus*, quæ Lachmanni observatio est, sermo vel ita poscebat, non *formosum*. Donec aliud quid magis certum oriatur, cum eodem Lachmanno scribimus: « *Illic formosis* jacuisse paludibus, illuc Diceris effusa tu, Venus, isse coma. » Modo jacebat strata exanimis, modo passa coma amens errabat Venus. *Paludibus*, ad paludes: vide not. IV, 3, 10. *Paludes* autem pro aquis dici notum est. De adjectivo *formosus* notatum I, 20, 41. Adonidis ipsam fabulam Ovidius narrat Metam. X, 503 sqq.

IMITATIONES GALLICÆ.

3. *Hic me tam graciles*, etc. BERTIN, *Amours*, I, *élégie* 1:

Renonce, me dit-il (l'Amour), aux pénibles ouvrages,
Cadence des mètres plus courts;
Jeune imprudent, fuis pour toujours
Cet Hélicon si fertile en orages;
Enfonce-toi sous ces ombrages,
Prends ce luth paresseux, et chante les Amours.

11. *Me juvet in gremio*, etc. PARNY, lib. III, in carmine, cui titulum inscripsit *ma Mort*, suavissimis versibus :

Objet chéri, pourvu que dans tes bras
De mes accords j'amuse ton oreille,
Et qu'animé par le jus de la treille,
En les chantant, je baise tes appas;
Si tes regards, dans un tendre délire,
Sur ton ami tombent languissamment;
A mes accens si tu daignes sourire;
Si tu fais plus, et si mon humble lyre
Sur tes genoux repose mollement;
Qu'importe à moi le reste de la terre?
Des beaux-esprits qu'importe la rumeur,
Et du public la sentence sévère?
Je suis amant, et ne suis point auteur.

COLARDEAU, *Pièces fugitives, à M. de Pezay* :

Nos Aristarques sourcilleux
Connaissent peu la tolérance.
Mais, Pezay, qu'importent leurs cris,
Leurs intrigues et leurs outrages?
Le mérite de mes écrits
Ne dépend point de leurs suffrages :
Tu les aimes; voilà leur prix.

17. *Quandocumque igitur*, etc. PARNY, in eodem carmine :

O ma maîtresse! un jour l'arrêt du sort
Viendra fermer ma paupière affaiblie.
Lorsque tes bras, entourant ton ami,
Soulageront sa tête languissante,
Et que ses yeux, soulevés à demi,
Seront remplis d'une flamme mourante;
Lorsque mes doigts tâcheront d'essuyer
Tes yeux fixés sur ma paisible couche,
Et que mon cœur s'échappant sur ma bouche
De tes baisers recevra le dernier;
Je ne veux point qu'une pompe indiscrète
Vienne trahir ma douce obscurité,
Ni qu'un airain, à grand bruit agité,
Annonce à tous le convoi qui s'apprête :
Dans mon asile, heureux et méconnu,
Indifférent au reste de la terre,
De mes plaisirs je lui fais un mystère;
Je veux mourir comme j'aurai vécu.

Confer LE BRUN, *Élégies*, I, 2 :

O toi, pour qui j'expire, entends mes derniers vœux!
Quand de tes doux attraits l'amant et le poëte

Ne seront plus qu'une ombre, une cendre muette;
Quand ma froide dépouille, étendue au cercueil
Sera couverte, hélas! du funèbre linceul,
L'Amour te portera cette triste nouvelle;
Il guidera vers moi ta démarche fidèle.
Ta douleur va tromper les yeux de tes Argus;
Elle fuira ces bords que je ne verrai plus.
L'Amour, t'enveloppant de l'azur d'un nuage,
Aux regards indiscrets voilera ton passage:
Pour la dernière fois tu suivras son flambeau
Vers l'asile où la mort a creusé mon tombeau.
Descends, o ma Fanni, sous la voûte sacrée,
Où de mon ombre encor tu seras adorée.
Viens orner mon cercueil de cyprès et de fleurs;
Viens, les cheveux épars, l'arroser de tes pleurs.
Prends des mains de l'Amour le trait qui t'a blessée;
Et, de ce trait de feu, sur ma tombe glacée,
D'une fidèle main viens écrire en pleurant
Ces vers qu'Amour, hélas! te dicte en soupirant:
« Sous ce marbre repose une ombre qui m'adore:
« S'il n'eût aimé Fanni, Mysis vivrait encore. »

André Chénier, *élégie VII*, ad amicos suos:

Aujourd'hui qu'au tombeau je suis prêt à descendre,
Mes amis, dans vos mains je dépose ma cendre.
Je ne veux point, couvert d'un funèbre linceul,
Que les pontifes saints, autour de mon cercueil
Appelés aux accens de l'airain lent et sombre,
De leur chant lamentable accompagnent mon ombre,
Et sous des murs sacrés aillent ensevelir
Ma vie et ma dépouille, et tout mon souvenir.
.....
Vous-mêmes choisirez à mes jeunes reliques
Quelque bord fréquenté des Pénates rustiques,
Des regards d'un beau ciel doucement animé,
Des fleurs et de l'ombrage, et tout ce que j'aimai.
.....
Mais, ô que mollement reposera ma cendre,
Si parfois un penchant impérieux et tendre
Vous guidant vers la tombe où je suis endormi,
Vos yeux en approchant pensent voir leur ami!
.....

45. *Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ?* Voltaire, *Épîtres, CXIII* (*à M. le prince de Ligne, sur le faux bruit de la mort de l'auteur*):

En effet qu'est-ce que la vie?
C'est un jour; tel est son destin.
Qu'importe qu'elle soit finie
Vers le soir ou vers le matin?

ELEGIA XIV.

CYNTHIAM VICIT.

ARGUMENTUM.

Nocte ab amica sua fortunatus amans donatus, gaudia hominum nulla voluptatibus, quas perceperit, non inferiora exclamat. Superbia et fastu vicisse se tandem, quam flectere nequiverat supplex obsequiis suis. Vos igitur, amantes, si qua puella despicit, despicite illam vos, et facilem habebitis. Veneri debitas grates pendit Propertius; voto se muneris obligat; mortem cupit, si mutetur umquam Cynthia.

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho,
Quum caderent magnæ Laomedontis opes;
Nec sic errore exacto lætatus Ulixes,
Quum tetigit caræ litora Dulichiæ;
Nec sic Electra, salvum quum adspexit Oresten,
Cujus falsa tenens fleverat ossa soror;
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,

1. *Est*, quod in fine versus editiones habent, Lachmannus rejicit: vide not. ad II, 6, 15. Scripti aliquot itidem excludunt, nec Charisius agnoscit lib. I, pag. 51.

3. *Error*, itineris flexus et moræ. Sic I, 20, 15. — *Dulichia*. Vide supra eleg. 2, 7.

5. *Salvum quum adspexit Oresten*; qui, ut Ægisthi et Clytæmnestræ effugeret odium, infans adhuc ab Electra sorore missus in Phocidem, annis viginti post revisit patriam, et Agamemnonis necem ultus est. Vide Sophoclis Electram. — *Falsa tenens* ejus *ossa*; quum ficta fratris audita morte, urnam et cineres accepisset, veri nescia. *Ossa* notabimus hic pro morte ipsa poni; constructio enim est: *Cujus ossa falsa fleverat*, *falsa* ejus *ossa tenens*. Exempla confusionis id genus habebis IV, 11, 8. — *Electra*. Longam facit brevem syllabam; de qua licentia vide interpp. ad Ovid. Heroidd. XIV, 1.

Dædaleum lino quum duce rexit iter;
Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi jam fastus obponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
Conditio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes cæcis lucebat semita nobis;
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes;
Sic hodie veniet, si qua negavit heri.
Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant:
Mecum habuit positum lenta puella caput.

11. *Demissis supplex cervicibus*, humilis tristisque, Cynthia se negante mihi. — *Vilior sicco lacu.* Vulpius *siccum lacum* interpretatur vas vinarium epotum et vacuum; de Ruhnkenii sententia corruptus locus est. Sinceram ego lectionem reor, et proverbii formam cum illa comparo, quam ex Ovidio, Heroidd. XIX, 146, Lachmannus adfert: «Turpe deo pelagi juvenem terrere natantem, *Gloriaque* est *stagno* quolibet ista *minor*.» Vide I, 9, 29.)

13. *Nec jam quærit.* Omittit Propertius, non nominata Cynthia, pronomen *illa*, de quo vide I, 12, 3. Forma eadem erit mox, eleg. 15, 5. — *Lenta.* Vide ad I, 15, 4. *Lentus* autem *sedere alicui*, ut *alicui flere* I, 12, 15, id est, alicujus respectu et coram eo.

16. *Conditionem* intellige, sub qua tam facilem tamque bonam posset habere sibi Cynthiam. — *Cinerem* se dicit factum, ut *umbram* eleg. 12, 20, id est, quem tabo peresum necavit Amor.

17. *Ante pedes cæcis lucebat*, etc. et quidem ante pedes ipsa se ostendebat, quam tenerem, via; sed nec vidi, ut in amore cæci sumus omnes.

19. *Hoc sensi prodesse magis;* hoc scilicet, quod positum sequitur amantibus præceptum: *Contemnite;* et superbia et fastu pugnate; si despecti eritis, despicite et ultro. *Contendite*, ut apud Broukhusium Burmannumque est, Scaligeri Codex interpolatus unus agnoscit. — *Venire* dicitur, quæ facit mulier viro potestatem sui. Vide Heinsium ad Ovid. Art. Amat. II, 11.

21. *Pulsabant alii frustra;* januam rivales mei. — *Lenta*, languida, jacens in amoris complexu.

Hæc mihi devictis potior victoria Parthis,
Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taleque sub nostro nomine carmen erit:
Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius ædem
Exuvias, tota nocte receptus amans.
*Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata, an mediis sidat onusta vadis.*

Rectius fortasse ita accipies, significationem hujus vocabuli positam I, 15, 4, quum jam adverbium inferat, quod præcedit, *frustra*.

24. *Spolia*, vincti *reges* et *currus*, omnia quæ ad triumphum pertinent.

25. *Columna tua*, templi tui postibus, *ante tuam ædem*, ut mox est. — *Sub nostro nomine*. Ex illo solo libro Scaligeri non bono receptum ab editoribus est *sub nostro munere*. Defendit Lachmannus *nomine*, quod præter Codices sequentia confirmant: « Has pono ante tuam tibi, diva, *Propertius* ædem Exuvias. » Formula est *sub nostro nomine*, quam in re simili poneremus quoque nos: *On lira sous mon nom, J'écrirai sous mon nom*, etc.

28. *Exuvias*. Triumphi metaphoram continuat. Pro suspensis exuviis erunt, quæ dona feret Veneri.

29. * *Nunc ad te... sidat onusta vadis.* * Codicum plurimorum scriptura hæc, sed in qua sensus manifeste non constat. De re Lachmannum exponentem audi: Quæ viri docti excogitarunt, quamquam diversissima sunt, in duas quasi classes referri possunt. Plerique enim verba emendando in eum sensum studuerunt deflectere, quem cæteris et elegantius et apertius d'Orvillius expressit scribendo: « Nunc *in te*, mea lux, veniat *sua litora* navis Servata, an mediis sidat onusta vadis: » ut *in te est* more Græco diceretur, quem nec Ovidius sprevit, Metam. VII, 24, « vivat an ille Occidat, *in dis est*. » Sententia quidem proba est, neque ab re, sed ab hujus amatoris persona aliena; qui post hæc frigida et languida, quibus in puellæ potestate positum dicit, in portum veniat navis an in medio cursu sidat, ubi post hæc perrexerit dicere: « Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa, Vestibulum jaceam mortuus ante tuum! » mirum, ni Cynthia hunc lentum ac frigidum amatorem mori potius jusserit, quam aliis calidioribus prætulerit. Ab altera parte Marklandus stat, qui hos versus ita refingit: « Nunc ad te, mea lux, *veniet* mea litore navis Servata? an mediis *sidet* onusta vadis? » Hic quidem melior est, et cui quamvis timido puella libentius cedat. Sed illa ipsa timiditas hunc ipsum non decet, *Quocum habuit positum lenta puella caput*. Quare nobis novam rationem ingressis aliud hic latere visum est, nempe hoc: « Nunc *da* te, mea lux: *venit* mea litore navis Servata:

Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum!

an mediis sidat onusta vadis? » hoc sensu : « Nunc tu mihi te totam dede. Jam navis mea felici remo in altum provecta est : vis tu hanc in mediis undis sedere, ne portum speratum adtingat? » Compara cum his simillimum Ovidii locum, Art. Amat. II, 9 sqq. Non magna, ut vides, mutatione rem gessimus. Ex *ad te* transpositis literis fecimus *da te*, de qua formula vide Heins. ad Ovid. Heroidd. XVI, 161, et Burmann. ad Authol. Lat. tom. I, pag. 637. Porro *venit* non nimia licentia reposuimus, quum in aliis libris *veniat* esset, *veniet* in aliis perbonis. — Conjecturam subjicimus nos, quæ magis fortasse placeat. Scilicet, addita particula *quum*, difficultas omnis tollitur, et elegantia sua redit sententiæ; hoc modo : « Nunc *quum* ad te, mea lux, veniat mea litore navis Servata, an mediis sidat onusta vadis? Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa, Vestibulum jaceam mortuus ante tuum! » Navem meam vitato litore feliciter ad te vectam excipis : mene in medio cursu, aperto jam mari, perire voles? *Quum* ante *adspexit* positum habes versu 5; ante syllabam unicam *in*, eleg. 17, 18; ante præpositionem literam *e*, eleg. 22, 29; etc. Quam facile autem possit tale vocabulum omitti, librariorum scribendi mos indicat : *Nunc c̄ ad te, mea lux*, etc. — *Mutabere*. De quo verbo *mutare* dictum ad I, 4, 2.

IMITATIONES GALLICÆ.

10. *Immortalis ero, si altera talis erit.* Eleganter Dorat, *Baiser XVIII, l'Immortalité :*

Poursuis, poursuis; encore une caresse,
Et je deviens immortel dans tes bras.

Conf. Le Brun, *Odes*, IV, 5 :

Donne un second baiser plus secret et plus tendre ;
J'étais plus qu'un mortel, je serai plus qu'un dieu.

13. *Nec mihi jam fastus*, etc. Chaulieu, tom. II, pag. 50, in carmine cui nomen inscriptum *Jouissance :*

J'ai fléchi mon Iris après de longs soupirs.
Ce cher objet de mes désirs,
Cette insensible Iris, cette Iris si farouche,
Dans mille ardens baisers vient de plonger mes feux.

19. *Hoc sensi prodesse magis : contemnite, amantes.* Ita etiam *André* Chénier, *élégie XVII* :

Mais si tu ne veux point gémir dans l'esclavage,
Sache que trop d'amour excite leur dédain.
Laisse-la quelquefois te désirer en vain :
Il est bon, quelque orgueil dont s'enivrent ces belles,
De leur montrer pourtant qu'on peut se passer d'elles.

21. *Pulsabant alii frustra*, etc. Bertin, *Amours*, I, *élégie* 14 :

C'est pour moi seul qu'elle veut être belle,
C'est toujours moi que l'on garde à souper.
Mes fiers rivaux alors ont beau frapper,
Heurter, gémir, et la nommer cruelle ;
On n'ouvre point : je suis seul avec elle,
Mourant d'amour, et d'orgueil enivré.

Conf. Voltaire, *Épîtres*, *LXXXI*, *à Daphné* (*mademoiselle Clairon*), ubi de variis ejus amatoribus :

L'un dans la main vous glisse un billet doux ;
L'autre à Passi vous propose une fête ;
Josse avec vous veut souper tête à tête ;
Candale y soupe, et rit tout haut d'eux tous.

23. *Hæc mihi devictis potior*, etc. Malherbe, lib. II, *Stancès* (1596), simili amoris triumpho exsultans :

J'honore tant la palme acquise en cette guerre,
Que si victorieux des deux bouts de la terre
J'avois mille lauriers de ma gloire témoins,
Je les priserois moins.

In eodem libro (sub ann. 1609), ante victorias quascumque ponens, si, quam ardenter optat, puellam faciat suam :

Mon roi, par son rare mérite,
A fait que la terre est petite
Pour un nom si grand que le sien :
Mais si mes longs travaux faisoient cette conquête,
Quelques fameux lauriers qui lui couvrent la tête,
Il n'en auroit pas un qui fût égal au mien.

ELEGIA XV.

VOLUPTATES SUAS ENARRAT.

ARGUMENTUM.

Noctis, de qua sermo in elegia antecedente fuit, varia recordari gaudia amat Propertius: dulcia ad lucernam verba et molles blanditias; mox, sublatis luminibus, ardores, oscula, complexus, amoris impetum omnem, omnem industriam. Sed una de re Cynthiam incusat: spectandam se negavit illa amatori nudam; in Venerem hoc esse delictum; voluptatem summam ex oculis parari. Puellæ suæ æternam fidem promittit; tales sibi concessas noctes alias multas exoptat; hominibus, ut bella cædesque horreant, Venerem et Bacchum prædicat; Cynthiam, ne sola humanæ vitæ gaudia deserat, hortatur.

O me felicem! o nox mihi candida! et o tu,
Lectule, deliciis facte beate meis!
Quam multa adposita narramus verba lucerna,

1. *O me felicem*, etc. Petronius in re simili, cap. 79: « Qualis nox fuit illa, di deæque! Quam mollis torus! hæsimus calentes, Et transfudimus hinc et hinc labellis Errantes animas. Valete, curæ Mortales: ego sic perire cœpi. »

3. *Quam multa*, etc. Hoc distichon Broukhusius Burmannusque transpositione facta subjiciunt versiculo 8: « Quam multa adposita narramus verba lucerna, Quantaque sublato lumine rixa fuit! Non juvat in cæco Venerem corrumpere motu: Si nescis, oculi sunt in amore duces. » Rixa, ut vides, propter lumen sublatum oritur, amorem sibi gratum in tenebris Propertio negante. Recte omnino, nisi quod elegantiæ transpositio ipsa nocet. Lachmannus, ordine restituto, quem agnoscunt libri: Particula *Nam*, inquit, post versum 2 ingrata erat: versu 11 quis loqueretur indicari, non necessarium; quin, si non fieret, suavius. — *Narramus* et vs. 9 *mutamus*. Vide ad eleg. 7, 2.

Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno labsos patefecit ocellos
Ore suo, et dixit, Siccine lente jaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non juvat in cæco Venerem corrumpere motu:
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacæna,
Quum Menelaeo surgeret e thalamo;
Nudus et Endymion Phœbi cepisse sororem
Dicitur, et nudæ concubuisse deæ.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste meas experiere manus:
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
Ostendes matri brachia læsa tuæ.
Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ:
Viderit hoc, si quam jam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
Nox tibi longa venit; nec reditura dies.

5. *Nam modo mecum luctata est.* Vide ad eleg. 14, 13. — *Interdum tunica*, etc. Interpres Ovidius, Amorr. I, 5, 13: « Deripui tunicam; nec multum rara nocebat: Pugnabat tunica sed tamen illa tegi. »

7. *Illa.* Vide I, 12, 3.

10. *Labris tuis.* Vide ad III, 13, 42.

17. *Pertendens animo*, obstinata, pertinaci mente.

21. *Inclinatæ mammæ*, defloratæ pendentes. — *Ludere*, indulgere amori, ut II, 6, 4: Amorem ita *lusum* dicit I, 10, 9; II, 32, 29. — *Viderit hoc, si quam*, etc. res et cura sit hæc illarum, quæ Lucinæ jam norunt labores; amorem sibi vetitum sentiat, quæ facta mater est. De verbo sic posito *videre* Heinsius dixit ad Ovid. Pontic. I, 2, 9.

23. *Dum nos fata sinunt*, etc. Tibullus, I, 1, 69: « Interea, dum fata sinunt, jungamus amores: Jam veniet tenebris Mors adoperta caput. » — *Nec reditura dies;* nec reditura est, quæ periit, dies. — Vide Imit. Gall. ad vers. 49.

Atque utinam hærentes sic nos vincire catena
  Velles, ut numquam solveret ulla dies!
Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
  Masculus et totum femina conjugium.
Errat, qui finem vesani quærit amoris:
  Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
  Et citius nigros Sol agitabit equos;
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
  Aridus et sicco gurgite piscis erit;
Quam possim nostros alio transferre calores:
  Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
  Illa velit, vitæ longus et annus erit:
Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis;
  Nocte una quivis vel deus esse potest.

25. *Atque utinam*, etc. In minore versu *Vellent* cum *fatis* compositum, quæ præcesserunt, *Kuinoel* ex emendatione Burmanni. Factum sine causa, modo teneas, amantes hic non dici mutuo nodo conjunctos, sed *hærentes nos* esse *me tibi hærentem*. Utinam, inquit, amantem æterna catena vinctum, Cynthia mea, tenere velles! In extremo disticho si vocabulum *dies* ferre negas repetitum, quod jam erat vs. 24, potes cum Lachmanno conjicere: « Atque utinam hærentes sic nos vincire catena Velles, ut numquam solveret, *Idalie!* » *Ut numquam solveret*, id est, numquam solveretur, numquam se solveret, familiari forma Propertio. Sic *vertere* passive positum I, 16, 28; *trajicere* IV, 2, 36, propriis exemplis loco suo firmatum. *Idalie* apud Virgilium et Ovidium nomen Veneris est. — Cf. Tibull. IV, 5, 15: « Sed potius valida teneamur uterque catena, Nulla queat posthac quam soluisse dies. » Horatius, Carm. I, 13, 17: « Felices ter et amplius, Quos irrupta tenet copula, nec malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvet amor die! »

31. *Terra prius*, etc. Vide Gallicas Imitationes ad I, 15, 29. — *Falso partu*; qui pro re sata exhibeat aliam; diversum fructum, ac semen fuerit. — *Et agitabit Sol nigros equos* Noctis, lucem negabit Sol exstinctus.

36. *Hujus*, Cynthiæ hujus meæ. De pronomine ita posito diximus jam sæpius.—Cf. Imit. ad I, 19, 11.

39. *Fiam immortalis in illis*. Eadem amoris superbia eleg. 14, 10: « Immortalis ero, si altera talis erit (nox concessa mihi). »

Qualem si cuncti cuperent decurrere vitam,
Et pressi multo membra jacere mero;
Non ferrum crudele esset, neque bellica navis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare,
Nec toties propriis circum obpugnata triumphis
Lassa foret crines solvere Roma suos.
Me certe merito poterunt laudare minores:
Læserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ:
Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quæ passim calathis strata natare vides;

41. *Cuperent.* Scripti plerique non *si cuncti vellent*, ut in libris editis est, sed: « Qualem si cuncti *cuperent* decurrere vitam, » numeris aptioribus. *Cupere* est Rei alicujus faciendæ curam gerere. Libro I, 10, 21: « Tu cave, ne tristi *cupias* pugnare puellæ. » II, 24, 13: « Et *cupit* ingratum talos me poscere eburnos. » Lachmannus. — Rectissime; nisi quod in altero illo versu *Tu cave*, etc. verbi *cupere* significationem non nimis urgendam esse monuimus ad I, 1, 15. — *Decurrere vitam* Phædrus etiam dixit IV, 1, initio.

43. *Non ferrum crudele esset*, etc. Numeri versus haud optimi, aliorum tamen Codicum his meliores: « Non ferrum crudele, *neque esset* bellica navis. » Vide Lachmann. — *Ossa verteret*, confusa volveret. Impressi libri *verreret*; scripti, quantum exstat, *verteret* agnoscunt. Eumdem Lachmannum vide.

45. *Obpugnata*, concussa, fracta. *Circum* autem *obpugnata*, ut videbis absolute poni *circum* I, 20, 37, et *circa* IV, 6, 62. *Proprios triumphos* intellige, quas ipsa de se tulit Roma per civile bellum victorias. — *Soluti crines*, luctus indicium solemne.

47. *Minores*, posteri, ut *majores* dicimus avos. — *Læserunt pocula nostra*, convivia, *nullos deos*. Respici hoc versu cum d'Orvillio opinor civilis turbæ tempora, nec fuisse mirum, si discordiæ præcipuum actorem, hominem vino deditum, Antonium, Propertius ante oculos habuerit.

49. *Tu modo, dum licet*, etc. Cum extremis his elegiæ versibus conf. Imitat. Gall. ad I, 19, 25. — *Hunc vitæ fructum*; delicias, gaudia hæc nostra. *Fructus* proprio sensu est, quæ res datur fruenda. — *Omnia si dederis oscula*, etc. Lege Catulli eximios versus, Carm. V: « Vivamus, mea Lesbia, atque amemus, etc. » cum quibus ipsis Catulli versibus confer Bertin, *Amours*, III, *élégie* 6.

51. *Ac veluti* cadunt de corollis

Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

convivantium marcidis folia florum sparsa per calices, etc.

53. *Qui nunc magnum spiramus*, ostentamus tam magnos animos, de nobismet tam fidenter prædicamus. *Magnum spirare*, forma neutri eadem, quam notavimus I, 20, 44. — Compara, quæ similis argumenti carmina Ovidius et Bertin (Amorr. I, 5; *Amours*, I, *élég.* 4).

IMITATIONES GALLICÆ.

Voluptates suas enarrat. In exprimendis iisdem sensibus vide quos alios eloquentiæ colores pagina ferat, quam exscribimus. Rousseau, *Nouvelle Héloïse*, *Ire partie*, *lettre* 55 : « O mourons, ma douce amie! « mourons, la bien-aimée de mon cœur! Que faire désormais d'une « jeunesse insipide dont nous avons épuisé toutes les délices? Explique- « moi, si tu le peux, ce que j'ai senti dans cette nuit inconcevable; « donne-moi l'idée d'une vie ainsi passée, ou laisse-m'en quitter une « qui n'a plus rien de ce que je viens d'éprouver avec toi. J'avais goûté « le plaisir, et croyais concevoir le bonheur. Ah! je n'avais senti qu'un « vain songe, et n'imaginais que le bonheur d'un enfant. Mes sens abu- « saient mon ame grossière; je ne cherchais qu'en eux le bien suprême; « et j'ai trouvé que leurs plaisirs épuisés n'étaient que le commence- « ment des miens. O chef-d'œuvre unique de la nature! divine Julie! « possession délicieuse, à laquelle tous les transports du plus ardent « amour suffisent à peine! non, ce ne sont point ces transports que je « regrette le plus : ah! non; retire, s'il le faut, ces faveurs enivrantes « pour lesquelles je donnerais mille vies; mais rends-moi tout ce qui « n'était point elles, et les effaçait mille fois. Rends-moi cette étroite « union des ames que tu m'avais annoncée, et que tu m'as si bien fait « goûter; rends-moi cet abattement si doux, rempli par les effusions de « nos cœurs; rends-moi ce sommeil enchanteur trouvé sur ton sein; « rends-moi ce réveil plus délicieux encore; et ces soupirs entrecoupés, « et ces douces larmes, et ces baisers qu'une voluptueuse langueur nous « fesait lentement savourer, et ces gémissemens si tendres, durant les- « quels tu pressais sur ton cœur ce cœur fait pour s'unir à lui, etc. »

Propertium sequitur Le Brun, *Élégies*, I, 4 :

O nuit voluptueuse! ô lit cent fois heureux!
Asile et confident des baisers amoureux,
Lit, où j'ai caressé mon amante fidèle;
Rideaux que le plaisir agitait autour d'elle;
Doux flambeaux dont l'éclat animait nos discours,

Et ces folâtres jeux, prélude des amours;
Ombres dont la faveur et les voiles complices
Encouragent Vénus aux dernières délices;
Ah! sans cesse à mes yeux retracez les appas
Qu'Amour si doucement fit mourir dans mes bras!
Sans cesse peignez-moi les querelles badines,
Les refus irritans, les caresses divines,
Et des baisers si doux le murmure enflammé,
Que suit, plus doux encore, un silence pâmé!

Mais la nuit déroba mon bonheur dans ses ombres:
Un triomphe si doux eut des plaisirs trop sombres.
Sans doute un demi-jour sert mieux la volupté,
Et j'aime à voir rougir la timide beauté.
Dans les yeux des amans Vénus a mis leur ame:
L'œil reçoit, lance et guide une amoureuse flamme.
Ce berger, qui ravit d'infidèles appas,
Vit Hélène sans voile au lit de Ménélas;
Endymion sans voile au lit de son amante
Caressait d'un beau corps la nudité charmante.
Imitons-les, Fanni: n'attends pas que ton sein
Échappe mollement au baiser incertain.
Enivre mes regards des charmes que j'adore;
Préviens l'affreuse nuit qui n'aura point d'aurore;
Entrelaçons nos bras, et qu'un lien si beau
De la Parque jalouse affronte le ciseau.
Que du tendre ramier l'aile voluptueuse
Presse moins vivement sa colombe amoureuse;
Hélas! et s'il n'est point d'immortelles amours,
Du moins ne leur donnons de terme que nos jours.

Ah! tu verrais courir les fleuves vers leur source,
L'Aurore conduirait le char glacé de l'Ourse,
La flamme du soleil s'éteindrait dans les cieux,
Avant ce feu si pur allumé par tes yeux!
Mon sort est de t'aimer, et de t'aimer sans cesse;
De mourir dans tes bras d'une éternelle ivresse.
A cette heureuse nuit donne souvent des sœurs:
Je préfère au nectar de si douces faveurs.
L'amant qui peut sucer tes lèvres demi-closes
Boit l'immortalité dans leur coupe de roses.

Conf. PARNY, lib. II, *Souvenir:*

Voici le lit commode où l'heureuse licence
Remplaçait par degrés la mourante pudeur.
. . . . . .
Momens délicieux où nos baisers de flamme,
Mollement égarés, se cherchent pour s'unir!
Où de douces fureurs s'emparant de notre ame,
Laissent un libre cours au bizarre désir!
Momens plus enchanteurs, mais prompts à disparaître,

Où l'esprit échauffé, les sens et tout notre être,
Semblent se concentrer pour hâter le plaisir!
Vous portez avec vous trop de fougue et d'ivresse;
Vous fatiguez mon cœur qui ne peut vous saisir,
Et vous fuyez surtout avec trop de vitesse:
Hélas! on vous regrette avant de vous sentir!

7. *Illa meos somno labsos*, etc. Evolvit sententiam pluribus extendens versibus BERTIN, *Amours*, III, *élég.* 4:

Accablé de langueur, de fatigue et d'ivresse,
Entre les bras de ma maîtresse
Le doux sommeil avait fermé mes yeux.
Elle qui n'est plus écolière
Dans l'art qu'elle a sous moi naguère commencé,
De sa bouche amoureuse entr'ouvrit ma paupière,
Et d'un son de voix doux, à l'oreille adressé,
Tu dors, paresseux? me dit-elle;
Regarde, il n'est pas encor jour;
Tu dors à l'heure la plus belle
Que le cercle des nuits ramène pour l'amour.

9. *Quam vario amplexu*, etc. BERNARD, *Poésies diverses*, *Épître à Claudine*:

Que de larcins furent cachés dans l'ombre
De cette nuit! que de baisers de feu
Donnés, rendus, précipités sans nombre!

11. *Non juvat in cæco*, etc.... *Quod si pertendens animo*, etc. (vs. 17). BERTIN, lib. III, *élégie* 15:

Eh quoi! ta pudeur alarmée
M'oppose encore un vêtement!
As-tu peur, o ma bien-aimée,
D'être trop près de ton amant?
Lorsqu'il te presse, qu'il t'embrasse,
Peux-tu rougir de son bonheur?
Ote ce lin qui m'embarrasse,
Ou des deux mains, sûr de ma grace,
Je le déchire avec fureur.
De ton beau corps, que j'idolâtre,
Mes yeux parcourront tous les traits;
De tes trésors les plus secrets
Mes baisers rougiront l'albâtre.

PARNY (ed. 1827), lib. III, *Délire*:

Ah! garde-toi de ressaisir encore
Ce vêtement qu'ont dérangé nos jeux;
Ne m'ôte point ces charmes que j'adore,
Et qu'à la fois tous mes sens soient heureux!
Nous sommes seuls, je désire, et tu m'aimes;
Reste sans voile, o fille des Amours!

25. *Atque utinam hærentes sic nos*, etc. In eodem carmine :

Éléonore, amante fortunée,
Reste à jamais dans mes bras enchaînée !

49. *Tu modo, dum lioet.... Forsitan includet crastina fata dies.* Suaviter Dorat, *Baiser X, la Convention :*

De la rapide jeunesse
Saisissons tous les instans :
Bientôt la froide vieillesse
Vient conduite par le tems,
Hélas ! et par la sagesse.
O ma Thaïs, le plaisir
A l'éclat des fleurs nouvelles,
L'inconstance du Zéphyr ;
Comme lui prompt à nous fuir,
Il se fane aussitôt qu'elles.

Bernard, *Poésies diverses, Épître à mademoiselle S....*

L'age fuit, le tems nous devance :
L'heure où la fleur s'épanouit
Avec elle s'évanouit ;
Et l'heureux tems où l'on jouit
S'envole avec la jouissance.

Bertin, *Amours*, III, *élégie* 4 :

Jouissons, nous mortels, profitons du moment :
Qui sait, hélas ! demain si nous serons encore ?

Vir ætate hac nostra pulcherrimum ingenium, lyricus Lamartine, *Méditation XIII*, ubi dulcia verba referens puellæ suæ :

Aimons donc, aimons donc ! de l'heure fugitive
Hâtons-nous, jouissons !
L'homme n'a point de port, le tems n'a point de rive ;
Il coule, et nous passons.

51. *Ac veluti folia*, etc. Hominum cum foliis comparationem similem posuit *André* Chénier in elegia sua *XXXIII :*

Humains, nous ressemblons aux feuilles d'un ombrage
Dont au faîte des cieux le soleil remonté
Rafraîchit dans nos bois les chaleurs de l'été.
Mais l'hiver accourant d'un vol sombre et rapide
Nous sèche, nous flétrit ; et son souffle homicide
Secoue et fait voler, dispersés dans les vents,
Tous ces feuillages morts qui font place aux vivans.

ELEGIA XVI.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Prætor ab Illyrico rediit cum magnis opibus, rivalis jam ante Propertio datus, nunc iterum muneribus suis corruptor Cynthiæ. Alterius reditum, alterius avaritiam detestatur poeta: Ecquare non periit invisus iste fluctibus? auro igitur amorem et puellam venire? auro, di boni, pudicitiam omnem turpiter cadere? o ubi antiqua simplicitas vitæ! o ubi paupertas, morum comes et tutela! Probrosum talis puellæ jugum ut excutiat, hortatur se Propertius; in nihilum vertantur dona rivalis precatur; Jovis ultoris metu perjuram terret Cynthiam.

Prætor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima præda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
Ah, Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa;
Nunc sine me tota janua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes,
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde ubi consumto restabit munere pauper,
Dic alias iterum naviget Illyrias.

1. *Prætor.* Vide libro I, eleg. 8. — *Maxima præda tibi.* De Cynthia vide quæ mox dicit versibus 11—12.

3. *Non potuit posuisse.* Vide notata I, 1, 15. — *Ceraunum saxum;* de quo I, 8, 19.

8. *Carpe pecus pleno vellere,* rade hominem opima cute, brutum amantem emunge nummis. *Carpere* de rebus ipsis, quas amanti femina rapit, ita dicit Ovidius, Art. Amat. I, 420.

10. *Alias Illyrias;* hoc est, provincias, quæ, ut Illyria, naviganti conferant fructum.

Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores:
Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus, o, succurre dolori,
Rumpat ut adsiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Juppiter, indignum! merce puella perit!
Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romæ nemo esset dives, et ipse
Straminea posset dux habitare casa!
Numquam venales essent ad munus amicæ,
Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
Candida tam fœdo brachia fusa viro;
Non quia peccaris, testor te; sed quia vulgo

11. *Cynthia non sequitur fasces*, dignitates et gloriam non adtendit. — *Sinus.* Togæ sinus est, qui marsupium de collo pendens condebat.

14. *Rumpat ut* iste sibi *membra*, corpus ut tundat sibi, jaceatque confectus.

16. *Indignum! merce.* Scriptura vulgaris erat *indigna merce*, quum dedit acutam observationem hanc suam Lachmannus: Parvum vitium, et quod minus adtentum facile fallat. Vide quid dicat: « Ergo *muneribus* quivis mercatur amorem? Juppiter, *indigna merce* puella perit. » Recte poterat ita loqui: « Ergo *gemmis, auro, vestibus* amorem quivis mercatur? Jupiter, indigna merce pereunt puellæ! » hoc est, « Indigna hercle ista merx est, qua puella veneat. » Nunc quum generale vocabulum *munera* posuisset, illud subjicere non debuit. Repone: « Juppiter, *indignum!* merce puella perit! » Sic Palmerio teste Groninganus; *indignam* habet Codex alter apud Gebhardum. Cæterum ita poni *indignum* Bentleius docet ad Horat. sat. II, 5, 79, Heinsius ad Ovid. Amorr. I, 6, 1.

17. *Semper in Oceanum*, etc. ut possim et ego gemmas, ut dare possim et ego vestes, semper illa mihi monstrat Oceanum, semper illa Tyrum objicit.

21. *Venales ad munus.* Vide not. ad eleg. 10, 3. — *Cana;* ut eleg. 13, 40. — *Domo.* Vocabulum duplici ea significatione positum, de qua vide notata I, 8, 22.

24. *Fusa tam fœdo viro brachia;* circumductis, circumfusis isti tuo brachiis.

25. *Non quia*, etc. non ideo præsertim quod perfida sis, odi te; sed positam formosis nescio quam legem indignor, quæ mutabiles

Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
Et subito felix nunc mea regna tenet.
Adspice quid donis Eriphyla invenit amaris,

omnes ac perjuras facit. Ita capiendum erit, si, quod nullo modo fieri potest, *testari* pro detestari exponas cum Lipsio (Varr. Lectt. IV, 7); simplex esse verbum pro composito. Rationibus subjectis virum doctum refutabimus. Propertius quidem, I, 9, 28: « Nec vigilare alio nomine *cedat* Amor; » id est, concedat. Libro II, 8, 19: « Exagitet nostros Manes, *sectetur* et umbras; » *sectetur*, insectetur umbras nostras. *Tribuere in partes* pro *distribuere* etiam Cicero, de Fin. II, 6: « Zenonis est, inquam, hoc stoici: omnem vim loquendi, ut jam ante Aristoteles, *in duas tributam esse partes.* » Et contraria forma Noster *adorare* pro *orare* libro I, 4, 27: « Maneat sic semper, *adoro.* » Recte; sed quibus exemplis res haud perapte firmatur: *cedere* enim et *concedere*, ut et alia quæ notavimus, etsi vere differunt, similitudinem notionis quamdam inter se retinent; *testari* autem ac *detestari*, quidquid in iis urgere sensum labores, numquam efficies, quin penitus diversa atque aliena sint. Adde, quod omnem odii sensum poeta videtur excludere, qui mox versu 31: « Nullane sedabit nostros injuria fletus? *Ah! dolor hic vitiis nescit abesse tuis.* » Dolet, ut vides, ac plorat miser; injurias omnes, vitia Cynthiæ nulla non ferre sustinet; separari ab amica utcumque proditus nequit: hoccine est detestari eam? Tum denique (et illud unum, quod objiceremus, satis erat) *detestari* pro *odisse* veteres numquam dixerunt. His de singulis igitur vocabulo *testari* restituemus significationem suam, quod accipere nullus dubito pro *interpellare* positum: Non quia peccaris, inquit, te, ut respondeas, clamo; non quia peccaris, interpello te perfidam; sed quia vulgo, etc. — *Vulgo.* Accipe: Quod palam agnoscere est.

27. *Vestigia* mea *barbarus agitat* (ex altero versu pronomen *mea* retrahendum est), fœde premit turbatque barbarus impressa lecto tuo a me vestigia. — *Regnum*, ut in amore sæpius.

29. *Eriphyla* marítum Amphiaraum, qui quum sibi exitio Thebanum bellum futurum cognovisset, ne eum cæteris ducibus expeditionem susciperet, abditum se tenebat, accepto præmio monili aureo, detectum quærentibus vendidit. Profectus Amphiaraus hiatu terræ ad Thebas absorptus est; Eriphyla autem ab Alcmæone, patrem Amphiarum ulciscente, necata. Conf. Homer. Odyss. λ, 325 sqq. Apollod. III, 6, 2. Verbum *invenire* capies adjecta significatione mali, ut apud Terentium est, Heaut. 229: « *Hoc* ego *mali* non pridem *inveni.* » Cæterum scribe cum Lachmanno *Eriphyle*, ut *mœstamque Eriphylen* Virgilius, Æn. VI, 445, de quo monuimus jam ad I, 4, 5. *Eriphyla* quidem Latina ter-

Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros injuria fletus?
Ah! dolor hic vitiis nescit abesse tuis.
Tot jam abiere dies, quum me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Musa juvat.
At pudeat certe, pudeat; nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani

minatione Propertius dixit III, 13, 57, sed hoc metri necessitate coactus. Item quum *Niobæ* et *Circæ* scribebat III, 10, 8, III, 12, 27, in utroque versu consulebat auribus. — *Creusa*, etiam Glauce dicta, Creontis filia, quum nupsisset Jasoni, irata Medea, quam Jaso ante duxerat, pallam veneno infectam dono puellæ misit. Induit hæc vestem, cum totaque patris regia comburitur. Vide Senec. Med. act. IV et V.

31. *Nullane*, etc. Vulgo: « Nullane sedabit nostros injuria fletus? *An* dolor hic vitiis nescit abesse *suis?* » Santenius apud Burmannum exposuit: « Nullane prætoris vel Cynthiæ injuria dissolvet amores eorum, atque adeo fletus meos sedabit? An hic *dolor* (amor infelix) nescit *abesse* (id est, abire, in melius mutari) *vitiis suis* consuetis, injuriis nempe et rixis amantium? » In quibus, præter ipsius explicationis contortum modum, hoc advertis esse vitii, quod mutat Santenius personas: injurias enim poeta manifeste dicit non quas possit Cynthia prætori facere, sed quas illa sibimet Propertio facit. Porro nec interrogationem *Nullane—An*, ut necessario tenenda hic esset, recte capiemus pro *Num—Num* positam: res diversas hæc forma, non similes conjunctas, notat. Sic I, 8, 1: « *Tune* igitur demens...? *An* tibi sum gelida vilior Illyria? » *An*, id est, « *Vel*, si non es demens, ante amorem meum ponis Illyriam? » Pensatis rationibus his, cum Lachmanno scribemus: « Nullane sedabit nostros injuria fletus? *Ah!* dolor hic vitiis nescit abesse *tuis.* » Nullane mihi umquam erit injuria remedio? Me miserum! qui flendi causam, o Cynthia, delicta in me tua quæcumque sint, amittere non valeam. Literæ vix differunt forma *Ah* et *An*: *tuis* autem, non *suis*, liber Groninganus exhibet. *Abire*, quod scripti agnoscunt duo non boni, ac, si fieri posset, Lachmannus pro *abesse* reponeret, manifeste falsum est sequentibus his: « Tot jam *abiere* dies. »

34. *Campum* intelligis esse Martium.

35. *At.* Vulgo, *Ah! pudeat certe, pudeat.* Sed recte *At pudeat* Neapolitanus, Mentelianus, alii complures; ita enim sententiæ arctius copulantur. Lachmannus. — Continuari sentimus verba, quæ sibimet Propertius.

37. *Ducem*, Antonium. — *Fremitu inani.* Supple præpositionem:

Actia damnatis æquora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Jussit, et extremo quærere in orbe fugam.
Cæsaris hæc virtus et gloria Cæsaris hæc est;
Illa, qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos,
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos,
Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas,
Quæ tibi terra, velim, quæ tibi fiat aqua.
Non semper placidus perjuros ridet amantes
Juppiter, et surda negligit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere cælo,
Fulminaque ætherea desiluisse domo?
Non hæc Pleiades faciunt, neque aquosus Orion;
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit:
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.

Cum inani fremitu. *Damnati milites;* quos superi condemnaverant.

40. *Fugam.* Vide III, 6, 26.

43. *Sed quascumque dedit vestes* rivalis iste meus *tibi* Cynthiæ.

45. *In vanum ferre*, dissipare, auferre. — *Quæ tibi terra*, etc. Alicui si quid optarent irritum ac sine fructu caderet, hoc ut cinis terrave aut aqua fieret, precari formula erat. Tibull. I, 9, 11 : « Muneribus meus est captus puer: at deus illa In cinerem et liquidas munera vertat aquas. »

47. *Non semper ridet*, cum risu spectat, *placidus.*

49. *Vidistis*, etc. Optima scriptura hæc librorum omnium, nisi quod in minore versu *dissiluisse* pro *desiluisse* habent nonnulli perperam. Criticorum interpolationes Hemsterhusius (apud Burmann. pag. 940) disertis, ut solet, rationibus confutat. *Sonitus* cum *cælo* junctus aperto sensu tonitrua sunt. *Videre* de sonitu, ut mox Noster, eleg. 30, 27 : « Illic *adspicies* scopulis hærere Sorores, Et *canere* antiqui dulcia furta Jovis. » *Percurrere* autem absolute positum Lachmannus firmat Lucretii adlato versu V, 1406 : « Et superà calamos unco percurrere labro. »

53. *Ille*, Jupiter.

55. *Tibi*, Cynthiæ. — *Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.* Confer Juvenalis de sontibus locum, sat. XIII, 223—226.

IMITATIONES GALLICÆ.

15. *Ergo muneribus quivis*, etc. Bertin, *Amours*, III, *élég.* 12 :

L'or aujourd'hui règne en dieu sur la terre ;
Il faut un char, de superbes atours :
L'or aux plaisirs a déclaré la guerre,
Et foule aux pieds les plus tendres amours.

La Fontaine, *Contes, les Quiproquo :*

Las ! ce n'est plus le siècle de nos pères.
Amour vend tout, et Nymphes, et bergères ;
Il met le taux à maint objet divin :
C'était un dieu, ce n'est qu'un échevin.
O tems ! ô mœurs ! ô coutume perverse !

27. *Barbarus excussis*, etc. Le Brun, *Élégies*, II, 5 :

O souvenirs amers ! ô faveurs infidèles !
Tes yeux pour mon rival lancent ces étincelles !
Sur ton sein, dans tes bras, mollement étendu,
Il s'enivre à loisir d'un bonheur qui m'est dû !

Bertin, *Amours*, II, *élégie* 4 :

Un autre, un autre, ô ciel ! conçois-tu mes soupçons ?
Conçois-tu les fureurs de mon ame offensée ?
Oui, je te vois, ingrate ! et ma triste pensée
Se figure déjà de combien de façons
Le barbare te tient sans pudeur embrassée.

Colardeau, *Pièces fugitives* (*à un Ami, sur l'infidélité de Zelmire*) :

Un autre dans les bras qui surent m'enchaîner
Sait donner des plaisirs et s'en faire donner.

32. *Ah! dolor hic vitiis nescit abesse tuis.* Theseus apud Quinault (*tragédie lyrique de Thésée*, act. IV, sc. 4), de puella sua :

Non, elle aura beau m'outrager,
Elle me sera toujours chère.

Madame Dufrénoy, lib. VIII, *Épîtres* (*une Veuve Milanaise à un guerrier Français :*

Ah ! sois ingrat, si tu veux l'être,
Tu n'en seras pas moins l'idole de mon cœur.

33. *Tot jam abiere dies*, etc. Le Brun, *Élégies*, II, 8 :

En vain je prends ma lyre ; et ses plus doux accens
Prêtent à ma douleur des secours impuissans.
Tout ce qui me plaisait a cessé de me plaire :
Melpomène en pleurant ne sait plus me distraire, etc.

ELEGIA XVII.

DE EXCLUSIONE.

ARGUMENTUM.

Spe noctis deceptus, dilatusque de die in diem falsis promissis dominæ, amantium duram sortem queritur; felicitatem anteriorem suam, nunc elabsam, respicit; constantiam parem servabit nihilominus, fide hac sua si valeat mollire Cynthiam.

MENTIRI noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim;

1. Continuant Broukhusius Burmannusque hanc elegiam cum superiore proxima. Confusionis id genus exempla notavimus jam ante sæpius; sed tædet in rebus, quæ nihil ad interpretationem faciunt, immorari, et quæ deinceps talia erunt, omittere non cogitabimus esse negligentiam. — *Mentiri noctem*; quum fuerit pacta, negare noctem. — *Promissis ducere*, trahere, ludere. — *Hoc erit* patrasse cædem, cruentasse manus hoc erit.

3. *Horum ego sum vates.* Fefellit sensus Marklandum et Ruhnkenium exponentes: « Hæc ego vera esse docere possum; » ut *vatem* pro doctore, interprete, accipiamus. Immo: Ea sunt, inquit (ea nempe versibus 1—2 posita), quæ mecum repeto, ingemino dolens; cantilena ista mea est (pariter nos diceremus Galli, *C'est là mon refrain*), quoties amaram noctem peregi solus in lecto. — *Quoties desertus amarus*, etc. Conf. Imitat. Gall. ad I, 1, 33. — *Uterque torus*, pars interior et exterior lecti. Vide not. ad IV, 8, 68. — *Fractus*, insomnia fractus, confectus.

5. *Vel tu*, etc. Potes vel Tantali, potes vel Sisyphi apud Orcum sortem miserescere: in terris duriora sunt, quæ secum trahit amator mala. *Tantalea sors ad flumina*, Tantali fatum ad aquas. *Admirari*

Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est, quod vivat, amante,
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
*Nunc jacere e duro corpus juvat, impia, saxo,

versu 7, obstupescere miserans. *Sisyphus*, rex olim Corinthi, latrociniis et astutia famosus. Saxum meminimus, quod æternum volvit damnatus post mortem. Conf. Homer. Odyss. λ, 592 sqq. Hygin. fab. 60. *Toto monte.* Vide III, 13, 35.

13. **Nunc jacere e duro.... mittere verba fores.* Vulgo: « Nunc jacere e duro corpus juvat, impia, saxo, Sumere et in nostras *tetra* venena manus: *Nunc* licet in triviis sicca requiescere luna, Aut per rimosas mittere verba fores. » Lachmanni ad hoc exscribimus notam: Locus haud paulo, quam interpretibus videtur, difficilior. Primum pro *Nunc licet*, in libris scriptis omnibus habetur *Nec licet*, quod Beroaldus primus mutavit. Sed illud *Nec licet* verum est: *Nunc licet* pro *juvat*, jejunum et languidum. Cave tamen, ne cum Vulpio explicare tentes ex lib. IV, 7, 19. Immo, ideo non licebat Propertio ante fores excubare, quia a prætore (in elegia 16 rivali amato) et custodibus, quos hic adposuerat domui, prohibebatur. (*Nunc licet* cum cæteris legebat, qui Propertium et hic ante oculos habuit, imitator citatus ad elegiæ calcem Bertin.) Pergit Lachmannus: Sed porro sequentia considera: « *Quod quamvis ita sit*, domiuam mutare cavebo. » Recte, « Quamvis nihil nunc concedatur mihi, quin ne ante fores quidem perstare *liceat.* » At quid hoc alterum, « Quamvis *juvet* se de saxo sese dejicere, aut veneno hausto perire, tamen dominam nolle mutare? » Nempe mortuum, aut certe cupidum mortis? Quis hæc deliramenta Propertio adscribat? Repone: « Nunc decimo admittor vix ego quoque die. Nunc jacere e duro corpus *jubet* impia saxo, Sumere et in nostras *trita* venena manus; *Nec* licet in triviis sicca requiescere luna, Aut per rimosas mittere verba fores. Quod quamvis ita sit, etc. » Scilicet, uno vocabulo *juvat* mutato in *jubet*, quod ita accipies, ut verbum hoc *jubere* Noster usurpat I, 3, 40. Quod præterea revocavimus, *trita venena*, Broukhusius ex libris paucis mutaverat, quorum auctoritatem fidei optimorum non antepono, quamvis *tetra venena* habeant scripti omnes infra eleg. 24, 27. Cæterum, ut verum fatear, hic locus noster fortasse nondum persanatus est, tum demum, ni fallor, ab omni parte placiturus, si versibus alio ordine positis legamus: « Nunc decimo admittor vix ego quoque die; Nec licet in triviis sicca requiescere luna, Aut per

Sumere et in nostras trita venena manus.
Nec licet in triviis sicca requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.*
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, quum in me senserit esse fidem.

rimosas mittere verba fores : Nunc jacere e duro corpus jubet impia saxo, Sumere et in nostras trita venena manus. Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo. Tum flebit, quum in me senserit esse fidem. » Sed hanc quidem transpositionem certam præstare nolo. — Super hoc nihil nos tentabimus novi ; locus, vel si Lachmannum sequaris, impeditus ac frigidus est : Codices adhuc non collatos et meliorem scripturam exspecto. — *Trita venena*, mixta, diluta. — *Sicca luna* est, quæ ventis flantibus siccat terram frigore : Aurâ asperâ, sub immiti cælo. Ita *siccus Canis* de cælo fervido, II, 28, 4. — *Aut per rimosas*, etc. Cf. I, 16, 27 sq.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Mentiri noctem*, etc. Conf. Bertin, *Amours*, III, *élég.* 7 :

Est-ce ainsi qu'on tient sa promesse ?
Est-ce ainsi qu'on abuse un malheureux amant ?
.....
Et moi je veille, et moi je sèche dans l'attente.
Inquiet, agité, consumé de désirs,
Je me roule aux deux bords de ma couche brûlante,
Et poursuis tristement l'image des plaisirs.

9. *Durius in terris nihil est, quod vivat, amante.* Malherbe, lib. II, *Stances :*

La fortune en tous lieux à l'homme est dangereuse ;
Quelque chemin qu'il tienne, il trouve des combats :
Mais, des conditions où l'on vit ici-bas,
Certes celle d'aimer est la plus malheureuse.

11. *Quem modo felicem*, etc. Bertin, lib. II, *élég.* 2 :

Moi qui, près d'elle assis dans son char radieux,
Marchais environné de la publique envie ;
Moi qui, paisible roi, dans son ame asservie
Éclipsais l'univers, effaçais tous les dieux ;
De sa haine aujourd'hui monument déplorable,
Dans la foule importune esclave confondu,
Triste et mouillant de pleurs sa porte inexorable,
Hélas ! j'exhale en vain ma plainte misérable,
Au milieu des frimats sur la pierre étendu.

ELEGIA XVIII.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Decere amatores patientiam, si senes sint, non diffitetur, quamvis placere vel senem posse Tithoni et Auroræ exemplum doceat; sed se juvenem ab ista Cynthia, cujus ætas declinat, rejici, hoc nimis intolerandam profecto injuriam esse. — Cynthiæ exprobrat artem Propertius, quam, ut annos dissimulet, adsciscit corpori: naturæ sola dona in pretio esse; amatori satis pulchram videri eam, quæ negare se, quum rogatur, nesciat. Veni igitur tu ad me bona, o mea lux; aliorum blanditias et amorem fuge; si peccaveris, ne dubita, brevi culpa tua innotescet mihi.

Adsiduæ multis odium peperere querelæ:
Frangitur in tacito femina sæpe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato;
Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid, si jam canis ætas mea candeat annis,

2. *Frangitur in tacito viro femina;* at contra frangitur mollescitque femina, si pro lege sibi amator posuerit tacere ac pati.

5. *Quid*, etc. Scriptum distichon in exemplaribus editis: « Quid, si jam canis ætas mea *caneret* annis, Et *faceret* scissas languida ruga genas? » Ineptum erat illud *căneret*, quod tamen partim agnoscunt Codices, atque ut ejiceretur e linguæ terminis, quicumque bonus animus optabat. *Kuinoel* scripturam libri Neapolitani reposuit: « Quid, *mea si* canis ætas *canesceret* annis? » *canesceret* de correctione Heinsii mutato in *candesceret;* sententiarum autem cohærentiam evolvit: « Dissimula, perfer et obdura, hoc in amore juvat. Ergone perpetuo mihi dissimulandum? Quid si in fide persistens et injurias omnes patienter perferens canescerem, num tunc fracta me amabit? Au-

Et faciat scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fovit in ulnis,
Quam prius abjunctos sedula lavit equos;
Illum ad vicinos quum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies;
Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
Invitum et terris præstitit officium;
Cui majora senis Tithoni gaudia vivi,
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canæ toties oscula ferre comæ.
At tu etiam juvenem odisti me, perfida, quum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.
Quin ego deminuo curam, quod sæpe Cupido

rora certe Tithonum senem amavit. At Cynthia injusta me odit juvenem; multo minus ergo amabit senem, neutiquam illa dissimulatione et patientia flectetur, nec adeo legem illam ego amplius observare possum. » Etsi recte se ita versiculus habet, magis certum ducimus nos id, quod Groningani, quantum constat, lectio est, *candeat* et *faciat*, cum Lachmanno recipere: *candeat* itidem firmant alii multi. Quod ad sensus connexionem ipsam, diverso modo capies; scilicet, ut edoceri se fingat vel a Cynthia, vel a quocumque Propertius, quali patientia nobis in amore utendum sit, qui nunc ipse respondeat: Equidem scio: quid autem? an forte senex factus sum, cui addicantur talia? quænam alia mihi præcepta dari possent jam non juveni? Senes enim proprie patientia ista decet: quamquam nec Tithono suo gravis Aurora fuit, sed omni blanditia fovit vel annis confectum. — *Candere canis annis*, ut *candentem canitiem* dixit Apuleius, Metam. V, 98.

9. *Decedens*, de cælo cedens, quod jam Sol occupat. — *Abjunctos equos*, peracto cursu abjunctos. Prius ad maritum festinat, quam sudorem equis abluit.

11. *Ad vicinos Indos.* Gentes ad Orientem scimus Auroræ dici proximas.

16. *Amisso Memnone* filio, qui causam amplexus Priami, ab Achille occisus est.

19. *Quum sis ipsa* brevi tempore *futura anus.* Clarum indicium hoc, amatam Propertio esse feminam natu quam ipse majorem.

21. *Quin ego deminuo curam*, etc. sed et curas meas levat, quod

Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

* * *

Nunc etiam infectos, demens, imitare Britannos,
Ludis et externo tincta nitore caput?
Ut natura dedit, sic omnis recta figura est:

Cupidinem tibi, perfida, et rivali meo nunc bonum, olim malum futurum confido. Lachmannus.

23. *Nunc etiam*, etc. Separemus ab iis, quæ præcesserunt, posteriora hæc: diversam in utraque parte rationem esse carminis, primus *Kuinoel* recto consilio monuit. Unum objici potest, inquit Lachmannus, « in fine abruptam nimis esse sententiam, *Quin ego deminuo curam*, etc. sed hoc quoque amatoris secum querentis animum decet, et eadem brevitate Corydon Virgilianus querelam suam desinit, eclog. II: « Quin tu aliquid saltem, potius quorum indiget usus, Viminibus mollique paras detexere junco? *Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.* » — *Infectos*, tinctos, medicaminibus infectos *Britannos*. — *Ludere*, jocari, gaudere, in captandis amatoribus indulgere genio. Frustra verbum istud interpretes obscæno sensu positum hic volunt.

25. *Ut natura dedit*, etc. Conf. Imitat. Gall. ad I, 2. — Lachmanni ad hoc subjicimus notam: Fallitur vir doctus (*Kuinoel*), quum postrema tria hujus elegiæ disticha alio pertinere cogitat. Scilicet turbatus versuum ordo quo pacto restituendus sit, non animadvertit; quæ res Scaligero quoque hic male successit. Vides interrumpi sensum illo disticho interposito, *An si cæruleo*, etc.; quod ubi ante illum versum posuerimus, *Illi sub terris*, etc., nihil erit amplius quod desideres. Scribe igitur: « Ut natura dedit, sic omnis recta figura *est*: Turpis Romano Belgicus ore color. An, si cæruleo quædam sua tempora fuco Tinxerit, idcirco cærula forma bona est? Illi sub terris fiant mala multa puellæ, Quæ mentita suas vertit inepta comas! De me, mi *per te* poteris formosa videri: Mi formosa sat es, si modo sæpe venis. Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus, Frater ego et tibi sim filius unus ego, Ipse tuus semper, etc. » Ecquisnam sibi sententiarum cohærentiam explicari postulat? Fucum, quo picta Cynthia amatores sibi conquirere studebat, exsecratus, Tu mihi, inquit, formosa satis es, si sæpe venis (de quo *venire* vide supra, eleg. 14, 20). Veni igitur ad me, tamquam ad fratrem aut filium (honestis vocabulis amatorem subindicat; vid. interpp. ad Minucium Felicem, cap. 9). Cæterum pudice vivito, neu nimio corporis cultu amatores adlicere studeas; peccata tua, mihi crede, fama ad me perferet. — *Figura est*. Tuetur Lachmannus substantivum verbum, quod agnoscit in extremo versu MS. Neapolitanus cum alio. Vide not. ad II, 6, 15. — De pigmenti genere, quod proprie significat hic Propertius,

Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita suas vertit inepta comas!
De me, mi certe poteris formosa videri:
Mi formosa sat es, si modo sæpe venis.
An, si cæruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?
Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus,
Frater ego et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famæ:
Et terram rumor transilit et maria.

nec bene constat, nec diligentius, ut parvi refert, inquiremus; sed quantum intelligimus, diversa duo sunt: flavo colore, si vis, tingebat sibi capillos Cynthia; fuco cæruleo tempora, hoc est, venas temporum. Germanos, Batavos, alias gentes has, passim comperimus de more pictas esse; inficere se Britannos vitro (lingua nostra *le pastel*) Cæsar notavit, de Bello Gall. V, 14.

29. *De me*, quod de me est, quod de me scio. — *Certe*. Vere Lachmannus observat, redundare sententiam his, *De me mi certe*; in iis vero, quæ sequuntur, aliquid desiderari, quum debuisset Propertius sibi vel inornatam placere Cynthiam dicere. Scribe igitur ipso Lachmanno auctore: « De me, mi *per te* poteris formosa videri. »

37. *Noli committere*. Male interpretantur *Noli peccare*, absoluto sensu positum opinantes verbum *committere*; sed: Garrula, inquit, fama est; noli famæ confidere. — *Terram*. Scribe *terras*, ut cum sequente plurali *maria* coeat. Guyetus monuit.

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Rusticatum abire Roma Cynthiam, etsi discessus amori gravis est, lætatur poeta : apud agros saltem in tuto se habere feminam; illic nec theatra nec ludos inconstantiam juvare et amoris delicta. Sed jam se parat ipse, ut quam cito comes adeat puellam suam; illum jam studium venandi tenet; incitare canes jam sibi videtur, et turbare silvas, et cervum premere. Interea Cynthia, quamdiu sola erit, si forte ad culpam inclinabit animus, adfore brevi tempore amantem suum cogitet. De se, nihil non timebit, nihil non cavebit absenti dominæ.

Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
Lætor, quod sine me devia rura coles.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam;
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.
Sola eris, et solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus, et fines pauperis agricolæ.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,

2. *Coles* pro *colis* recte Lachm. edidit cum libris nonnullis. Futurum sensus manifeste postulat.

5. *Nulla neque ante tuas*, etc. Horatius, Carm. I, 25, 1, Lydiam illam, cujus ætas vergit, adloquens : « Parcius junctas quatiunt fenestras Ictibus crebris juvenes protervi, Nec tibi somnos adimunt, etc. » Vide et Nostrum, eleg. 14, 21. — *Nulla neque*, ut *nemo ne* versu 32. Vide et III, 13, 23.

7. *Solos montes* pro desertis, ut frequenter *solum* usurpant. *Sola antra* vidimus jam I, 2, 11; *sola saxa* I, 18, 4.

9. *Ludi.* Ludorum spectacula, campus apertus Amori fertilis, ut

Fanaque peccatis plurima causa tuis :
Illic adsidue tauros spectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas;
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
Hædus ubi agrestes corruet ante focos;
Protinus et nuda choreas imitabere sura,
Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor. Jam nunc me sacra Dianæ
Suscipere, et Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, et reddere pinu
Cornua, et audaces ipse monere canes;
Non tamen ut vastos ausim tentare leones,

eleganter canit Ovidius, Art. Amat. I, 89 : « Sed tu præcipue curvis venare theatris : Hæc loca sunt voto fertiliora tuo... Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ : Ille locus casti damna pudoris habet. » — *Fana.* De sacris Isidis vel Bonæ deæ versiculum istum interpretes nimis arcte capiunt. Patere templa quælibet amantium furtis, ipsius Italiæ mores hoc ævo testantur.

13. *Rara tura*, quæ raro sacellum habet, ut neglectum ruricolis est. — Dionysia Burmannus non sine veri specie conjicit dicere Propertium velle. Baccho festum hoc erat vindemia confecta, quod cæso capro rustici choreisque celebrabant. — *Externum virum* dicit, quem sibi rivalem timeat.

18. *Et Veneri ponere vota juvat.* Ἀναθήματα haud dubie dicit, quibus vota solvat. Veneri autem ponit vota, qui jam nunc paratum se abire fingit, ne dea absenti curam commodare desinat. Sed illa ipsa res, quæ hic vulgari scripturæ fidem addit, ea quæ sequuntur suspecta facit, *et reddere pinu Cornua.* Certe non satis apto loco inter ipsa venandi officia votum diis venaticis solvendum commemoratur. Ita enim illa verba accipienda esse Ovidius docet, Metam. XII, 266 : « telique habet instar, in alta Quæ fuerant *pinu*, *votivi cornua cervi.* » Et pleni sunt eo more Græcorum Romanorumque libri. Quin et *reddere pinu* (id est, *pinui;* vide I, 11, 12) bene dictum, ne *suspendere pinu* tentes cum Heinsio. Valer. Flacc. I, 56 : « I, decus! et pecoris Nephelæi *vellera* Graio *Redde tholo.* » Lachmannus. — Vere observatum hoc, in posteriore disticho res jungi, quæ non coeunt; sed frequentem Propertii negligentiam comperimus, et boni, opinor, consilii erit, imperfectum locum etiam hic pro sincero tueri. Certe conjecturam habebimus de nihilo, quam vir doctus (*Kuinoel*) tentat reponere. — *Incipiam.* Vide not. ad eleg. 1, 31. — *Monere*, hortari, incitare canes.

21. *Leones* pro feris horridiori-

Aut celer agrestes cominus ire sues :
Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solæ poterunt avertere silvæ,
Nec vaga muscosis flumina fusa jugis,
Quin ego in adsidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit.

bus. Amplificat nomen, vim ut addat rei. — *Cominus ire sues*, in sues. Pari modo *vadere aliquid* pro *contra aliquid* Statius, Thebaid. III, 100 : « qui *cominus* ausus *Vadere contemtum* regis. » Cum dativo casu Propertius III, 1, 26, Sil. Italicus V, 560, locutionem istam *cominus ire* construunt.

23. *Sit*, erit, ut sæpius. — *Excipere*. Venandi proprium verbum, de quo Burmannus ad Valer. Flacc. VI, 422. — *Stricto calamo*, depromta sagitta. *Stricto* præterea quam se recte habet, ne mutaretur, librorum consensus vetabat.

25. *Clitumnus*, Umbriæ fluvius deus, qui cum Tinia, mixtis ad Mevaniam urbem aquis, in Tiberim descendit. De quo fonte armenta quæ potaverint, traditio erat fœtus albos edere. Vide interpp. ad Virgil. Georg. II, 146. Describit Clitumnum alter Plinius, epist. VIII, 8. — *Formosa*. Vide not. ad I, 20, 41.

27. *Quoties aliquid conabere*, mens tibi quoties inclinabit ad malum. *Conari aliquid* indefinito sensu dictum, ut loquimur nos etiam Galli : *S'il arrivait qu'une tentation, qu'un mouvement se fit sentir, songe*, etc. — *Lucifer*, dies.

29. *Sic*, interea, donec adveniam tibi, haud ita me securum solitudo illa tua faciet, quin semper cavendum nobis in amore esse cogitem. Sensum viri docti alienum et falsum versibus his adfingunt. — *Fusa flumina muscosis jugis*. Repetere satis habet *Kuinoel* interpretationem, quam dedit Beroaldus : « Cogitandum, inquit, de limo viridi in superficie aquæ concreto, ita ut aqua tamquam jugo prematur. » Tu, missis ineptiis, *juga* pro collibus dicta cape; de collibus autem fusi fontes descendunt. — *Quin ego in adsidua lingua*, in adsiduis de te sermonibus meis, *tua mutem nomina*, vero nomini tuo substituam fictum, ne, si quis abesse te sciverit, paret insidiis amorem nostrum lædere. *Nocuisse* pro nocere; de quo dictum I, 10, 2. — Cum Propertii carmine hoc conf. Le Brun, *Élégies*, I, 1; Bertin, *Amours*, III, *élég.* 22.

ELEGIA XX.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Decepta falso rumore Cynthia inconstantiam amantis sui per literas cum magnis lacrymis incusaverat. Puellam nimis credulam solatur Propertius: mutari fidem suam, refrigerari, quidquid tentetur, ardorem suum posse negat; tam pulchris ignibus non nisi mortem fore terminum confidit; se apud inferos æternis pœnis devovet, si memoria sua illum umquam ingratum fecerit.

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis;
Nec tantum Niobe, bis sex ad busta, superne
Sollicito lacrymas defluit a Sipylo.

1. *Abducta Briseide*; Briseide, quum se videret Achilli ereptam.

5. *Volucris funesta*, Philomela, regis Atheniensium Pandionis filia, quæ Procnen habuit sororem, Procne vero Tereum Thraciæ regem maritum. Hic, vitiata Philomela, quum linguam ei, ne divulgaret facinus, exsecuisset, Procne, re cognita, interfectum filium Ityn patri mensæ adposuit. Insequitur Tereus amens sorores duas, quarum altera in lusciniam, altera in hirundinem mutatur, ipse in upupam. Scenæ tradiderant fabulam Æschylus et Sophocles. — *Obstrepere* de cantu querulo, ut vidimus jam I, 16, 46. Sic et *increpare*, queri, III, 10, 10, IV, 11, 60. — *Cecropia folia* pro silvis Atticis.

7. *Niobe*, Amphionis Thebani regis uxor, patre Tantalo, duodecim natis superbiens ausa Latonam despicere. Prolem ejus omnem Apollo sagittis exstinxit; mater ipsa Niobe saxum in Sipylo Phrygiæ monte facta est. Vide Gierig. ad Ovid. Metam. VI, 146. — Vul-

Me licet æratis adstringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaes condita membra domo:
In te ego et æratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaes transiliamque domum.
De te quodcumque, ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modo ne dubita de gravitate mea.

garem hic scripturam: « Nec tantum Niobe bis sex ad busta *superba* Sollicito lacrymas *depluit e* Sipylo, » Lachmannus refellit examinans: Ita, inquit, Broukhusius hæc non sine temeritate formavit; alii alia commenti sunt, quibus omissis Codicum scripturas potius examinemus. Primum igitur *a Sipylo* habent omnes, quod cur mutari Heinsius voluerit, non possum intelligere. Tum *depluit*, quod Palmerius Groningano non recte tribuit, nullus liber exhibet; nec displicet *defluere* transitive positum, *defluit lacrymas*, ut *lacrymans* quod scripti quidam agnoscunt neutiquam probem. *Effluere* Claudianus active usus est in Prob. et Olyb. Cons. vs. 51: « Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis *Effluxere décus.* » Idem, de Laud. Stilich. II, 262: « Post has OEnotria lentis Vitibus intorquens hederas, et palmite largo *Vina fluens.* » Sed porro vide, quam inepte hic Niobe *superba* dicatur, quæ *flebilis* rectius adpellari poterat, nisi utrumque conjungere volebat, quod Ovidius fecit Heroidd. XX, 105 sq. Præterea illud epitheton nimis inscite profecto collocatum est, quasi *busta superba* dicat. Ad hoc libri meliores non *superba* habent, sed *superbe* aut *superbæ*; unde veram lectionem nullo negotio extundimus. Repone: « Nec tantum Niobe, bis sex ad busta, *superne* Sollicito lacrymas *defluit a* Sipylo. » *Superne* a Sipylo defluit, hoc est, desuper. Sic *infusum superne lympharum rorem* dicit Lucretius I, 497, et *sæcla superne de cælo demissa* II, 1152 sq. Quod superest, mirum multis visum, *tantum defluit*, ne te moretur. Forma eadem est II, 21, 2, II, 9, 34, II, 25, 40, in quibus pariter jungit vocabula *tantum*, *tam* et *quantum* cum verbis Propertius. Hæc Lachmannus, docte ut solet, cujus nos facile persuadent rationes. — De mutata Niobe Seneca in Agamemn. vs. 376: « Stat nunc Sipyli vertice summo Flebile saxum; Et adhuc lacrymas marmora fundunt Antiqua novas. » Pausanias etiam in Attic. cap. 21, videri lapidem istum procul spectantibus quasi mœrentem ac lacrymantem feminam testatur.

9. *Æratos nodos* potes, si vis, intelligere Promethei. — *Danaes domus; ferrata domus*, ut mox est; carcer, in quo tenuit Danaen inclusam Acrisius pater. — *Membra*, corpus, ut eleg. 16, 14; is ipse, de quo sermo est.

11. *In te*, tui ergo, ut me meus amor in te feret.

13. *De te quodcumque;* supple *dicitur mihi*, quod bis in versu intelligendum est. *Quodcumque* autem, id est, quodcumque mali; de quo genere locutionis ad eleg. 19, 27, notavimus. — *Gravitas*,

Ossa tibi juro per matris et ossa parentis,
  Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis!
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras:
  Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
  Posset servitium mite tenere tuum.
Septima jam plenæ deducitur orbita lunæ,
  Quum de me et de te compita nulla tacent:
Interea nobis non numquam janua mollis,
  Non numquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis:
  Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Quum te tam multi peterent, tu me una petisti.
  Possum ego naturæ non meminisse tuæ?
Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, et me

constantia, fides, ut *levitas* contrario sensu dicitur.

15. *Ossa tibi juro*, etc. Puero sibi patrem ereptum esse, Propertius docet IV, 1, 127 sq.; eodem carmine, vs. 132, matrem adhuc vivam habuisse, quum virilem togam sumeret, hoc est, ætatis anno 16. Cæterum, digna res est observatione, veterem illam jurandi per cineres parentum vel natorum caput formulam deprehendi superstitem his ipsis diebus in usu, scortis vilioribus peculiarem, quæ Lutetiam nostram infestant. Vide nuperum librum insignem sordibus, cui titulus, *Mémoires de Vidocq*, tom. III, pag. 187 sq. — Versiculum *Si fallo*, etc. signis includo parentheseos.

17. *Me tibi mansurum. Manere alicui* pro *alicui servare fidem*; quod exemplis firmat ad eleg. 9, 8, Lachmannus, Ovidium comparans Heroidd. V, 133: « At *manet* Œnone fallenti casta *marito*; » Flaccumque Valerium II, 138, qui de fida Eurynome: « *manet* illa *viro*, famulasque fatigat Velleribus. »

20. *Servitium mite tuum*, conditio mitis, quam tu facis servienti.

21. *Septima jam plenæ lunæ orbita deducitur*, septimus jam mensis est, *quum de me et de te nulla tacent compita*, ex quo satis cantat per urbem rumor publicus amores nostros.

25. *Beatis*, largis, opulentis *muneribus*. — *Quidquid eram*, quidquid mihi felicitatis contigit, *hoc animi tui gratia* erat, hoc tu benevola, hoc tu libens concedisti. De locutione hac *Quidquid eram* vide not. ad eleg. 25, 36.

28. *Natura*, indoles, mansuetudo in me tua.

29. *Tunc*, si fieri potero non memor. Lachmannus *Tum*. Vide ad I, 7, 21. — *Erinnyes tragicæ*, Furiæ vindices, in tragœdiis personæ.

Inferno damnes, Æace, judicio;
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis:
Ultima talis erit, quæ mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo jus est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

31. *Tityus.* Ausus hic Latonam, quam Jupiter amabat, impudentius petere, in Tartara præcipitatus, vultures duos laniantes pascit indesinenter jecinore suo. Homer. Odyss. λ, 575 sqq. *Vagetur pœna mea inter Tityi volucres*, hoc est, decreta mihi pœna sit quæ Tityo, ales circumvolans. — *Sisyphius labor;* qui jam dictus el. 17, 7 sq.

33. *Nec tu supplicibus*, etc. quare desine tu supplex talibus literis orare constantiam meam. *Venerari*, orare, sensu quo Virgilius etiam Æn. III, 34, Horatius sat. II, 2, 124. — *Ultima talis erit*, etc. Conf. Imitat. ad I, 12, 19; II, 9, 44.

35. *Jus.* Intelligo rem eam, quam sibi aliquis cum jure vindicet. Hoc mihi, inquit, perpetuæ laudis adsciscam licet, quod solus (unus omnium) amator, etc.

IMITATIONES GALLICÆ.

29. *Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes*, etc. La Fontaine, *élégie* III:

Ainsi je m'abandonne au charme qui me lie:
Les nœuds n'en finiront qu'avec ceux de ma vie.
Puissent tous les malheurs s'assembler contre moi,
Plutôt que je vous manque un seul moment de foi!

35. *Hoc mihi perpetuo jus est*, etc. Malherbe, lib. II, *Stances* (*Sur l'éloignement prochain de la comtesse de la Roche, ou de la vicomtesse d'Auchy*):

Je ne ressemble point à ces foibles esprits
Qui, bientôt délivrés comme ils sont bientôt pris,
En leur fidélité n'ont rien que du langage:
Toute sorte d'objets les touche également:
Quant à moi, je dispute avant que je m'engage;
Mais, quand je l'ai promis, j'aime éternellement.

ELEGIA XXI.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Confirmari eventu quod certus prædixerat: Panthi cujusdam perfidia ejectum se esse, nunc vicissim ab isto spretam irrideri desertam Cynthiam. Hoc amisso, inquit, alium fide meliorem quæris? Mitte, credula, sperare: unus ego sum, qui te constanter amare didici.

Ah quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere: nihil pudet? adspice, cantat
Liber: tu, nimium credula, sola jaces!
Et nunc inter eos tu sermo es; te ille superbus
Dicit se invito sæpe fuisse domi.
Dispeream, si quidquam aliud quam gloria de te
Quæritur: has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:

1. *Ah.* Falsum est quod in vulgatis exemplaribus legitur, *At.* Scripti longe plerique *Ah;* rectissime. — *Quantum... tantum;* id est, quo pari modo... ita. Æque habeat sibi Panthus adversam Venerem, ac tibi falsa de me scripsit malevolus. — Nomen fictum *Panthus* est. — *Pagina.* Vide III, 25, 17.

3. *Dodona.* Vide I, 9, 5.

5. *Tot noctes periere,* a te frustra ingrato datæ. — *Liber;* ut I, 10, 30.

7. *Inter eos;* Panthum et uxorem. *Tu sermo es;* vide ad I, 5, 26. — *Te sæpe fuisse domi suæ se invito;* accidisse non semel, ut invitus haberet te ferendam domi.

9. *Dispeream, si quidquam aliud* quærunt tot amantes isti tui, quam sibi de te jactationem et gloriam. — *Has laudes ille maritus habet;* tam pulchra laus est, qua se Panthus effert novæ datus feminæ.

11. *Colchis,* Medea, ut II, 1,

Ejecta est; tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem præbere puellæ,
Discite desertæ non temere esse bonæ!
Huic quoque qui restat? jam pridem quæritur alter.
Experta in primo, stulta, cavere potes.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive ægra pariter sive valente sumus.

54; II, 34, 8; III, 11, 9. — *Ejecta est*, etc. Versiculus corruptus in libris. Multi, quibuscum Regii nostri (C, D) faciunt, ex deterrimis ii: *Ejecta est tenuis namque Creusa domo.* In aliis pluribus *Electa* pro *Ejecta*. Broukhus. correxit: « *Electa* est *tenui* namque Creusa *domo.* » *Kuinoel*, præeunte Burmanno patruo: « *Ejectâ* (Medeâ) tenuit namque Creusa domum. » Sed nihili ista sunt. Lectionem tene Groningani Codicis, quam etiam agnoscunt antiquitus editi libri: « Colchida sic hospes quondam decepit Iason: *Ejecta* est; *tenuit* namque Creusa *domum.* » — De prodita Medea, quam exceptus in Colchide Jason hospes deseruit infidus, Ovidii epistolam vide (Heroidd. XII). De Creusa dictum eleg. 16, 30.

13. *Sic*, etc. Structuræ ratio viros doctos, ut varia tentarent, impulit. Mihi, si quid mutandum est, rectissime legi videtur: « Sic a Dulichio *juvenem delusa* Calypso Vidit amatorem pandere vela suum. » Nam *juvene est delusa* habet Groninganus. *Juvenis a Dulichio*, ut *pastor ab Amphryso*, et alia id genus innumera. Lachmannus. — De epitheto hoc *Dulichius* vide el. 2, 7.

15. *Faciles aurem præbere.* Cujus formæ habes exempla I, 11, 12.

17. *Huic quoque qui restat?* Correxit Broukhusius versum: « *Nunc* quoque, qui *restet*, jam pridem quæritur alter; » ut *restet* sit *maneat*, *constanter amet.* Lachmannus sola distinctione mutata servari Codicum omnium scripturam posse ostendit: « *Huic* quoque *qui restat?* jam pridem quæritur alter. » Prodita nunc illa (Cynthia), inquit, contra perfidum, a quo delusa est, videte quid habeat: alterum stulta quærit, a quo pariter fallatur. *Restare* pro resistere, ut II, 25, 18, III, 8, 31, et Livius passim.

20. *Sive ægra.* Vide II, 9, 25—27.

IMITATIONES GALLICÆ.

15. *Ah nimium faciles aurem*, etc. Puella apud Quinault, *ballet du Temple de la paix* (*V^e entrée*):

On ne trouve que trop d'infidèles bergers:
Malheur aux bergères crédules!

ELEGIA XXII.

AD DEMOPHOONTEM.

ARGUMENTUM.

Placere sibi formosas omnes, ut hesterna dies satis ostenderit, ingenue amico fatetur Propertius. Cupidinis missum telum, quod effugiat, nullum esse; traxisse se cum vita vitium, ut semper amator flagraret aliquam. Facile autem ad repetitum Veneris officium sufficere vires suas; in amore se et Jovem et Hectora et Achillem esse. Una, inquit, nos puella parum juvat: de sensu meo habeamus vel minimum duas, quarum altera se commodam præbeat, si forte negantem invenerimus alteram. (Fragmentum superest, de quo vide notata.)

Scis here mi multas pariter placuisse puellas;
Scis mi hinc, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis:
O nimis exitio nata theatra meo,

1. *Here* pro heri, ut habet etiam Juvenal. sat. III, 23. Alia notavimus ejusdem formæ ad I, 11, 9. — *Scis mi hinc.* Lectionem editam, quam exhibent scripti plerique: « Scis *mihi*, Demophoon, multa venire mala, » Lachmannus perbene corrigit, mutato *mihi* in *mi hinc*. *Hinc*, nempe a puellis. Quod nisi supplemus, cohærentia loci aperte nulla est. — *Demophoon.* Fictum nomen, ut erat *Panthus* eleg. 21.

3. *Compitum*, tritus quicumque publicus locus. — *O nimis*, etc. Scripturam pauci Codices agnoscunt non boni, quam prætulerunt editores hanc: « *Omnia in exitium* nata theatra *meum*. » Cæteri meliores, cum iisque Lachmannus corrigit: « *O nimis exitio* nata theatra *meo!* » Heinsii firmatum satis hoc notatis ad Ovidii Remed. Amor. 220. In perniciem suam (ejusdem Lachmanni verba exscribimus) « theatra et spectacula nata dicit,

Sive aliquis molli diducit candida gestu
Brachia, seu varios incinit ore modos!
Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet:
Quæ si forte aliquid vultu mihi dura negarat,

Sive aliquis molli diducit candida gestu Brachia, seu varios incinit ore modos. Nam *interea*, inquit, dum puellæ illos scenæ artifices spectant, *Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli*, etc. Paulo adcuratius hæc interpungendo clarissimam his versibus lucem feneramur, ut transponendum cum viris doctis minime videatur. » — De librorum majore fide versiculum restitutum damus; mirum tamen, si lectionem ipsam eam, quam ejicimus, plerique potiorem non æstimabunt. Totum locum vide: « Nulla meis frustra lustrantur compita plantis; *Omnia in exitium* nata theatra *meum*. Sive aliquis molli diducit candida gestu Brachia, seu varios incinit ore modos; Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli, Candida non tecto pectore si qua sedet, etc. » Nulla mihi compita non funesta sunt; omnia mihi sunt exitio theatra. Illic dum saltat mimus, dum cantu scena resonat, intentique omnes spectaculo delectantur, interea quærunt sibi vulnus ocelli mei, etc. Oratio in iis plana, facilis, commoda; eadem, ut sentis, fracta et aspera, si quartum versum per exclamationem scribimus. Sed nec immerito hanc ipsam inelegantiam magis decere Propertium aliquis fortasse dicat. — *Diducere molli gestu brachia;* apud Ovidium, Amorr. II, 4, 29, quali sensu est: « Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit. » Sed in Propertii versu recte Passeratius *diducit*, pro eo, quod habent scripti manu Codices, *deducit*. Vide Markland. ad Statii Silv. III, 5, 66.

8. *Candida* (venusta, nitida) si qua sedet non tecto pectore, vel arte compositis capillis. *Pura frons* vel omnino serena ac decora est, vago sensu dicta, vel, quam purgavit pecten inconcinno capillo. Sic *puri capitis discrimina*, hoc est, distinctis arte cincinnis nitidum caput, Ovidius Art. Amat. III, 137. — *Quos gemma tenet medio vertice.* Lucillam Augustam ita repræsentat effigies apud Boissard. Antiq. vol. III, pag. 150. Capillos proprio nomine *tutulum* dicebant, formatos in nodum summo capite. — Ovidium confer supra citatum, Amorr. II, 4, 9: « Non est certa meos quæ forma irritet amores; Centum sunt causæ, cur ego semper amem. Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos, Uror, et insidiæ sunt pudor ille meæ: Sive procax aliqua est, capior, etc. »

11. *Aliquid.* Tecto sensu loquitur, forma, ut scimus, ab omni tempore amantibus solemni. Ovidius pariter, Amorr. III, 2, 83:

Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes:
Quod quæris, Quare, non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris,
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
Uni cuique dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyræ cantoris fata sequantur:
Numquam ad formosas, invide, cæcus ero.
Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus,

« Risit, et argutis *quiddam* promisit ocellis. » Noster II, 33, 42: « Est *quiddam*, quod vos quærere cogat Amor. » Vide et ad superiorem eleg. 19, 27. — *Frigida aqua*, sudor frigidus, conceussi turbatique animi indicium apud omnes.

14. *Quod quæris*, etc. Versiculum corruptum visum criticis ac varie tentatum Lachmannus melliore distinctione posita sincerum agnoscit, et explicat commode: « Quod quæris, Quare, non habet ullus amor. » Hoc Quare, (quomodo nos *ce Pourquoi*), quod tu quæris, rationem cur aliquis amet, non habet ullus amor. Eodem prorsus modo Petronius, cap. 137: « Juris consultus, *paret*, *non paret*, habeto, Atque esto quidquid Servius et Labeo. »

15. *Cur aliquis*, etc. Bellonarios, Bellonæ sacerdotes, innuit. De sacris Bellonæ furentibus vide Tibull. I, 6, 45—50. — *Et Phrygis*, etc. Interpres Ovidius, in Ibid. 455: « Adtonitusque seces, ut quos Cybeleia mater Incitat ad Phrygios, vilia membra, modos. » *Phryx*, tibicen Phrygius, pro Phrygia tibia, quæ sacerdotibus Gallis movet insaniam.

17. *Uni cuique dedit*, etc. Catullus ita, Carm. XXII, 20: « Suus quoique adtributus est error. » Horatius, sat. I, 3, 68: « Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est, Qui minimis urgetur. » — *Mi fortuna*, etc. Ex interpolatis membranis, quas inspexit Gebhardus, scriptura provenit auctore Broukhusio vulgaris edita: « Uni cuique dedit vitium natura creato: Mi *natura* aliquid semper amare dedit. » Libri tum numero tum fide potiores *natura* in altero versu, in altero *fortuna*, quod ne dubites quin jure Lachmannus revocaverit: « Mi *fortunâ* aliquid semper amare dedit. » Hoc sibi vitii a natura esse datum, ut forte fortuna semper aliquid amet. Livius, XXII, 23: « .... tandem eum militiæ magistrum delegisse Romanos cernentem, qui bellum ratione, non *fortunâ*, gereret. »

19. *Thamyras*, poeta Thracius, ausus ad certamen provocare Musas, ab illis excæcatus est. Meminit Homerus, Iliad. β, 595. Conf. Apollod. I, 3. — *Cæcus ad formosas*. Vide notata II, 10, 3.

21. *In exiles artus tenuatus*; vi-

Falleris : haud umquam est culta labore Venus.
Percontere licet : sæpe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Juppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos,
Et cælum noctu bis sine rege fuit :
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? quum e complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachæ lecto quum surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat vel perdere muros :
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Adspice, uti cælo modo sol, modo luna ministret :
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum;

ribus ego jam nullis, quas in amore perdiderim effusas. Sic *nullum* se dicit *toto corpore* I, 5, 22. — *Haud umquam* mihi *culta Venus* cum *labore est*, operose culta.

25. *Juppiter*, etc. Jupiter ut ex Alcmena, Amphitryonis uxore, susciperet Herculem, *geminas Arctos requieverat*, stare polum immotum jussit, duplicavitque noctis spatium. *Requiescere Arctos*, sidera cum polo sistere, ut apud Virgil. eclog. VIII, 4 : « Et mutata suos *requierunt flumina cursus;* » quomodo et Noster verbum *defluere* active usurpat II, 20, 8. — *Alcmenæ*. Dativo casu positum nomen hoc, sensu quo dicimus *aliquid alicui facere*, id est, *pro aliquo*. Male *Kuinoel* secundum casum vult esse (*Alcmenæ ergo*, *Alcmenæ in gratiam*), de contractione quod genus Burmannum laudans ad Petronii cap. 49, Cortium ad Sallustii Catilin. 6, Jugurth. 88, sed in quibus auctoribus comparata loca diversissima sunt.

27. *Ad fulmina venit*, rediit. Inobservantiæ tribues quod exhibet Lachmannus scriptum, *ad sidera*.

30. *Thessala tela*, hujus Achillis tela Thessala.

31. *Andromachæ*. Scribe *Andromaches*. Dictum ad I, 4, 6.

34. *Hic ego*, etc. *Hic*, in Amoris militia, Pelei natum se et Hectora esse dicit. Conf. Tibull. I, 1, 73 : « Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes Non pudet, et rixas inseruisse juvat. Hic ego dux milesque bonus. »

Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navem,
Tutius et geminos anxia mater alit.

* * *

Aut, si es dura, nega : sin es non dura, venito.
Quid juvat in nullo ponere verba loco?

39. *Aut, si forte* servum exceperit durius, qui missus ad eam rogata mea tulerit, etc.

41. *Retinacula*, anchoræ. — *Tutius et geminos*, etc. Ovidius, Remed. Amor. 463 : « Fortius e multis mater desiderat unum, Quam cui flens clamat, Tu mihi solus eras! »

43. *Aut, si es dura, nega :* etc. Quatuor disticha hæc, in Codicibus scriptis impressisque libris cum superioribus conjuncta, quæ dudum critici quidem pro sensus diversitate alio pertinere intellexerunt, Lachmannus ad sequentem elegiam tertiam vicesimam traducit, de re exponens ita : In priore carmine, inquit vir doctus, se multarum amorem libere quærere dicit poeta, cui una puella non satisfaciat; in hoc, excussa Cynthia, vilioribus sese, libertinis ac peregrinis, tutius et minore sumptu studere profitetur : illic unam sibi placere negat; hic nuptæ amorem recusat. Hac autem utriusque carminis differentia intellecta, non est obscurum, ad utrum illi octo versus, *Aut, si es dura*, etc. pertineant : « Quanta in miseria, inquit, versantur, qui ingenuas depereunt! Hoc ego in Cynthia olim expertus, nunc de trivio mulieribus indulgens, jam dudum vitam feliciorem ago. » Illam priorem sententiam comico (ita adpellant) exordio, quo lectorem in mediam rem rapit, ornavit. Ponit aliquem ingenuæ et nuptæ amatorem : mulierem aut alio recepto, aut mariti metu venire negasse. Aut promittere noli, infelix amator inquit; aut, si promisisti, venire memento. Hinc poeta ad infelicem eorum, qui nuptarum amore capti teneantur, sortem conquerendam transit : his se in vilium puellarum studio beatiorem conditionem experiri profitetur. — Adsentiri et hic Lachmanno licet, ordo si nequit restitui certissimus, saltem ut confusio minor sit. Objicietur exordium abrupte factum carmini : *Aut, si es dura, nega;* distinctio in scriptis Codicibus posita (de qua Lachmannus ad elegiam 23) inter versus priores hos et insequentes proximos *Cui fuit indocti*, etc.; alia plura, si vis, objicientur, quæ video : hoc mihi nequaquam mutat consilium, et quod in tali re præbet aliquam speciem veri, fidenter auctor sum ut adoptemus et sequamur. — *Venire*, ut mox versu 46, proprio sensu positum intelliges. Ex ultimis duobus distichis patet.

44. *Quid juvat*, etc. Dedit Beroaldus quod vulgo legitur : « Quid juvat in nullo *pondere* verba *lo-*

Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
  Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
  Quum recipi, quem non noverit illa, putat;
Et rursus puerum quærendo audita fatigat,
  Quem, quæ scire timet, quærere plura jubet!

qui? » lingua ferente quidem, sed libris adversantibus, quorum scriptura communis est: « Quid juvat in (*vel* et) nullo *ponere* verba *loco?* » Verba tua, id est, promissa, quid juvat facere nihil? Locutionem, etsi visam ineptam criticis, Lachmannus defendit, proximum illud Ciceronis comparans, de Finibus, II, 28: « idque Socratem, qui voluptatem *nullo loco numerat*, audio dicentem, etc. » et alia similia, *in artis loco reponere*, *in virtute ponere*, *in uxoris loco habere*. Cum eodem Lachmanno huc etiam retrahes Propertii versum vulgo non intellectum, I, 19, 20, « Tum mihi *non ullo* mors *sit* amara *loco*. » Mortem amaram nullius sibi momenti et nequaquam gravem fore dicit poeta, si puellam sibi fidelem sciat.

48. *Quum recipi*, etc. Piget in tali fragmento majorem curam ponere, et varietatem hic omnem scriptæ vel editæ lectionis ablego. Verum videtur id, quod Bernardini Vallæ Codex habuit: « Quanta illum toto versant suspiria lecto, Quum recipi, quem non noverit illa, putat! » Sententia recta. Totius loci rationem, quam Lachmann. aperit, considera: « Amator alienam uxorem, quæ se venturam promisit, exspectat: illa per servulum missum negante, suspirans miser in lectulo vertitur, anxie a puero, quid agat illa, cur venire nolit, exquirit. » At porro, inquit poeta, in conditione hac amoris sui quanta illum versant suspiria, quum cæcus ira sibi fingit alium quemvis ab amica recipi, quem illa ne noverit quidem!

49. *Et puerum* quum fatigat interrogando, eadem ter quaterque rogitans. Cæterum *Et rursus puerum* scribendum esse cum Groningano, Neapolitano, aliis, sonus evincit, non *Et rursum*. — *Quem, quæ scire timet*, etc. Vulgo: « Quem, quæ scire timet, *dicere* plura jubet. » Ita quidem Beroaldus: priores et scripti universi non *dicere* habent, sed *quærere*. Recte sane: Puerum, qui se causam, cur puella non veniat, scire negavit, plura, quæ ipse timet scire, quærere jubet. Quid, si non puellæ, sed amatoris servus sit, qui nuntium retulerit? Tum *dicere* ne ferri quidem potest. Cæterum hic versiculus libro Neapolitano exsulat, qua re confirmatur id, quod de proximo versu (eleg. 23) dicturi sumus. Lachmanni nota hæc.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Scis here mi multas pariter*, etc. *André* Chénier, *élégie XL* (*aux deux frères Trudaine*) :

Autant que l'univers a de beautés brillantes,
Autant il a d'objets de mes flammes errantes.
Mes amis ! sais-je voir d'un œil indifférent
Ou l'or des blonds cheveux sur l'albâtre courant,
Ou d'un flanc délicat l'élégante noblesse,
Ou d'un luxe poli la savante richesse ?
.....
Dupe de mes regards, à mes désirs crédule,
Elles trouvent mon cœur toujours prêt à s'ouvrir :
Toujours trahi, toujours je me laisse trahir.

2. *Scis mi hinc, Demophoon, multa venire mala.* La Fontaine, *élégie première*, variis, quas flagravit, enumeratis puellis, ad Amorem deum :

Enfin, tu ne m'as fait adorer tant de belles,
Que pour me tourmenter en diverses façons.

17. *Uni cuique dedit vitium*, etc. Idem La Fontaine, *élégie II* :

Que faire ? mon destin est tel qu'il faut que j'aime.
On m'a pourvu d'un cœur peu content de lui-même,
Inquiet, et fécond en nouvelles amours :
Il aime à s'engager, mais non pas pour toujours.

23. *Percontere licet : sæpe est experta puella*, etc. Parny, lib. II, ad amicam (*Retour à Éléonore*), de prima amoris nocte :

Tu sais alors combien je fus coupable,
Tu sais comment j'étonnai ta pudeur !

Chaulieu, tom. I, pag. 96 (*à M. l'abbé Courtin*), non dissimili jactantia :

Que si n'ai plus ma première vigueur,
Ce qui m'en reste, et beaucoup de courage,
Me peut encor tirer avec honneur
D'un mauvais pas où mon penchant m'engage.

ELEGIA XXIII.

DE CASTIS ET PUBLICIS FEMINIS.

ARGUMENTUM.

Amoris honesti liberatus jugo, se nunc voluptatem suam ex infimis locis commodius trahere. Ecquis labores et acerba omnia, quæ nos amatores circa nuptam manent, constanti animo sustineat pati? Me, inquit, quum libet, una de medio quævis parata capiat : illic quod dabo, erit multum minus; illic de marito timor nullus, di boni!

. . . . . .

Cui fuit indocti fugienda et semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.

1. *Cui fuit*, etc. Sensum non integrum viri docti prioribus his restituunt scribendo : « Cui fuit *indocto* fugienda *hæc* semita vulgi, Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est; » (scilicet, uti volunt : Ego, qui quondam, nondum edoctus satis, vulgares amores fugiebam, jam eosdem studiose et cum voluptate sector.) In quibus Beroaldi et Volsci *hæc semita*, Scaligeri *indocto* mutationem esse Lachmannus observat, sed ne sic quidem satis constare utram viam dicat Propertius *semitam vulgi*, prioremne illam (amorem in feminas vitæ honestioris), an hanc quam sequatur (scortis et vilioribus deditus). Rationem igitur novam ex ipsis iis petitam vir doctus subjiciens consilio suo (jungendis hic superioris elegiæ quatuor extremis distichis) : Quis jam dubitet, inquit, quin ante hunc versum, quem scripti omnes interstitio a prioribus separant, pauci versiculi interierint, quibus se quoque olim in illa factione fuisse significaverat? Revocemus igitur potius scriptorum manu Codicum lectiones : « ..... Cui fuit *indocti* fugienda *et* semita vulgi, Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est. » — His ita constitutis, supple post quinquagesimum antecedentem versum quæ desunt, et insequentia nostra hæc aperto demum sensu posita accipe : « En ego, qui amorem in castis huc usque Propertius posui, quem intrare tam diu puduit indocti vulgi

Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut promissa suæ verba ferat dominæ,
Et quærit toties, Quænam nunc porticus illam
Integit? et, Campo quo movet illa pedes?
Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
Herculis, ut scribat, Muneris ecquid habes?
Cernere uti possis vultum custodis amari,
Captus et immunda sæpe latere casa?
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
Ah pereant, si quos janua clausa juvat!
Contra, rejecto quæ libera vadit amictu,

tritam viam, ipsi mihi nunc de lacu, ex aqua turbida, haurire dulce est. » In Codd. Regg. C, D exstare observabimus lectionem *hæc semita*, sed quibus libris, non nisi fortasse post Volscum exaratis, habendam scimus fidem nullam esse.

3. *Ingenuus quisquam*, etc. ecquem ingenue natum juvet, inquit, ubi fallendus maritus est, servum donis corrumpere? si domina foras iverit, quærere de porticu, de campo quærere? post labores innumeros, audire per literas eam poscentem munera? janua demum si se reseraverit, intueri pro domina janitorem, in ejusque cella refugium aliquo superveniente quærere? — *Alterius servus*, servus quem maritus habet. — *Promissa verba*, literæ, de quibus scribendis inter uxorem perfidam et amatorem convenit. Beroaldus *commissa verba* scriptis negantibus legebat: probatum hoc Burmanno vir doctus (*Kuinoel*) in contextum recepit. Lachmannus tentat: « Ut promissa suæ *vera* ferat dominæ; » ut sibi reddat amatori servulus promissa dominæ vera ac certa; ne scilicet, quum iverit amator ad dominam, fallat puer promissa ea, abesse respondens heram, quæ vere sit domi.

5. *Quænam porticus?* Livia? Pompeia? alia? Amantibus convenire sub variis porticibus fuisse solitum, ex Ovidio discimus, Art. Amat. I, 491 sq. — *Campos* etiam plures urbs habuit: Martium, Viminalem, Agrippæ, etc.

9. *Amari*. Quod vulgo legitur hoc versu, *custodis avari*, primus dedit Beroaldus, altero Codice apud Heinsium, apud nos Regio libro D adstipulantibus. In scriptis cæteris est *amari*, quod magis apte dici cum vultu positum de sententia Lachmanni judicabimus. *Amarus*, invisus, inimicus, ut habes *amaram deam* II, 33, 6, *amaram Junonem* IV, 9, 43. — *Captus*, deprehensus ac fere captus.

11. *Quam care nox semel vertitur*, nox una tibi anno toto concessa venit! *Nox venditur* pro *vertitur* dedit *Kuinoel* frustra cum Hemsterhusio.

13. *Libera*, sui juris, incommodis omnibus soluta conjugii. —

Custodum et nullo sæpta timore, placet;
Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Differet hæc numquam, nec poscet garrula, quod te
Adstrictus ploret sæpe dedisse pater;
Nec dicet, Timeo; propera jam surgere, quæso:
Infelix! hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, et quas mihi misit Orontes,

Rejecto amictu, retrorsum amictu rejecto, aperta sinum. — *Vadit.* De cujus verbi sensu vide ad I, 6, 4. — *Custodum et nullo timore sæpta*, custodibus nec ullis sæpta caventibus. *Timore* agnoscunt scripti manu libri omnes (cf. III, 12, 17), ne te fallat quod partim exhibent impressi: « Custodum et nullo sæpta *tumore*, » id est, stipantium servorum fastu cincta nullo.

15. *Sacra via* (de qua supra jam dictum, eleg. 1, 34), via magno semper concursantium tumultu, ideo sedes apta feminis, quæ se venales offerrent. — *Immundo socco*, lutosis pedibus. Jam vero, Propertii lectis his versibus, quis non oblitus Romæ de Lutetia cogitet? nomen si mutetur viæ, quis non impuram urbis nostræ regionem agnoscat, *la rue Saint-Honoré, le Palais-Royal?*

17. *Differet hæc numquam.* Huschkius, quia præcessit hoc: « *Nec sinit esse moram*, si quis adire velit, » *differre* vult esse non *ducere promissis*, sed *infamare, rumorem contrahere nomini*, ut I, 4, 22. Tu repetitionis parum cura vitium, et priorem sensum verum puta: nam et videtur hic quodammodo alienum quod suadet Huschkius, nec fortasse satis intelligitur *differre* nude positum pro diffamare: certe in eo, quem diximus, ipsius Propertii loco (I, 4, 22) *differre circum puellas* legitur, item *invidia differri* I, 16, extremo carmine; *differre rumoribus* Tacitus, Annal. I, 4. — *Nec poscet garrula*, blande garrula, dulce in aurem sonans. — *Quod te.* Impressi libri *quæ te*; scripti manu quantum constat omnes, *quod*. — *Adstrictus*, parcus, tenax, sicuti nos etiamnum dicimus *un homme serré*. — *Quod ploret pater te dedisse. Plorare* cum infinitivo constructum, ut bis *flere* notavimus I, 7, 18.

19. *Nec dicet, Timeo.... vir mihi rure venit.* Quem ipsum mulieris infidæ pavorem ignorare se canit Horatius, sat. I, 2, 127, obscænis versibus: « Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat, Janua frangatur, latret canis, undique magno Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto Desiliat mulier, miseram se conscia clamet, etc. »

21. *Et quas Euphrates*, etc. Necessariam hic parvam emendationem esse Lachmannus observat: « *Hæ*, quas Euphrates et quas mihi misit Orontes, Me capiant. » Gaudere se velle Propertium in iis, quas omnibus paratas Euphrates Orontesque mittunt. De prostitutis qui-

Me capiant : nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.

bus advenis, Juvenal. III, 62 sqq.

23. *Libertas quoniam*, etc. Sensum Barthius ita constituit : « Viles (aliquis dicet) ancillarum et libertinarum amores mancipiis, non ingenuis adolescentibus, digni sunt ! Respondet Noster : Nullus amans liber est : parum ergo interest, quam servitutem servias, stolatæne mulieris an togatæ. » Auctore me, paulo aliter loqui Propertium opinaberis. Scilicet, positis his quæ præcesserunt, *Nolim furta pudica tori*, pudica furta cur nolit, explicat : Nam in amoribus his quia nulli non fatale fuit amittere libertatem suam, ut liber exstet unus demum, constantiæ ac veris amoribus mitto repudium. — De carmine hoc vide notata II, 6, 26.

IMITATIONES GALLICÆ.

13. *Contra, rejecto quæ libera vadit amictu*, etc. La Fontaine etiam, *Contes*, in carmine cui titulus inscriptus *Joconde*, vulgares feminas cum honestioribus comparans :

.... laissons la qualité :
Sous les cotillons des grisettes
Peut loger autant de beauté
Que sous les jupes des coquettes.
D'ailleurs il n'y faut point faire tant de façon,
Être en continuel soupçon,
Dépendre d'une humeur fière, brusque, ou volage :
Chez les dames de haut parage
Ces choses sont à craindre, et bien d'autres encor.
Une grisette est un trésor ;
Car, sans se donner de la peine,
Et sans qu'aux bals on la promène,
On en vient aisément à bout :
On lui dit ce qu'on veut, bien souvent rien du tout.

19. *Nec dicet, Timeo*, etc. Mulier apud eumdem La Fontaine, *Contes* (*les Rémois*), admissis, quos rideat puniatque, duobus amantibus suis, tum simul audito ad januam sonitu :

Celui-là frappe en maître !
Serait-ce point par malheur mon époux ?
Oui, cachez-vous, dit-elle ; c'est lui-même.
Quelque accident, ou bien quelque soupçon
Le font venir coucher à la maison.

ELEGIA XXIV.

AD AMICUM.

ARGUMENTUM.

Defendit firmatque apud amicum sententiam, quæ præcessit in carmine superiore posita; nimium incommodam gravemque sibi Cynthiam quibus de causis dixerit, enarrat; vulgivagas liberas perseverat honestioribus præferre. — Ad Cynthiam. Perfidiam novam miser amans queritur; quem recentem istum tam superbum rivalem habet, hunc, ipsa teste Cynthia, in certamen sive ingenii sive constantiæ provocat; puellæ suæ insinuat, quam multos jam ante repererit fallaces; servare fidem quid sit, alium præter se quemquam didicisse negat.

Tu loqueris, quum sis jam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?

1. *Tu loqueris*, etc. Octo disticha, quæ pertinere visa nonnullis ad antecedentem elegiam scripti manu Codices recta dispositione separatim edita constituunt. Scilicet, quum ad amicum (eum forte, qui Demophoon elegia 22 dicitur) carmen transmissum fuerat vicesimum tertium, in quo valedicere castis amoribus, ingratis quippe nimium, Propertium vidimus, respondere fingitur his verbis amicus objiciens : « Tu loqueris, quum sis jam noto fabula libro, Et Tua sit toto Cynthia lecta foro? » Tu ita loqueris? tu jacere in pudicas tam acerba? Mirum sane, si tibi dura Cynthia sit, quum per totam urbem innotueris libello, in quo tuam illam dictitatam legimus! Scilicet, ut respiciatur ad ea I, 8, 41 : « Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo; Quis ego fretus amo. *Cynthia* rara *mea est*. Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis : Sive dies seu nox venerit, *illa mea est*. » Primum hujus nostri carminis distichon interprete Lachmanno ita cape. In iis, quæ sequuntur, amicum Propertius refellit, Cynthia quænam vere sit, exponens.

Cui non his verbis adspergat tempora sudor?
[Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor.]
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiæ dicerer esse caput;
Nec sic per totam infamis traducerer urbem,
Urerer et quamvis, nomine verba darem.

3. *Cui non his*, etc. Distichon, auctore Scaligero quod sistunt editores scriptum : « Cui non his verbis adspergat tempora *surdo* Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor? » Sed vide : res ponitur, ut amicum Propertius refutet; porro : *Cui, auditis his*, respondebit, *non adspergantur tempora?* (*rubore* scilicet *aut sudore.*) Equidem hoc si apertius dixisset (Lachmanni verbis uti liceat), melius erat, quam adjecisse *surdo*, id est, *vel surdo*; quod qua vi positum sit quove sententiæ commodo, non possum intelligere. Jam quære, unde ille rubor sudorque oriri potuerit. Aut ira, opinor, quod falso ab amico objurgatus esset; aut pudore et conscientia, si mentitum se sciret, quum Cynthiam *suam* dixerit. Quæ vero hic enumerantur causæ? *Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor.* Recte *pudor* : sed pudorem istum aut falso aut otiose dicit *ingenuum*, sive innatum, sive ingenuæ indicem indolis intelligas. Sed porro *reticendus amor* quomodo nunc ruborem movet Propertio? Num forte vulgaverat amicus hunc amorem, quem reticeri cupiebat? Nihil minus; sed ipse Propertius libro in vulgus dato (vide not. ad Vitam poetæ Chronologicam, supra pag. 18) professus erat. Quid igitur? num hic quidpiam intelligis? Ego certe nihil intelligo. Quare de hoc loco aut prorsus desperandum est, aut aliquid saltem faciendum, quod tuto fieri possit. Nempe ejecta correctione Scaligeri *surdo*, revocemus, quod libri scripti omnes exhibent : « Cui non his verbis adspergat tempora *sudor?* » Ita certe in hoc versu nihil desiderabis : sed de altero plane actum est. Insanum enim hoc : « adspergat tempora *sudor*, *Aut pudor* ingenuus, *aut* reticendus *amor.* » — Ecquis jam dubitet? quis sensum, ubi sensus omnis deficit, laboret quærere? Acciderit et hic quod sæpius : vide modo IV, 5, 62, IV, 9, 42 : pentameter sincerus quum periisset, librarii, ut lacunam implerent, ineptum versum sive suum sive aliunde petitum substituerunt.

5. *Quod si tam facilis nobis spiraret Cynthia.* Verbum *spirare* positum hic, ut apud Tibullum *adflare* est, II, 1, 80 : « at ille Felix, cui placidus leniter *adflat* Amor. » Nec differt quod ipse Noster II, 25, 27 : « Mendaces ludunt *flatus* in amore secundi. » — *Nequitiæ caput*; nequitia, libidine, insignis ex omnibus.

8. *Urerer.* Scripti libri quidam falsi, tum ex iis impressorum pars, *Ureret et quamvis* (me nempe Cynthia). Verum est et unice rectum *Urerer.* — *Nomine verba darem*; fallerem de puellæ nomine, tecti amores mei effugerent oculos.

Quare ne tibi sit mirum me quærere viles :
Parcius infamant : num tibi causa levis ?
Et modo pavonis caudæ flabella superbæ,
Et manibus dura frigus habere pila,
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quæque nitent Sacra vilia dona via.
Ah peream, si me ista movent dispendia ! sed me

10. *Num tibi causa levis?* hoccine parum est, quod infament minus ?

11. *Et modo.* Scribe cum Lachmanno *Hæc modo pavonis*, etc. *Hæc*, Cynthia ; quod nisi additur, manifeste sententia laborat. Pari modo corruptum versum vidimus, eleg. 23, 21. — *Superbæ.* Broukhusius *pavonis caudæ superbi* voluit, translato ad ipsam avem epitheto, quod certissime Propertius, ut indicabat res, de plumis ejus posuit. Recte viri docti Codicum omnium lectionem tuentur, *pavonis caudæ superbæ.* Flabellorum id genus Claudianus meminit, in Eutrop. I, 108 : « Et quum se rapido fessam projecerat æstu, Patricius roseis pavonum ventilat alis. » Ancillas exstitisse flabelliferas, ab officio nomen habentes, Plautus docet Trinum. II, 1, 22. — *Et frigus dura pila habere manibus.* Pilas (crystallinas intelligamus licet) feminis in usu fuisse patet, quibus æstivo tempore manus refrigerarent, quomodo propter odorem terere inter digitos amaverunt succina. Martial. epigr. XI, 8, 6 : « Lassa quod externi spirant opobalsama drauci, ... *Succina virginea* quod *regelata manu*, etc. »

13. *Iratum.* Iræ notionem omnem quum aperte sensus ab his removeat, Lachmannum sequi nullus dubito corrigentem : « Et cupit *ingratum* talos me poscere eburnos. » *Ingratus* præbebat munera Propertius, cui, quidquid faceret daretve, gratia tamen referretur nulla. Sic passivo sensu Catullus vocabulum usurpat Carm. LXXIII : « Desine de quoquam quid quam bene velle mereri.... Omnia sunt *ingrata* ; nihil fecisse benigne est. » Virgilius, Æn. VII, 425 : « I nunc, *ingratis* offer te, irrise, periclis ; » (quibus quum te objeceris, gratiam ob id feres nullam.) Statius, Thebaid. I, 699 : « Seu Trojam Tymbræus habes, ubi fama volentem *Ingratis* Phrygios humeris subiisse molares ; » (ubi pretium statutum a Laomedonte non solutum significat.) — *Cupit me poscere.* De verbo hic *cupere* vide ad eleg. 15, 41. — *Vilia dona*, leviora id genus alia viæ Sacræ munuscula. In eadem via poma quoque et fruges venibant. Ovidius, Art. Amat. II, 265, rusticis donis suadens ut amator blandiatur dominæ : Quæ talia ferri ad eam jusseris, inquit, « Rure suburbano poteris tibi dicere missa, Illa vel in Sacra sint licet emta via. »

15. *Sed me.* Quod exhibent alii, *verùm* pro *sed me*, Scaligeri meram interpolationem judicemus li-

Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.

* * *

Hoc erat in primis, quod me gaudere jubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas:
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte;
In primis una discat amare domo;
Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat;
Tetra venena libens et naufragus ebibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser;
Quos utinam in nobis, vita, experiare labores!
Jam tibi de timidis iste protervus erit,

cet. Impressi libri ante eum plerique *sed me*, Codicibus adstipulantibus nonnullis; scripti cæteri *si me*. Placere, inquit Lachmannus, « potest *verùm*, quia præcessit vox *me*; at regulæ criticæ *sed me* (*esse jocum*) scribendum vincunt. » — In minore versu melius erit si cum eodem Lachmanno legimus: « sed me Fallaci dominæ *tam* pudet esse jocum. »

17. *Hoc erat*, etc. Separemus et hic ab iis quæ præcesserunt nova hæc, in quibus mutata forma carminis Cynthiam ipsam Propertius infidam adloquitur. Unam elegiam scripti libri faciunt, ubi distinctas partes duas recto judicio agnoscunt critici.

23. *Contendat mecum ingenio*, etc. *Contendat*, inquit, rivalis iste meus, *protervus iste*, nominativus positus versu 30. — *Una amare domo*. Vide ad I, 8, 22.

25. *Lernæas hydras*. Indefinito sensu loquens Lernæa monstra dicit; pluralem hic numerum de capitibus hydræ renascentibus nolim accipere. *Ad hydras*, adversus, ut III, 4, 1: « Arma deus Cæsar dites meditatur *ad Indos*. »

27. *Ebibat*. Res nimia profecto, si quis ebibere maris undas fingitur. Lachmannus bene corrigit: « Tetra venena libens et naufragus *imbibat* undas. »

29. *Quos utinam*, etc. Interjectus versus sententiæ. Signa supple parentheseos. — *In nobis*, in me ipso.

30. *Jam*, hoc est, Ubi talia pro te tentanda ferendave jusseris; *de timidis iste tibi protervus erit*, timidum pavidumque senties hominem

Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem :
Discidium vobis proximus annus erit.
At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones et dices, Ossa, Properti,
Hæc tua sunt : heu heu, tu mihi certus eras !
Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, et quamvis non ita dives eras !
Nil ego non patiar : numquam me injuria mutat;
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura :
Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus;
Jam tibi Iasonia nota est Medea carina,

factum. Cæterum Burmanni incogitantia fuit, quæ decepit Lachmannum, *superbus* hoc versu non *protervus* scribere.

31. *Qui nunc se*, etc. quem videmus apud te jactantia sua venisse in tam magnum honorem. — *Discidium*. Scriptura, quam recte Livineius et Lachmannus Codice Neapolit. scriptisque duobus aliis addicentibus probarunt, pro vulgari *Dissidium*. Non dissensum modo et inimicitias ominatur istis poeta, sed divortium ac discessionem. Contraria res erat libro I, 11, 28.

34. *Niger ille dies*. Sic *atram diem* de morte Virgilius habet Æn. VI, 429, et *nigram horam* Tibullus III, 5, 5.

38. *Et quamvis non ita dives eras*. Confer IV, 1, 128.

39. *Nil ego* Propertius ab te *non patiar*.

41. *Ista figura*, forma ista tua. Familiare vocabulum hoc poetæ nostro.

44. *Phyllida Demophoon*. Demophoon, Thesei ac Phædræ filius, post bellum Trojanum quum repeteret Athenas patriam, tempestate in Thraciam jactus exceptusque hospitio, Lycurgi filiam regis amavit, amatus ipse, Phyllida. Refectis navibus, abire parat juvenis promittitque reditum, haud servaturus, brevi factus immemor, fidem suam. Conf. Ovid. Heroidd. II.

45. *Jam tibi*, etc. Si Lachmannum audimus, « Singula rimanti et inter sese conferenti patebit, nullum in hoc poeta versum ineptiorem legi. » Hoc posito, neque aliter explicata re, vir doctus corrigit : « Jam tibi Iasonia *votum* est, Medea, carina, Et modo servato sola relicta viro. » Medeam Propertius adloquitur : « Est tibi votum, in-

Et modo servato sola relicta viro.
Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus. Sed tu potius, precor, in me
Demissis plangas pectora nuda comis.

quit, habes quod optabas in navi Jasonis. » Scilicet apud Ovidium, Metam. VII, 66, quæ ipsa Medea: « Nempe tenens quod amo, gremioque in Iasonis hærens, Per freta longa trahar. » *Votum* autem pro re votis expetita dici solemne est. — Erigi fateor sententiam, si cum Lachmanno scribimus; sed ubi non satis clare, ut nunc se dat judicium, tam necessariam esse mutationem agnosco, lectionem Codicum qualemqualem tueor. Memoratis Ariadnæ Phyllidisque infortuniis: Quin et satis notam, ait, Jasonis carina Medeam facit, relictam miseram, quæ vel modo, quum de vellere pugnaretur, ab monstris custodibus servaverit amantem suum.

47. *Dura est, quæ... Et si qua.* Vide not. ad I, 12, 17, II, 25, 14.

49. *Conferre.* Absolute positum capio: « Noli conferre, dare noli fortunatis. » Quibus optime subjungit hoc: « Vix unus ex istis erit, qui te flere dignabitur mortuam. » Contra nec sensui consulimus, et vim certe facimus grammaticæ regulis, si *conferre* accipimus dictum pro *me* cum istis *comparare.*

51. *Sed tu potius*, etc. Vulgo: « Sed tu potius precor *ut* me Demissis plangas *pectore* nuda comis. » In quibus *ut me* scripti quidem libri agnoscunt, iidem vero *pectora nuda* (nuda pectus) exhibent, pro quo reposuit Scaliger, ut ambiguitas vitetur, *pectore.* Sed locutio ipsa hæc *nuda pectore* mirum erit ni rectam linguam vitiet, quum soleat *nudus* alio sensu poni constructus cum sexto casu, ut *nuda* sunt *cacumina foliis* in Ovidii Nuce, vs. 101. Præstiterit igitur cum Lachmanno *pectora nuda* servare hoc versu, literis *ut* in hexametro substituta particula *in*: « Sed tu potius, precor, *in* me Demissis plangas *pectora nuda* comis. » Cynthiam fore sibi superstitem sperat, quæ plangat in amantem demissis comis nuda pectora. *In me*, propter me, ut eleg. 20, 11. *Pectora nuda plangere* habet etiam Ovidius, Metam. II, 584.

IMITATIONES GALLICÆ.

17. *Hoc erat in primis*, etc. PARNY, lib. II, *Retour à Éléonore:*

O toi qui fus ma maîtresse fidèle,
Tu ne l'es plus! Voilà donc ces amours

Que ta promesse éternisait d'avance!
Ils sont passés : déjà ton inconstance
En tristes nuits a changé mes beaux jours.

21. *Me modo laudabas, et carmina nostra legebas*, etc. *Madame* Dufrénoy, lib. IV, *Élégies*, ad lyram suam :

Le tems n'est plus où tes accords touchans
Savaient et peindre et bannir mes alarmes :
L'ingrat, hélas ! dont j'essuyai les larmes,
Elmandre alors, Elmandre aimait tes chants.

Le Brun, *Élégies*, IV, 8, puellæ suæ fugitivum amorem revocans :

Tant de billets si doux que ma flamme a tracés,
Sont-ils pour des regards ennemis ou glacés ?
Est-ce pour les trahir que votre main furtive
Accueillit les secrets de ma Muse craintive ?
Loin de fermer l'oreille à mes tendres sermens,
Vous invitiez mon ame à peindre ses tourmens.

35. *Tu mea compones*, etc. Parny, lib. II, *Élégie*, cum simili tristitiæ indole :

Peut-être alors (quand je ne serai plus) tu gémiras aussi,
Et tes regards se tourneront encore
Sur ma demeure, ingrate Éléonore,
Premier objet que mon cœur a choisi.
Trop tard, hélas ! tu répandras des larmes ;
Oui, tes beaux yeux se rempliront de pleurs :
Je te connais, et, malgré tes rigueurs,
Dans mon amour tu trouves quelques charmes.

40. *Ferre ego formosam nullum onus esse puto.* La Fontaine, *élégie première :*

Quant aux tourmens soufferts en servant quelque ingrate,
C'est où j'excelle, Amour ; tu sais si je me flatte.

41. *Credo ego non paucos*, etc. *André* Chénier, *élégie XXXVIII :*

On dit (dois-je le croire ?)
Qu'aisément de vos traits on bannit la mémoire ;
Que jusqu'ici vos bras inconstans et légers
Ont reçu mille amans comme moi passagers, etc.

51. *Sed tu potius, precor*, etc. Parny, in eadem elegia :

Puissent les pleurs que j'ai versés pour elle
M'être rendus !... Mais non, dieu des amours,
Je lui pardonne : ajoutes à ses jours
Les jours heureux que m'ôta l'infidèle.

ELEGIA XXV.

DE CYNTHIA PERFIDA.

ARGUMENTUM.

Proditus solusque gemens relictus, in celebrandis ingratæ suæ laudibus habere se solatium suum; mala enim sibi qualiacumque serventur, nec posse nec velle nisi patientiam et fidem obponere injuriis. Rivalem fortunatum nunc suum et fiducia plenum monet, ne tam cito superbiat: instabilem et fugitivum omnem amorem esse; nimiis verbis præsertim nocuisse sibi multos. O vos amici, inquit, quantum me vestri miseret, quorum pectori non ignis unus sufficit! Plurimus amor, mala plurima et lacrymis superadditæ lacrymæ.

UNICA nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea sæpe veni

2. **Excludit quoniam...., sæpe veni.** Carminis primum distichon ab editoribus ita constitutum legimus: « Unica nata meo pulcherrima cura dolori, *Excludi* quoniam sors mea, sæpe *venis*. » Sensum Barthius et *Kuinoel* exponunt: « Tu, o Cynthia, es quasi nata ad hoc, ut a me ameris unice, quod quidem ego pulcherrimum judico, licet idem amor quoque me miserum reddat, et, quoniam sors mea est ut excludar sæpius, dolores mihi concitet gravissimos. *Cura* de amore et amata puella; *meo dolori*, mihi dolenti, misero mihi; *venis* pro *es*. » Piget exscribere tam inepta; sed nec alia persæpe ars est, quam Propertii carminibus interpretes adplicant. Videamus porro quid Lachmannus. *Curam*, inquit, in iis Burmannus (ad I, 3, 46) intelligit medicinam. Demus hoc: demus etiam *venis* pro *es* positum; quam autem sententiam lucrabimur? « Tu, quoniam sæpe excludor, unica dolori meo medicina nata es. » Quid hoc? Ipsane Cynthia, a qua excluditur, dolorem sanat? Nempe, si rejectum postea denuo recipit. Id vero non facit. Jam vero quæ sequuntur, « Ista

Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia; pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandævique negant ducere aratra boves;
Putris et in vacua requiescit navis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat:
At me ab amore tuo diducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero,
Nonne fuit satius duro servire tyranno,

meis fiet notissima forma libellis, » quid faciunt ad primum distichon? Nihil profecto. Quare aliud potius e Codicum scriptura eliciendum est, qui habent omnes *Excludit*, et in fine versus *veni*, quod tamen spretum amatorem non decet. Repono : « Unica nata meo pulcherrima cura dolori (*Excludi* quoniam *fors* mea sæpe *vehit*), Ista meis fiet notissima forma libellis, Calve, tua venia; pace, Catulle, tua. » Cynthiæ formam, unicam, quum toties excludatur, doloris sui medicinam suavissimam, se carminibus suis usque celebraturum promittit. Fortunam vel *fortem* illud infortunium *vehere* dicit, h. e. dare vel adferre sibi. Ita Lucretius III, 1098 : « Posteraque in dubio est fortunam quam *vehat* ætas. » Horatius, Carm. III, 29, 48 : « Quod fugiens semel hora *vexit*. » — Aperta sententia quidem et recta hic omnia, si de Lachmanni conjectura scribimus : reponere tamen apud auctorem ipsum non ausim quod tam liberum est. Judice me, lectio tenebitur corrupta, quam exhibent Codices; criticorum tentaminibus quibusvis haberi fidem hic nullam dicemus posse. — *Tua venia, pace tua.* Excusationis sunt perquam notæ formulæ. — *Calvus*, Licinia gente ortus, Catulli coævus et amicus, duplici oratoris ac poetæ fama insignis, Quintiliam puellam celebraverat amatoriis versibus. Vide Catull. Carm. XCVI; Propert. II, 34, 89 sq.

5. *Secubat*, misso contubernio solus cubat.

7. *Putris navis*, usu longo peresa. — *Parma vetus in templo vacat.* Arma, ut scimus, veteres defuncti bello consecrabant diis. Vexilla nos in templis suspendimus, cæsorum hostium detracta spolia, abhorrere dictitantes Christum deum bello et sanguine.

9. *Diducet.* Ita scriptum in Codicibus paucis. Lectionem esse veram hanc, non *deducet*, monuimus ad eleg. 6, 41. — *Sive.* Vide not. ad eleg. 1, 51. — Imitatur Nostrum Ovidius, sensu diverso loquens, Amorr. II, 9, 19 : « Fessus in acceptos miles deducitur agros; Mittitur in saltus carcere liber equus; Longaque subductam celant navalia pinum; Tutaque deposito poscitur ense rudis : Me quoque, qui toties merui sub amore puellæ, Defunctum placide vivere tempus erat. »

11. *Nonne fuit satius* (quam ser-

Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo,
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu,
Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obsistam. Teritur robigine mucro
Ferreus, et parvo sæpe liquore silex:
At nullo dominæ teritur sub limine amor, qui
Restat, et immerita sustinet aure minas.
Ultro contemtus rogat, et peccasse fatetur
Læsus, et invitis ipse redit pedibus.

vire tibi) *duro tyranno servire*, etc. — *Perillus*, tauri ænei exsecrandus inventor, in quo torrebat Phalaris igne subposito miseros, quorum voces imitarentur ipsius bovis mugientis sonum.

13. *Obdurescere*, in lapidem rigescere. — *Etiam si pateremur Caucasias aves*; id est: Aves etiam Caucasias pati. (Nonne fuit satius Medusæ vultu obdurescere, et in sinu vultures ferre Promethei?) Variat particula *si* orationem, ut in elegia, quæ præcessit, 24, 47: « Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem, Et se plus uni *si* qua parare potest; » (Duram esse eam, quæ multis amorem simulat, et se parat plus uni.) Neque aliter libro I, 12, 15: « Felix, qui potuit præsenti flere puellæ..... Aut *si* despectus potuit mutare calores. » Vide III, 13, 44.

15. *Sed tamen obsistam*. Commentum vanum Heinsii, Broukhusio receptum et Burmanno: « Sed tamen *et scabra* teritur robigine mucro. » Recte habent scripti omnes: « Sed tamen *obsistam*. Teritur robigine mucro Ferreus, etc. » Dura et ingrata Cynthia sit, licet; perdurabo nihilominus et obsistam. Ferrum edit robigo; sensim cavat unda silices: at injuria dominæ nulla firmus amor minuitur. — *Teritur robigine*, etc. Ovidius, Art. Amat. I, 473: « Ferreus adsiduo consumitur annulus usu; Interit adsidua vomer aduncus humo. Quid magis est saxo durum? quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua. » Conf. Lucret. I, 312 sqq. et Imitat. Gall. ad Propertii I, 1, 16.

17. *At nullo dominæ*, etc. Sed amor, inquit, si decreverit omnia pati fortiter, in ipso puellæ limine, quo jacet exclusus, nullo modo teritur. *Sub limine* igitur, in limine, etsi præpositionis *sub* hunc usum Lachmannus non admittit, Davisii laudans correctionem horridam, quam decepisse alia etiam bona ingenia miror: « At nullo dominæ teritur *molimine* amor, qui Restat. » Vide not. ad III, 9, 36. — De verbo hoc *restare* vide eleg. 21, 17.

19. *Ultro contemtus rogat*, ultro descendit ad preces hic amor, vel quum sit despectus. — *Et peccasse fatetur Læsus*; atque ubi injuriam tulit, ipsum se dicit noxium. — *Et invitis ipse redit* (ad dominam) *pedibus*. Tibullus, II, 6, 13: « Juravi quoties, rediturum ad limina

Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Quum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi:
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento:

numquam! Quum bene juravi, pes tamen ipse redit. »

21. *Tu quoque*, etc. Rivalem adloquitur gratum nunc Cynthiæ. — *Qui pleno amore fastus adsumis*, qui tam secundo hoc amore tuo superbis confidens. — *Nulla diu femina pondus habet.* Conf. Imitationes Gall. ad II, 9, 33.

23. *An quisquam*, etc. In media procella versari, inquit, et jam bonis diis vota persolvere! absolvisse nondum in circo spatia, et jam poscere præmium! — *Quum sæpe in portu*, etc. Conf. Imitat. Gall. ad versum 27. — *Septima rota.* Septena primum decreta spatia erant, in ludis publicis absolvenda curribus, quæ postea Domitianus, auctore Suetonio, Domit. cap. 4, ad quina corripuit. — *Prius quam ante*, ut *prius ante quam* Virgilius, Æn. IV, 24, 27. — *Terere metam*, radere, stringere.

27. *Mendaces*, etc. Mutavit Heinsius, auctore quo dederunt interpretes: « Mendaces ludunt flatus in amore *secundo*. » Sed recte *flatus secundi* Codices, cum iisque Lachmannus. Spirant, inquit Noster, in amore flatus, qui parum certi nos fallunt, quum propitii videntur. — *Magna*, eo major, *ruina venit.*

29. *Illa*, Cynthia; ut sæpe. — *Cohibe in tacito sinu gaudia.* Sic Tibullus, IV, 13, 8 (si Tibullum vere quartus hic liber auctorem habeat): « Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu; » privatim secum gaudeat.

31. *Maxima verba*, quæ jacit nimium securus amator glorians.

33. *Semel ire memento.* Ineptum profecto hoc, quo semel, nec amplius, ire ad amicam Propertius vult eum, qui fuerit vocatus sæpius. Immo, *ut ne prorsus eat, si fieri possit*, suadebat sensus. Vere, opinor, Lachmannus, quamquam satis libere: « Quamvis te persæpe vocet, semel ire *timeto*: Invidiam quod habet, non solet esse diu. » *Semel*, vel semel, ut apud Tibull.

Invidiam quod habet, non solet esse diu.
At si sæcla forent antiqua his grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu : tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt sæcula mores :
Unus quisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam ;
Vidistis fusco ; ducit uterque color :
Vidistis quamdam Argiva prodire figura ;
Vidistis nostras ; utraque forma rapit :
Illaque plebeio vel sit sandicis amictu ;
Hæc atque illa mali vulneris una via est :
Quum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuivis femina multa mala.

II, 6, 42, « Non ego sum tanti, ploret ut illa *semel.* » — *Invidiam quod habet*, quæ res natura sua movet invidiam, *non solet esse diu*, perstare et manere diu non solet.

35. *At si sæcla*, etc. Scripti manu Codices : « At si sæcla forent *antiquis* grata puellis, Essem ego, quod nunc tu. » Pro quibus corruptis dedit, quam tenebimus donec fieri melius posse demonstrabitur, emendationem Dousa suam hanc : « At si sæcla forent *antiqua his* grata puellis » (æmulari si foret gratum puellis hisce nostris mores prisci temporis), « Essem ego, quod nunc tu. » — *Essem, quod tu.* Positum pronomen *quod*, ut II, 9, 1, II, 17, 10. Similis etiam forma eleg. 20, 26, ubi *Quidquid eram.*

39. *Qui officia in multos amores revocatis*, qui puella ab alia ad aliam revocatis obsequia vestra. — *Sic.* Vide not. ad I, 22, 6.

41. *Vidistis*, etc. Candidam, inquit, videritis an fuscam ; Argivam aut Romanam ; de vulgo aliquam aut nobilem : amabitis hanc illam, et a singulis pariter inferetur vobis malum ; una tamen quum satis nos in somno cruciet, una quum sit cuilibet pro miseriis multis femina. — *Plenus candor*, candor quam purissimus. — *Ducit*, capit, trahit vos, *uterque color.* — *Quamdam Argiva figura*, facie ; Græcam aliquam. — *Plebeio vel sandicis amictu.* Pulla veste plebs ibat : de sandice autem vel purpura satis constat. — *Ocellis tuis.* Pronomen *tu* præcedente *vos* usurpat, ut mox eleg. 27, 7—10. In mutandis personis frequentissimum Propertium notavimus ad eleg. 9, 15.

IMITATIONES GALLICÆ.

17. *At nullo dominæ teritur*, etc. *André* Chénier, *élégie XXII*, qui pro sententia factum ipsum posuit :

Riez, amis, nommez ma fureur insensée ;
Vous n'aimez pas, et j'aime, et je brûle ; et je pars
Me coucher sur sa porte, implorer ses regards.
Elle entendra mes pleurs, elle verra mes larmes ;
Et dans ses yeux divins, pleins de grace, de charmes,
Le sourire ou la haine, arbitres de mon sort,
Vont ou me pardonner ou prononcer ma mort.

19. *Ultro contemtus rogat*, etc. Idem Chénier (in fragmentis ad elegiarum calcem) post injuriam acceptam semet ipsum incusat reum :

Et pour la paix il faut, loin d'avoir en raison,
Confus et repentant demander mon pardon.

21. *Tu quoque, qui pleno fastus*, etc. Le Brun, *Odes*, I, 22 :

Et toi, rival heureux, dont mes pleurs font la joie,
Ne crois pas sans danger recueillir mes débris ;
Orgueilleux de ta douce proie,
Ne crois pas échapper aux flots qui m'ont surpris.
.....
Ta voile s'abandonne au souffle du Zéphire ;
Nul Aquilon jaloux n'ose troubler les airs ;
Tu vois l'Olympe te sourire ;
Tu cours en triomphant les amoureuses mers :

Frémis, tout va changer : l'air siffle, le flot gronde, etc.

27. *Mendaces ludunt flatus in amore secundi.* Malherbe, lib. II, (*Stances composées en Bourgogne*, 1609), figura non absimili :

Amour a cela de Neptune,
Que toujours à quelque infortune
Il se faut tenir préparé :
Ses infidèles flots ne sont point sans orages ;
Aux jours les plus sereins on y fait des naufrages,
Et même dans le port on est mal assuré.

Eodem libro II, sub anno 1596 :

Et puis qui ne sait point que la mer amoureuse
En sa bonace même est souvent dangereuse,
Et qu'on y voit toujours quelques nouveaux rochers
Inconnus aux nochers ?

ELEGIA XXVI.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

In somno vidit naufragam Cynthiam, mediis undis luctantem et prope jam raptam submersam gurgite. O miseri amantis agitatio et pavor! o preces et concepta diis vota, quæ tam carum caput redimerent morte! Si te talem, inquit, Neptunus vidisset, haberes nunc, o mea lux, inter Nereides locum. Sed Arionis delphino vectam evasisse tandem illam servatam fluctibus. — Recuperata Cynthiæ gratia, fortunam suam celebrat tenerrimis plenus amoris sensibus. Te, o puella mea, ad extremum orbem sequi, si voles ire, dulcissima mea voluptas erit; tecum libens per maria ferar; te socia, nec ventos, nec procellam, nec Jovis ignes horreo; si moriendum sit, moriemur saltem in amplexu conjuncti. Sed meliorem speremus fortunam licebit : sensit olim, quid sit amare, Neptunus; nos amantes favor et tutela Neptuni manet.

VIDI te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quæcumque in me fueras mentita fateri,
Nec jam humore graves tollere posse comas;

2. *Ducere*, agitare, jactare, *lassas manus*. Verbum scimus esse *ducere* ex iis, quorum quam maxime significatio variat. — *Ionio rore*, unda Ionia, ut *ros maris*, maris unda, Ovidius Art. Amat. III, 690, et Metam. XII, 410. In primo versu Burmannus ex libris non ita bonis : *Vidi ego te.*

3. *Fateri*. Mortis horam præclare dicit ROUSSEAU « ce moment où le « cœur ne déguise plus rien. » (*Nouvelle Héloïse, sixième part. lettre* 12.)

Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens navita fleret aqua!
Quæ tum ego Neptuno, quæ tum cum Castore fratri,
Quæque tibi excepi tum, dea Leucothee!
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen jam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,

5. *Qualem*, etc. Inepto sensu Barthius et *Kuinoel* exponunt: « Talem te vidi, qualem ovis aurea vidit Hellen. » Immo: Talem te vidi, inquit, qualis fuit Helle jactata fluctibus, quam tergore vexerat ovis aurea. — *Helle*, Thebana, Athamantis Nephelesque filia, quum cum Phrixo fratre, fugientes ambos novercæ odium, per aera tulit aries aureus impositos dorso. Cursus Helle periculo territa, præceps in mare decidit, cui factum ab ea nomen *Hellespontus* (respicit Propertius versu 7: *Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet!*); Phrixus quum oras tetigisset Colchidis, ariete cæso, vellus ejus aureum Marti posuit. — *Purpurei fluctus*, ut *mare purpureum* (fusci coloris mare) Virgilius, Georg. IV, 373.

8. *Labens*. De quo verbo dictum I, 20, 19.

10. *Quæque tibi excepi*. Heinsius *Quæ tibi suscepi* suadebat, *vota* subintelligens, quod ipsum additum postulabat sensus, vel melius *Quæque tibi exegi*. Sed ingeniose Codicum scriptam lectionem *excepi* Lachmannus tuetur, auctore quo Neptunum cæterosque deos rectum erit, opinor, sub conditione vocatos interpretari, quod quid sit, exemplo posito demonstrabimus: Si vitam innocuam egi, si colui deos, si feci hæc et illa, parcite vos Cynthiæ: sin minus (*excipere* hoc est), irrita mea vota cadant, et sumite victimam. — *Leucothee*, Ino, cui pater Cadmus et maritus Athamas, post mortem dea facta maris, quam Græci Leucotheen, Latini Matutam dicunt. Vide eleg. 28, 20; Ovid. Fast. VI, 541 sqq.

11. *Primas palmas*, extremos digitos, digitorum partem summam. Vide ad I, 20, 29. — *Sæpe meum nomen*, etc. Ovidius, Metam. XI, 561, de Ceyce naufrago: « socerumque patremque Invocat heu! frustra: sed plurima nantis in ore Halcyone conjux; illam meminitque refertque. » — *Vocas*. Recte quidem *vocas* præsenti tempore, ubi præteritum *vocabas* grammatica postulat. Sed in auctore, qui tam multa ausus est, quidni pro *vocabas* acciperemus positum, cujus contractionis habuimus exempla II, 7, 2? quidni, quod negat Lachmannus, *celebrare* pro *celebravere* Propertius dixerit libro IV,

Esses Ionii facta puella maris,
Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent,
Candida Nesæe, cærula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quum mihi discussit talia visa metus.

* * *

Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non, si Cambysæ redeant et flumina Crœsi,
Dicat, De nostro surge, poeta, toro.
Nam mea quum recitat, dicit se odisse beatos :

1, 19? Criticorum acumini resolvendum hoc subjicimus dubitantes.

15. *Ob invidiam.* Viris doctis placuit *præ invidia* : sed cum Lachmanno teneamus licet id, quod scripti plerique, ex iis Groning. et Neapolit., agnoscunt, *ob invidiam*. Mirum, si quis talem formam non rectam judicet. — *Nesæe* et *Cymothoe*, Nympharum nomina, quarum meminit Virgilius, Georg. IV, 338, Æneid. I, 144.

17. *Subsidio delphinum.* Scripti duo tresve libri *subsidium delphinum*, quod ne reciperetur, indicio vel sonus erat. Cæteri meliores *subsidio* : verum cogitemus hoc. — *Qui, puto, vexerat Arioniam lyram.* Arionis mentio hic venusta, ut observat *Kuinoel* : peritam enim citharæ meminimus Cynthiam ex II, 1, 9.

21. *Nunc admirentur*, etc. Neque hic fidem habendam scriptis Codicibus patet, quos si sequimur, cohærere statuemus nova hæc cum superioribus Elegias esse duas sensus diversus indicat, nec fefellit reis criticos. — *Admirentur*, cum invidia admirentur, invideant mihi. Positum *admirari*, ut jam ante, eleg. 17, 11. — *Potens*, in amore potens, ut loquitur Catull. Carm. C, 8 : « Sis felix, Cœli, sis *in amore potens.* »

23. *Si Cambysæ et Crœsi flumina redeant. Redeant*, in reditu sint, ut recte accipit Marklandus. Nihil in hoc mirum, præter nominativum additum verbo, quod impersonale (ut cum grammaticis loquar) apud auctores vulgo legitur. Sed constructione itidem nova *defluere* activo sensu positum vidimus jam eleg. 20, 8 : « Nec tantum Niobe... Sollicito *lacrymas defluit* a Sipylo. » Frui, inquit Noster, detur Cynthiæ opibus, quas peperit Cambysæ Crœsoque Pactolus : ut ejiciat me lecto suo, parum hoc proderit. Simile illud est, quod I, 8, 33—36, legimus.

25. *Mea.* Retrahendum ex altero versu *carmina.* — *Beatos.* Dictum ut eleg. 24, 49.

Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui dare multa potest, multa et amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, et fidos una aget aura duos.
Unum litus erit sopitis, unaque tecto
Arbor, et ex una sæpe bibemus aqua;
Et tabula una duos poterit componere amantes;
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar: sævus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat;
Quicumque et venti miserum vexastis Ulixen,
Et Danaum Euboico litore mille rates;
Et qui movistis duo litora, quum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis:
Incendat navem Juppiter ipse licet.
Certe isdem nudi pariter jactabimur oris:
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.

28. *Qui dare multa* beatus *potest*, is mirum erit ni vagus et inconstans permultas amet; (quippe cui aditum apud omnes dona sua faciant.) — *Amare multa*, neutro genere, ut *quærere nova* I, 13, 12: « Nec *nova quærendo* semper amicus eris. »

33. *Tabula una*, in navi tabula una.

37. *Quicumque et venti Ulixen vexastis.* A tertia persona transit auctor ad secundam, de qua forma vide notata II, 9, 15. — *Et Danaum rates Euboico litore.* Vide III, 7, 39.

39. *Et qui movistis duo litora*, etc. Cyaneas insulas dicit, nomine et Symplegades, ad oram sitas Bospori Thracii, quas, quia parvo maris intervallo separatæ unum litus esse e longinquo viderentur, poetarum lusus fuit fluctuantes concurrisse alteram contra alteram ventis impellentibus. Stare immotas eas Juno jussit cum Pallade, ne frangeretur, dum transiret, navis Argonautarum, quibus data columba, quæ regeret antevolans cursum. Vide Apollon. Rhod. II, 328; 551 sqq. — *Rudis* erat *Argo*, quæ nesciret mare.

41. *Non umquam.* Scriptos Codices sequimur. Broukhusium auctorem habet lectio *non usquam*.

44. *Me licet unda*, etc. sepul-

Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices quum ferret in Argis,
Compressa, et Lerne pulsa tridente palus.
Jam deus amplexu votum persolvit, et illi
Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Borean rapta Orithyia negavit.
Hic deus et terras et maria alta domat.

tura caream licet jactatus fluctibus, si te modo sinu suo terra acceperit. Carere tumulo, sors quam horrenda reputata veteribus.

47. *Amymone*, Danai regis filia, quæ quum Argivi siccitate premerentur, et ipsa quæsitum ivisset aquam, a Neptuno deprehensa compressaque, monumentum habuit dedecoris sui, ut tridentis ictu fontem eliceret deus, Lerneum dictum et Amymonium. Vide Hygini fab. 169. — *Latices quum ferret.* Accipe: Quum iret, latura latices. — *Lerne palus.* Pro quo Burmannus *Lernæ*. In Græcis nominibus his non decere terminationem Latinam Propertium, diximus ad I, 4, 6. Aut *Lernes* igitur cum Lachmanno scribendum, aut *Lerne* cum Broukhusio casu nominativo. — *Palus* pro fonte, ut II, 13, 55. — *Pulsa.* Vide notata III, 1, 25.

49. *Amplexu.* Tertius casus est; qualia plura collegimus I, 11, 12. Jam persolvit deus, inquit, votum amplexui (Jam' dedit Neptunus quod voverat, si virginem amplecteretur); *et illi profudit urna divinas aquas*, et jam, quas haberet Amymone, fons profudit divinas aquas. Priora autem verba, *Jam deus votum persolvit*, si, qualiter exposuimus, necessario debent accipi (nec posse alio sensu, lingua facit fidem), patet scripturam esse falsam hujus loci, quam agnoscunt libri tum exarati manu tum editi: « Jam deus amplexu votum persolvit: *at* illi Aurea divinas urna profudit aquas. » Turbari sententiam vides posita particula *at*: neque enim ab alia re transitur hic ad aliam; sed ex ipso eo, quod *Aurea divinas urna profudit aquas*, ex hoc ipso, inquam, Neptunus *votum amplexui persolvit.* Recte igitur Lachmannus, una mutata litera: « Jam deus amplexu votum persolvit, *et* illi Aurea divinas urna profudit aquas. » — *Urnam* intellige, quam fontibus ac fluviis poetæ tribuunt, hoc est, fontem ipsum. — *Aurea.* Vide notata II, 31, 1. — *Divinas*, dei donum, *aquas.*

51. *Crudelem*, etc. Amori Neptunum mollem Amymone testificata est; mollem et Borean, a quo rapta est, Orithyia. Tenendam fuisse vides cum scriptis Codicibus præteriti formam *negavit*, pro quo *negabit* viri docti correxere, futuris sequentibus *mitescet* et *erunt*, sed quæ non ad eamdem rem pertinere palam est. De *Orithyia* vide ad I, 20, 31. — *Hic deus*, Amor. Inde-

Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec usquam
Alternante vorans vasta Charybdis aqua,
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris; 55
Purus et Orion, purus et Hædus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

finita eadem forma *puerum istum* dici vidimus I, 6, 23.

53. *Nec usquam*, etc. Probarunt auctore Passeratio viri docti lectionem, ex altero Codice postea enotatam hanc : « Crede mihi, nobis mitèscet Scylla, nec *umquam Alternas revomet* vasta Charybdis *aquas.* » In quibus primum et apertum vitium illud est, quod nihil ad sensum facit, si revomat nec ne Charybdis aquas suas. Sed nec *revomere alternas aquas* satis apte dictum : vomit aquas vorago resorbetque, non alternas eas revomit. Mutetur cum Lachmanno vocabulum *umquam* in *usquam*, et quod habent scripti libri omnes servabimus sententia recta : « Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec *usquam Alternante vorans* vasta Charybdis *aqua*, Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris. » Mitescet nobis Scylla, inquit, et nusquam nobis Charybdis *erit*, cujus unda vorat alternans. Ex *erunt*, quod sequitur, supplendum hic substantivum verbum. — *Nec usquam*. Lachmannus *neque usquam*. Vide notata IV, 5, 50.

57. *Tuo corpore*, tuo cum corpore : Si te moriente vita mihi ponenda sit, satis mihi decorus hic erit exitus. Eadem forma II, 9, 51, ubi rivalem Noster adloquens : « Quod mihi si media liceat pugnare puella, Mortem ego non fugiam *morte* subire *tua*. »

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Vidi te in somnis*, etc. Apud Rousseau, *Nouvelle Héloïse*, *V^e^ partie*, *lettre* 9, dirum ejusmodi somnium enarrat *Saint-Preux*, sed cujus quidem quanto magis nos verba commovent! Ecce tibi : « Je me cou-« chai dans ces tristes idées. Elles me suivirent durant mon sommeil, « et le remplirent d'images funèbres. Les amères douleurs, les regrets, « la mort, se peignirent dans mes songes, et tous les maux que j'avais « soufferts reprenaient à mes yeux cent formes nouvelles, pour me « tourmenter une seconde fois. Un rêve surtout, le plus cruel de tous, « s'obstinait à me poursuivre ; et, de fantôme en fantôme, toutes leurs « apparitions confuses finissaient toujours par celui-là.

« Je crus voir la digne mère de votre amie dans son lit expirante, et « sa fille à genoux devant elle, fondant en larmes, baisant ses mains, « et recueillant ses derniers soupirs. Je revis cette scène que vous m'a-

« ves autrefois dépeinte, et qui ne sortira jamais de mon souvenir. O « ma mère, disait Julie d'un ton à me navrer l'ame, celle qui vous doit « le jour vous l'ôte! Ah! reprenez votre bienfait; sans vous, il n'est pour « moi qu'un don funeste. Mon enfant, répondit sa tendre mère..... il « faut remplir son sort..... Dieu est juste..... tu seras mère à ton « tour..... Elle ne put achever. Je voulus lever les yeux sur elle, je « ne la vis plus. Je vis Julie à sa place; je la vis, je la reconnus, « quoique son visage fût couvert d'un voile. Je fais un cri; je m'élance « pour écarter le voile; je ne pus l'atteindre: j'étendais les bras, je me « tourmentais, et ne touchais rien. Ami, calme-toi, me dit-elle d'une « voix faible; le voile redoutable me couvre, nulle main ne peut l'écar- « ter. A ce mot, je m'agite et fais un nouvel effort: cet effort me réveille; « je me trouve dans mon lit, accablé de fatigue, et trempé de sueur et « de larmes. »

Quibus etiam nocturnis imaginibus cruciatum Alcandrum suum depingit MALHERBE, lib. II, *Stances* (*Alcandre plaint la captivité de sa maîtresse*):

S'il m'avient quelquefois de clorre les paupières,
Aussitôt ma douleur en nouvelles manières
Fait de nouveaux efforts, etc.

Tantôt cette beauté, dont ma flamme est le crime,
M'apparoît à l'autel, où, comme une victime,
On la veut égorger;
Tantôt je me la vois d'un pirate ravie;
Et tantôt la fortune abandonne sa vie
A quelque autre danger.

En ces extrémités la pauvrette s'écrie:
« Alcandre, mon Alcandre, ôte-moi, je te prie,
Du malheur où je suis! »
La fureur me saisit; je mets la main aux armes:
Mais son destin m'arrête; et lui donner des larmes,
C'est tout ce que je puis.

7. *Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet!... Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos*, etc. Puella apud CHÉNIER (in idyllii fragmento) verba commemorans, quæ de se cum admiratione juvenes:

Comme elle est belle!
Néere, ne va point te confier aux flots,
De peur d'être déesse; et que les matelots
N'invoquent au milieu de la tourmente amère
La blanche Galatée et la blanche Néere.

9. *Quæ tum ego Neptuno*, etc. Conf. VOLTAIRE, *Épîtres*, *XVII*, qui non de somnio, sed de re vera loquens (*à madame de Gondrin, depuis madame la comtesse de Toulouse, sur le péril qu'elle avait couru en traversant la Loire*), variis agitatum sensibus hunc illum puellæ amicum depingit:

Et l'abbé Courtin qui pleurait
En voyant votre heure dernière,
Adressait à Dieu sa prière,
Et pour vous tout bas murmurait
Quelque oraison de son bréviaire, etc.

17. *Sed tibi subsidio delphinum*, etc. In eodem carmine, opem, quam apud Nostrum delphinus, Cupidines ferunt:

Mais quel spectacle ! j'envisage
Les Amours qui de tous côtés
S'opposent à l'affreuse rage
Des vents contre vous irrités.
Je les vois : ils sont à la nage ;
Et plongés jusqu'au cou dans l'eau,
Ils conduisent votre bateau,
Et vous voilà sur le rivage.

32. *Et ex una sæpe bibemus aqua.* Ita etiam BERTIN, *Amours*, III, *élégie* 2, voluptati esse amatori dicit

Le breuvage divin qu'a goûté sa maîtresse,
Le fruit que sa bouche a mordu.

35. *Omnia perpetiar*, etc. LE BRUN, *Odes*, II, 21, eadem indole, qua totus hic concipitur Propertii locus :

Qu'entends-je ? il (le ciel) redouble ses coups ;
Sa foudre a menacé nos innocentes flammes.
Ô Thémire ! unissons nos lèvres et nos ames ;
Laissons tonner les dieux jaloux.
.....
Que le char brûlant des tempêtes
Coure d'un pôle à l'autre, et lance les éclairs ;
Que l'orage à son gré rugisse dans les airs,
Puisqu'Amour veille sur nos têtes.
.....
Univers, tu peux t'enflammer !
Le choc de tous les cieux, mille foudres ensemble,
Rien ne peut désunir, rien ne peut alarmer
Deux amans qu'un baiser rassemble.

52. *Hic deus et terras et maria alta domat.* LA FONTAINE, *Contes* (*le Fleuve Scamandre*) :

Hommes et dieux, tout est sous sa tutelle,
Tout obéit, tout cède à cet enfant.

53. *Crede mihi, nobis mitescet Scylla*, etc. PARNY, lib. I, *Projet de solitude*, fugere ad extremum orbem destinans cum amica sua :

Viens, la nuit est obscure et le ciel sans nuage :
D'un éternel adieu saluons ce rivage,
Où par toi seule encor mes pas sont retenus.
Je vois à l'horizon l'étoile de Vénus :
Vénus dirigera notre course incertaine.
Éole exprès pour nous vient d'enchaîner les vents ;
Sur les flots aplanis Zéphire souffle à peine :
Viens, l'Amour jusqu'au port conduira deux amans.

ELEGIA XXVII.

ARGUMENTUM.

De morte, quam obituri sint, anxie per omnem artem inquirunt, sed incassum, homines : solis amantibus dari, vitæ suæ nosse terminum.

At vos incertam, mortales, funeris horam
Quæritis, et qua sit mors aditura via;
Quæritis et cælo, Phœnicum inventa, sereno,
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala;
Seu pedibus Parthos sequitur, seu classe Britannos,
Et maris et terræ cæca pericla viæ;

1. *At vos*, etc. Initio carminis positam particulam *At* Lachmannus vocabulum indignantis vult esse, alienum quidem ab istis versibus, mutatque loci formam corrigens : « *Et* vos incertam, mortales, funeris horam Quæritis ... ! » Nobis quia de re satis non constat, servare Codicum scriptam lectionem licebit hoc sensu : Vos porro, homines, incertam horam mortis vestræ quæritis; studetis pericula, quot imminent, avertere, nunc bellum aut mare nunc flammam aut venenum paventes; hoc agitis, inquam, sed nihil agitis : novit enim solus amans quando et a qua morte periturus sit, neque hic Boreæ aut Martis furorem timet.

3. *Phœnicum inventa*. Adpositionis figura hoc. Distingue : *Quæritis et cælo* (*Phœnicum inventa*) *sereno*, *Quæ sit stella homini*, etc. A Phœnicibus autem accepisse Græcos astronomiam; auctor Strabo, XVI, pag. 1098, ed. Almel.

5. *Sequitur*. Nominativus *homo* est, quod ex antecedente *homini* supplendum : Si quis adversus Parthos aut Britannos dimicat, et maris et terræ diversa quænam sint pericula, quæritis. Recte, ut vides, Groninganus liber *sequitur*, Schradero Lachmannoque probantibus. Scripti cæteri *Seu pedibus Parthos sequimur*, ut legitur in impressis vulgatum, sed quæ forma, *sequimur*, sententiæ pervertit ordinem, et confusam orationem facit. Res patet, si totum locum inspicientes paulum adtendimus. — *Pericula viæ maris et terræ*. Duplex

Rursus et objectum fletis capiti esse tumultum,
Quum Mavors dubias miscet utrimque manus;
Præterea domibus flammam, domibusque ruinas,
Neu subeant labris pocula nigra tuis:
Solus amans novit, quando periturus, et a qua
Morte; neque hic Boreæ flabra, neque arma timet.
Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat et infernæ tristia vela ratis:

genitivus, ut non raro apud Nostrum. Libro III, 9, 54: « *Parthorum* astutæ *tela* remissa *fugæ*. » III, 11, 70: « *Tantum operis belli* sustulit una dies. » IV, 1, 103: « Hoc neque arenosum *Libyæ Jovis* explicat *antrum*. » IV, 5, 17: « et in me *Hippomanes* fœtæ *semina* legit *equæ*. » IV, 5, 23: « *Eutypylique* placet *Coæ textura Minervæ*. » *Via* autem *maris et terræ*, ut *terræ viam* dixit Tibull. II, 6, 3, et *pelagi vias* Flaccus Valerius, V, 317.

7. *Fletis objectum capiti tumultum esse. Flere* cum infinitivo junctum, de qua constructione vide notata II, 23, 18. — *Tumultum*. Vide ad II, 10, 7.

9. *Domibusque ruinas. Ruinam* impressi libri: « Præterea domibus flammam, domibusque *ruinam*. » Dat Neapolitanus cum scriptis aliis *ruinas*, quod sono monente Lachmannus recte prætulit. Sed nec ita persanatus ab omni parte versiculus est, in quo displicet repetitum vi nulla vocabulum *domibus*. Ejusdem Lachmanni correctionem accipe: « Præterea domibus flammam, *dominisque* ruinas. » Ædibus timetis flammam, dominis ipsis ædium ruinas. Cæterum negligentia hic orationis est, qua non *fletis* (uti censet cum Barthio *Kuinoel*) retrahi ex versu 7 sententia postulat, sed ex ipsa re verbum suppleri *timetis* (cf. III, 22, 37). At porro pejora comperimus esse, quæ nonnumquam scribit Propertius. Vide not. ad I, 11, 12. — *Tuis. Labris suis* dedit Broukhusius, subaudita verbi persona tertia ad *mortales* referens. Nolimus hoc. *Tuis* agnoscunt scripti libri rectissime, ipso firmante Propertio II, 25, 41—47, in quibus pariter indefinite positum pluralem numerum cum singulari conjungit: « *Vidistis* pleno..... *Vidistis* fusco..... Quum tamen una *tuis*. »

11. *Solus amans novit*, etc. Amatori tum obeundam certam mortem esse dicit, quum ab amica proditus relictusque fuerit. Hoc vel simile quid velle Propertium, docent quæ sequuntur posita. — *Flabra* de vento, ut Virgil. Georg. II, 293.

13. *Jam licet*, etc. Sensum variis modis laborant exponere critici, sed quorum recensere singula nec voluntas nobis est, nec otium datur. Quod certo constat, *remigem* hoc versu Propertius dicit amatorem ipsum (umbræ enim, dum transvehuntur, in cymba aliquoties

Si modo clamantis revocaverit aura puellæ,
Concessum nulla lege redibit iter.

remorum officium subeunt; vide Nostrum IV, 7, 56; Heyn. ad Virgil. Æneid. VI, 320); *arundinem* vero pro palude posuit sensu notissimo. In explicanda igitur præpositione *sub* difficultas omnis versatur, de quo vide ad librum III, 9, 36, notata.

15. *Aura*, vocis flatus, vox ipsa. — *Redire iter*, ut *venire iter* II, 13, 40, cujusmodi et ea sunt, quæ notavimus I, 1, 18.

IMITATIONES GALLICÆ.

13. *Jam licet et Stygia sedeat*, etc. Ita de se CHAULIEU, tom. I, pag. 199, (*à M. de Malézieux*):

Mais quand bien même la Parque
M'aurait d'un coup de ciseau
Fait passer le noir ruisseau
Où Caron mène sa barque;
Seigneur, n'en soyez étonné,
Vous me verriez encor venir à Châtenai:
Car Platon, quoique inflexible,
Si du Maine daignait seulement m'appeler,
Bientôt devenu sensible,
Avec un compliment me laisserait aller, etc.

Conf. VOLTAIRE, *Épîtres*, *CXIII* (*à M. le prince de Ligne, sur le faux bruit de la mort de l'auteur*):

Prince, dont le charmant esprit
Avec tant de grace m'attire,
Si j'étais mort, comme on l'a dit,
N'auriez-vous pas eu le crédit,
De m'arracher du sombre empire?
Car je sais très-bien qu'il suffit
De quelques sons de votre lyre.

16. *Concessum nulla lege iter*. Quod reddit idem VOLTAIRE, *Poésies mêlées*, *CCXXXIV*:

ce voyage éternel
Dont on ne revient point au séjour de la vie.

ELEGIA XXVIII.

DE CYNTHIA ÆGROTANTE.

ARGUMENTUM.

Pro Cynthia, quam grave malum adficit, misericordiam Jovis Propertius invocat. Has illam seras pœnas luere, cujus perjuria tam multa lassarunt superos, cujus pati nimiam superbiam formæ denique tandem puduit deas. Solatium quærit miser, quo sublevet amicam suam, in morte inventuram illam confidens acerbæ hujus vitæ præmium; ereptis sibi amoribus suis, mori se quoque velle exclamat; votum Jovi concipit, si liberetur periculo Cynthia. — Incolumis evasit ea; cui bona clemensque Proserpina maneat, una demum relicta, quæ pulchra sit in terris, quum tot formosarum millia jam Orcus habeat! Redde, inquit, o mea lux, quas debes grates Isidi; mihi promissas decem amoris noctes memento solvere.

JUPPITER, adfectæ tandem miserere puellæ!
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus æstuat aer,
Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina cæli,
Quam toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante, puellas:

1. *Adfectæ*, ægrotantis, *puellæ*; quam adficit malum. Ita loquitur etiam Ovidius, Trist. III, 3, 14, ubi vide Heinsium. — *Mortua tam formosa tuum crimen erit.* Idem Ovidius, Amorr. II, 11, 35, navigaturam Corinnam commendans diis : « Vestrum crimen erit talis jactura puellæ, Nereidesque deæ, Nereidumque pater. »

7. *Hoc perdit miseras*, etc. *Hoc*, scilicet, quod altero versu dicit

Quidquid jurarunt, ventus et unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus ipsa paremque?
Per se formosis invidiosa dea est.
An contemta tibi Junonis templa Pelasgæ,
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosæ, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.

levitatis vitium. Similis forma I, 20, 1—3. — *Quidquid jurarunt*, etc. Ovidius, Amorr. II, 16, 45 : « Verba puellarum, foliis leviora caducis, Irrita, quo visum est, ventus et unda ferunt. » Catullus, LXX, 3 : « mulier cupido quod dicit amanti, In vento et rapida scribere oportet aqua. »

9. *Num sibi*, etc. Vulgo : « Num sibi collatam doluit Venus? *illa peræque Præ* se formosis invidiosa dea est. » Quam ineptam scripturam Lachmannus arte sua confutat : Insolentis amor vocabuli, inquit, effecit, ut omnes lectionem falsam amplecterentur. Quid enim *peræque* hic significat? Volscus, « *Præ se invidiosa*, inquit, præ se fert invidiam : *peræque formosis*, quas secum pari forma esse cognorit. Arguit enim a minori : Si pares, multo magis superiores odit. » Non multo melius, qui *peræque* interpretantur *non minus quam Juno et Pallas*, quas disticho sequente commemorat. Cautius Passeratius, ita tamen, ut otiosam et incommodam sententiam inferat : *æqualiter et pariter in omnes invidiosa*. Contra ea quam venustam scripturam Grouinganus, omnium optimus liber, exhibet, alii subindicant : « Num sibi collatam doluit Venus *ipsa*, *paremque?* » Num forte, inquit, cum ipsa Venere tuam formam contulisti? Hoc malum tibi dolor deæ parem te sibi agnoscentis immisit. Rarum illud vocabulum librariis unde venerit, ne mireris, ex mera oscitantia natum est, quum in libris MSS. literæ *peq.* « paremque » et « peræque » parva compendii differentia significent. Sed ita nondum omnia sana sunt : nam huic pulchræ lectioni sequens versiculus repugnat, « *Præ se formosis* invidiosa dea est. » Quomodo enim nunc formosa præ Venere, quæ antea *par* ei dicebatur? At in hoc versu latet parvum vitium, quod levi manu tollimus, scribendo : « *Per* se formosis invidiosa dea est. » Jam per se Venus formosis invidet : quid mirum, si gloriosas et ipsi sese conferentes oderit puniatque? — Hæc Lachmannus ingeniose, sed et vere, ne dubites. Emendationem ut in posterum editores agnoscant, exemplo nostro auctores sumus.

11. *Junonis Pelasgæ*; ut *Argivam* eam, ab Argivis stantem, Virgilius dicit Æneid. III, 547. — *Aut bonos*, decoros, negaveris esse Palladis oculos? Glaucis oculis Minerva erat, quam de colore hoc non semel irrisam tradunt veteres. *Boni* autem *oculi*, ut *bona forma*, venusta, II, 18, 32.

13. *Semper non nostis*. Vide not. ad I, 2. 30.

Sed tibi vexatæ per multa pericula vitæ
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos :
Nunc dea, quæ Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terris ætate vagata est :
Hanc miser implorat navita Leucotheen.
Andromede monstris fuerat devota marinis :
Hæc eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros :
Hæc nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturæ fata beata tuæ :

16. *Hora tibi mollior veniet;* hora, quæ secum vehat molliorem sortem.

17. *Io;* de qua vide I, 3, 20. — *Versa caput;* mutata forma, figura induta bovis. Male Ruhnkenius accipit, *Cujus caput, ut vaccæ, in terram inclinatum erat.* — *Nunc dea* Isis est, quam vaccam Nilus celebrat.

19. *Ino,* Athamantis uxor, quæ quum invidiam sibi contraxisset Junonis, jubente dea, ambos Tisiphone furore implevit suo, ita ut Learchum filium Athamas saxo illideret, Ino se cum altero nato Melicerta præcipitaret in mare, quod *Athamantidos* (Melicertæ) tulisse nomen vidimus I, 20, 19. Narrat Ovidius fabulam Metam. IV, 416 sqq. — *Terris vagata est;* amens ut erat et accensa furiis. *Terris* habent scripti plerique, pro quo *terras* in impressis legitur. — *Leucotheen.* Vide not. ad superiorem eleg. 26, 10.

22. *Erat,* fuit, facta est; de qua variatione temporum diximus jam multis locis.

23. *Callisto,* Arcadia, Lycaone patre, quam habuit inter comites Diana, sed repudiavit passam Jovis amplexus, et in ursam Juno mutavit, transformatione nova sidus facta. Vide Ovid. Metam. II, 401 sqq. et Fast. II, 153 sqq. — *Erraverat.* Pro quo vitiose Burmannus *erraverit.*

25. *Quod si forte tibi,* etc. Si te fata obire voluerint, inquit, hæc beata te post mortem sors manet: « Narrabis Semelæ, quo sis formosa periclo.... Et tibi Mæonias inter heroidas omnes Primus erit, nulla non tribuente, locus. » Nihil in his mirum, nisi quod *sepulturam* pro statu animarum apud inferos dicit (cujus generis plura vide ad IV, 11, 8), neque erat causa hactenus, cur viri docti sensum hujus distichi obscurum sibi esse quererentur. Nihilominus non dubito, quin his versibus aliquid vitii insit. Quis enim sonum illum ferat, *fata beata?* quis ferat *fata,* priore versu proprie posita; altero, pro *sorte?* Certum mihi videtur, *fata* ex majore versiculo in minorem librariorum negligentia invecta esse. Sic

Narrabis Semelæ, quo sis formosa periclo;
Credet et illa, suo docta puella malo;
Et tibi Mæonias inter heroidas omnes
Primus erit, nulla non tribuente, locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem.
Et deus et durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit, conjux, ignoscere Juno:
Frangitur et Juno, si qua puella perit.

scribo : « Quod si forte tibi properarint fata quietem, *Ipsa*, sepulturæ *sorte* beata tuæ, Narrabis Semelæ, quo sis formosa periclo, etc. » *Ipsa* e Codicibus duobus enotatur, et fortasse in pluribus inventum esset, nisi editores talia negligere solerent (Regg. nostri C, D, *Illa*). *Sepulturæ sors* pro eis dicitur, quæ Cynthiæ post mortem apud inferos eventura sunt; quomodo *Ferrea sors vitæ* Ovidio, Trist. V, 3, 28. Sorte autem sepulturæ vel morte beata erit Cynthia, ut illa apud Virgil. Æneid. XI, 159 : « *Felix morte tua*, neque in hunc servata dolorem ! » Lachmannus. — Ut mutationem inferam, objecta hæc non me satis movent. Neque enim facilius, quam ipsi Propertio, librariis imputaverim quod solummodo vitium negligentiæ dici possit. Tentaverat et *Kuinoel* præeunte Marklando versum restituere ; sed numquam, puto, tam infeliciter cessit conjicienti ingenium : « Quod si forte tibi properarint fata quietem, *Ipsa, sepultura facta beata tua*, Narrabis Semelæ, quo sis formosa periclo. » Nimirum quærere subit, an exemplis vir doctus uti voluerit non bonis, quæ dat Propertius IV, 1, 138, et IV, 10, 20.

27. *Quo sis periclo formosa, narrabis;* pulchritudinis tuæ quamnam experientiam feceris. Nota satis locutio est *facere periculum rei.* — *Malo suo docta;* scilicet, quæ per Junonis fraudem combusta fuerit fulminibus Jovis. Cf. Ovid. Metam. III, 253 sqq.

29. *Mæonias heroidas. Mæonias* intellige, quas Oriens celebrat suas. Regionis pars est pro tota regione posita. Mæonia autem, Lydia, quam tenuerunt antiquitus Mæones.

31. *Morem gerere;* parere, cedere. Ovidius, Amorr. II, 2, 13 : « Sed *gerat* ille suo *morem* furiosus amori. » — *Et deus et dies durus vertitur*, quicumque nobis fuerit durus deus vel dies.

33. *Conjux.* Vocativus casus est, ut recte docet Lachmannus : *Hoc, Junonis conjux, poterit vel uxor tua tibi ignoscere.* Nam ex orationis compositione referendum ad Cynthiam pronomen est *tibi*, si cum cæteris distinctione posita nulla scribimus : « Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno. » — *Frangitur et Juno*, etc. De Junone γαμηλίῳ, quæ nuptiis præsidet, Marklandus intelligit, sensu quo frangi dicat eam Propertius, si qua perit innupta. Nobis quum aliunde con-

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et tacet exstincto laurus adusta foco;
Et jam luna negat toties descendere cælo,
Nigraque funestum concinit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores
Cærula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quæso, miserere duorum:
Vivam, si vivet; si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego, *Per magnum salva puella Jovem;*
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,

stet maritum habuisse Cynthiam (vide notata II, 6, 26), licebit nihil reconditi hoc versu quærere, sed esse modo vagam rem opinari, quam exprimit poeta.

35. *Deficiunt magico,* etc. Abrupta hæc, sed cum arte posita, in quibus prodit miser amans omnem agitationem suam. — *Rhombum*, sive turbinem, in rebus magicis usitatum passim veteres memorant. Vide modo Propert. III, 6, 26; Ovid. Fast. II, 575, et Amorr. I, 8, 7. *Tortus* autem rhombus, id est, qui liciis actus versatur rotans. — *Sub carmine magico*, ad carmen magicum. Sed proprie dictum hoc, *sub carmine* : desuper enim in rhombum, dum torquetur, cadunt loquentis verba. — *Tacet laurus adusta;* quod infaustum et hoc signum erat, igne crepitantem laurum Tibullo inter omina læta referente II, 5, 81 sq.

37. *Luna cælo descendere.* Trahere de cælo incantatam lunam, cujus artis peritas meminimus sagas vel ex I, 1, 19. — *Toties,* quum toties illam ars magica tentaverit. — *Nigra avis;* bubo, noctua. De superstitione ipsa innumeris exemplis constat. Vide IV, 3, 59; Virgil. Æneid. IV, 462 sq.; Tibull. I, 5, 52.

39. *Ratis fati.* Vide I, 19, 12. — *Cærula.* Ejusdem coloris facit infernam cymbam Virgilius, Æneid. VI, 410.

41. *Si non unius,* etc. Tibullus, IV, 4, 21 : « Phœbe, fave! laus magna tibi tribuetur in uno Corpore servato restituisse duos. » Sic et Ovidius, Amorr. II, 13, 15, ad Isidem, de Corinna sua : « Huc adhibe vultus, et in una parce duobus; Nam vitam dominæ tu dabis, illa mihi. »

43. *Sacro damnare se carmine,* obligare se voto sacri carminis. *Damnare votis aliquem* ita Virgilius, eclog. V, 80. — *Carmen*, titulus, scriptum indicium rei. Cf. Virgil. Æneid. III, 287; Sil. Ital. XV, 491; Ovid. Heroidd. VII, 194.

45. *Adoperta*, velata, quomodo solvit amantis votum Delia apud Tibull. I, 3, 30. *Sedere* autem, in sacris solemne verbum, quod illustrat ad Ovidii Amorr. II, 13, 17, Heinsius.

Narrabitque sedens longa pericla sua.

* * *

Hæc tua, Persephone, maneat clementia; nec tu,
Persephones conjux, sævior esse velis!
Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Iole, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae;
Et quot Troja tulit, vetus et quot Achaia formas,
Et Phœbi et Priami diruta regna senis,
Et quæcumque erat in numero Romana puella,
Occidit: has omnes ignis avarus habet.
Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis:

47. *Hæc tua*, etc. Mihi dubium nullum est, quin recte Lachmannus ab iis, quæ præcesserunt, posteriora hæc separaverit. In prioribus, imminet Cynthiæ periculum mortis: in aliis his, salvam restitutam eam Propertius celebrat; vide vs. 59. Diversa res igitur, diversum tempus, et distincta carmina, plane ut I, 8, 27. — *Persephone*. Vide eleg. 13, 26.

51. *Iole*, Euryti regis filia, ab Hercule amata, Dejanirae rivalis. Cf. Ovid. Heroidd. IX, 1 sqq. — *Tyro*. Vide I, 13, 21. — *Europe*, Agenoris et Telephassæ filia, Ovidio argumentum fabulæ, Metam. II, 833 sqq. De eadem cf. Le Brun, *Odes*, III, 20. — *Pasiphae*. Vide ad Æneid. VI, 24, Heynium.

53. *Et quot*, etc. Totum turbat distichon emendatio Scaligeri non bona hæc: « Et quot *Iona* tulit, vetus et quot Achaia formas, Et *Thebæ*, et Priami diruta regna senis. » Neque enim, ut videtur, promiscue coacervata nomina sunt, quæ posuit Propertius; sed quemadmodum Troja cum Priamo jungitur, ita et alterius regis nomen primitus exstiterit, quod Achaiæ responderet, corruptum nunc latens in literis *Et Phœbi*. Hoc nomen, fateor, scire parum curo. Præterea ferri nequit *Iona* pro *Ionia*, cujus metaplasmi non reperiuntur exempla. Quæ quum ita sint, ejecto Scaligeri commento tutius revocabimus id, quod scripti plerique libri, meliores saltem, exhibent: « Et quot *Troja* tulit, vetus et quot Achaia formas, *Et Phœbi* et Priami diruta regna senis. »

55. *Et quæcumque Romana puella in numero erat. In numero* (in pretio) *esse*, aliquo haberi pretio. Cicero, de Orat. III, 56: « sine hac (actione) summus orator *esse in numero* nullo potest. » — *Ignis*. Vide not. ad IV, 11, 8.

57. *Nec forma æternum cuiquam est*, semper est cuiquam.

Longius aut propius mors sua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
Munera Dianæ debita redde choros :
Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ ;
Votivas noctes et mihi solve decem.

Æternum, semper, ut III, 8, 38. — *Longius aut propius*, etc. Horatius, Carm. II, 3, 25 : « Omnes eodem cogimur ; omnium Versatur urna serius ocius Sors exitura, et nos in æternum Exilium impositura cymbæ. » Ovidius, Metam. X, 33 : « Serius aut citius sedem properamus ad unam : Tendimus huc omnes ; hæc est domus ultima. » Sed quanto plus eloquentiæ in iis, quæ vir Galliæ nostræ magnum decus, Bossuet, *Oraison funèbre de la duchesse d'Orléans* : « Nous mourons « tous, disait cette femme dont « l'Écriture a loué la prudence, « au second livre des Rois, etc. »

59. *Dimissa*. Ita scribendum ex aliquot libris, non *demissa*. Simile vitium notavimus II, 6, 41, in *deducere* pro *diducere*. — *Dianæ redde choros*, sacrificium Dianæ. In sacris, ut scimus, chori ducebantur.

61. *Excubias*, vigilias in honorem Isidis, cui noctes constitutas esse decem, quas darent feminæ, videbimus II, 33, 1—2. Quemadmodum igitur deæ, ita et sibi decem promissas noctes Propertius postulat. — *Divæ nunc, ante juvencæ*. Vide verss. 17—18. — Elegia conferenda nostra hæc cum Tibulli IV, 4.

IMITATIONES GALLICÆ.

De Cynthia ægrotante. Conf. Parny, lib. III, in ejusdem argumenti carmine (*Sur la maladie d'Éléonore*) :

C'en est fait, la faux du trépas
Se lève sur ma jeune amie ;
Le feu d'une fièvre ennemie
Brûle ses membres délicats.
Je l'ai vue au milieu des peines,
Sur son front j'ai posé la main ;
O douleur ! j'ai senti soudain
Ce feu qui coule dans ses veines.
Ses yeux peignaient l'égarement
Et le désordre de son ame ;
Ses yeux, que je vis si souvent
Briller d'une plus douce flamme,
N'ont point reconnu son amant.
Abandonnez-vous ma maîtresse,
Dieux qui veillez sur la jeunesse,
Dieux qui protégez la beauté ?
Par quel crime ai-je mérité
Le coup dont frémit ma tendresse ?

Voyez ses maux, voyez mes pleurs,
Voyez son trouble et mon supplice;
Et si l'aspect de nos douleurs
Ne fléchit point votre justice,
A mes cris si vous êtes sourds,
En vain votre bonté cruelle
Me prépare de nouveaux jours;
Je n'aurai vécu que pour elle.

8. *Quidquid jurarunt, ventus et unda rapit.* Idem PARNY (ed. 1827), *Réponses diverses* (*VIe Réponse*):

Et le serment d'une maîtresse
Sur le sable est toujours tracé.

Juvenis apud QUINAULT (*tragédie lyrique d'Isis*, act. I, sc. 2), cui toties puella sua Zephyro et unda teste juravit æternos amores:

Mais le Zéphyr léger et l'onde fugitive
Ont enfin emporté les sermens qu'elle a faits.

31. *Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem*, etc. Hospes apud CAÉNIER, *Idylles* (*le Mendiant*), hospitis sui miseram fortunam solatur:

Ami, reprends courage;
Toujours un vent glacé ne souffle point l'orage,
Le ciel d'un jour à l'autre est humide ou serein,
Et tel pleure aujourd'hui qui sourira demain.

47. *Hæc tua, Persephone*, etc. Conf. MALHERBE, lib. II, (*Stances pour M. le duc de Bellegarde, sur la guérison de Chrysante*):

Dieux dont la providence et les mains souveraines
Terminant sa langueur, ont mis fin à mes peines,
Vous saurois-je payer avec assez d'encens
L'aise que je ressens?
.....
Continuez, grands dieux, et ne faites pas dire
Ou que rien ici-bas ne connoît votre empire,
Ou qu'aux occasions les plus dignes de soins
Vous en avez le moins.

57. *Nec forma æternum*, etc. MALHERBE, lib. I, *Odes* (*à M. de la Garde*):

Nos jours passent comme le vent,
Les plaisirs nous vont décevant,
Et toutes les faveurs humaines
Sont hémérocalles, d'un jour:
Grandeurs, richesses, et l'amour,
Sont fleurs périssables et vaines.

VOLTAIRE, *Stances*, *XXXI* (*A une dame de Genève*), suprema Tibulli memorata hora:

Délie elle-même à son tour
S'en va dans la nuit éternelle,

En oubliant qu'elle fut belle
Et qu'elle a vécu pour l'amour.

Nous naissons, nous vivons, bergère,
Nous mourons sans savoir comment.
Chacun est parti du néant :
Où va-t-il ?... Dieu le sait, ma chère.

Idem auctor, *Stances*, *XXXII* (*les Désagrémens de la vieillesse*) :

Tous nos plaisirs n'ont qu'un moment.
Hélas ! quel est le cours et le but de la vie ?
Des fadaises et le néant.
O Jupiter ! tu fis en nous créant
Une froide plaisanterie.

Arnault pater, scriptor ætate hac nostra, quem senescentem Musæ non deserunt, sensum non absimilem expressit suavissima imagine. Fabula est, cui titulus *la Feuille* :

De ta tige détachée,
Pauvre feuille desséchée,
Où vas-tu ? — Je n'en sais rien.
L'orage a brisé le chêne
Qui seul était mon soutien.
De son inconstante haleine
Le Zéphyr ou l'Aquilon
Depuis ce jour me promène
De la forêt à la plaine,
De la montagne au vallon :
Je vais où le vent me mène,
Sans me plaindre ou m'effrayer ;
Je vais où va toute chose,
Où va la feuille de rose
Et la feuille de laurier.

58. *Longius aut propius mors sua quemque manet.* Navita infernus apud Quinault, *tragédie lyrique d'Alceste*, act. IV, scen. I :

Il faut passer tôt ou tard,
Il faut passer dans ma barque :
On y vient jeune ou vieillard,
Ainsi qu'il plaît à la Parque.

Malherbe, lib. II, *Stances* (*Consolation à du Perrier*), pulcherrimis versibus :

La Mort a des rigueurs à nulle autre pareilles :
On a beau la prier,
La cruelle qu'elle est se bouche les oreilles,
Et nous laisse crier.

ELEGIA XXIX.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Nuperæ cujusdam noctis suæ varium casum enarrat. Dum per urbem potus hac illac vagatur, in medium agmen incidit necopinus Cupidinum : captus ab iis implicatur nodis; objiciunt nocturnum iter, quod suspectam facit amatoris fidem; quærere illum haud dubie, amicæ suæ immemorem, furtiva gaudia; talis injuriæ mortem statim fore præmium. Excusat se Noster meliorem fidem promittens, ductusque ad Cynthiæ domum, venia data, graviter admonitus mittitur. Liber, an caste dormivisset ea, scire cupiens, in cubiculum penetrat: sola erat, numquam amanti suo visa formosior, recenti dimissa somno Cynthia. Miratur hæc tam matutinum adventum; ut erat, facile se probat innoxiam, amare se negans didicisse plures; suspicionis autem indignatur injuriam; et lecto prosiliens levis, blanditias et oscula fugit, divortium pronuntiat.

EXTREMA, mea lux, quum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia, nescio quot pueri, mihi turba minuta
Venerat; hos vetuit me numerare timor;

1. *Extrema. Hesterna* Codices editique libri, sed quod esse falsum ultimus versus docet: *Ex illo felix nox mihi nulla fuit.* Quomodo enim *nox nulla* ex *hesterna nocte*, hoc est, ab ea nocte quæ diem hodiernum præcessit? Scribe cum Heinsio : « *Extrema*, mea lux, quum potus nocte vagarer. » *Extrema nox*, una de nuperis. — *Servorum.* Nempe, quales dicit I, 3, 10.

3. *Pueri*, Cupidines. Sed *pueri* vago sensu, ut toties legimus dictum Amorem *puerum.* Vide I, 6, 23. — *Venerat*, venit, *mihi obvia;*

Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
  Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. Quorum lascivior unus,
  Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum:
Hic erat; hunc mulier nobis irata locavit.
  Dixit, et in collo jam mihi nodus erat.
Hic alter jubet in medium propellere; et alter:
  Intereat, qui nos non putat esse deos!
Hæc te non meritum totas exspectat in horas:
  At tu nescio quas quæris, inepte, fores.
Quæ quum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ
  Solverit, atque oculos moverit illa graves,
Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
  Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite jam, fratres; jam certos spondet amores:
  Et jam ad mandatam venimus ecce domum.

mutatione qua temporum nihil in carminibus his frequentius. *Fuerant*, erant, versu 7; *hic erat*, hic est, vs. 9. Vide I, 10, 2.

5. *Retinere*. Vide I, 10, 29.

7. *Sed;* porro, autem. — *Lascivus*, audax, protervus.

9. *Locavit*. Argute dictum hoc. Tradidit irata Cynthia quasi conductum amantem suum, quem punirent Cupidines.

11. *Propellere* me *in medium*, in agmen medium. — *Intereat, qui nos*, etc. Loquitur alter iste versu. 12—20.

13. *Hæc;* quam solam linquis, perfide. Satis intelligimus Cynthiam. — *Exspectat te non meritum; non meritum*, non dignum, quem exspectet illa tam anxie. — *Fores*. Quærere alienas fores, nec mirum nec novum hoc, ipso teste Propertio I, 3, 35, ubi Cynthia: « Tandem te nostro referens *injuria* lecto *Alterius* clausis *reppulit a foribus*. » Dousæ igitur cadit emendatio hæc: « At tu nescio quas quæris, inepte, *foris;* » feminas per viam quæris nescio quas.

15. *Quæ quum Sidoniæ*, etc. Debuisse Cynthiam tamen, ut illecebris pollet, sperare sibi ab amante certiorem fidem. Linquere tu tam formosam, inquit puer, quæ, quum somnum dimittit, ipsius Amoris suavissimos odores exhalat! — *Mitra*. Capitis tegmen retinendis capillis est. *Sidonia;* ut II, 16, 55. — *Arabum de gramine odores*, quos odores miscent herbis suis Arabes. *Gramen*, herba, ut II, 1, 53; II, 4, 8. Arabiam et Syriam odoriferam passim laudant poetæ.

19. *Certos amores*, constantiam, amorem fidum. — *Ad mandatam*,

Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu :
I nunc, et noctes disce manere domi.
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere : at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui : non illa mihi formosior umquam
Visa, neque ostrina quum fuit in tunica,
Ibat ut hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent.
Talis visa mihi somno dimissa recenti,
O quantum per se candida forma valet!
Quo tu matutinus, ait, speculator amicæ?

ad indictam nobis, *domum;* Cynthiæ nempe.

21. *Injecto mi rursus amictu;* id est, injecto mihi, quem detraxerant, amictu meo. *Rursus injicere*, restituere injiciendo. — *Noctes.* Scriptura hæc librorum omnium. *Noctu* Broukhusius de correctione Heinsii, quod cum *amictu* junctum ingrate ad aures accidit.

23. *Mane erat*, etc. Ordine et sensu nullo constitutum totum hoc in exemplaribus impressis, ita : « Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa, Visere : at *in lecto Cynthia* sola *fuit.* Obstupui : non illa mihi formosior umquam Visa, neque ostrina quum fluit in tunica. *Ibat et hinc* castæ narratum somnia Vestæ, Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent. *Talis* visa mihi *somno demissa recenti.* Heu quantum per se candida forma valet! Quo tu matutinus, *ait*, speculator amicæ? » Nihil hic, ut vides, non confusum, nihil non ineptum et absurdum; in quibus, præter cætera, cubare simul et ire Cynthia narratur, quæ paulo post dormire pariter et loqui. Distinctione mutata, cum Lachmanno scribimus : « Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa, Visere : at in lecto Cynthia sola fuit. Obstupui : non illa mihi formosior umquam Visa; neque ostrina quum *fuit* in tunica, Ibat *ut* hinc castæ narratum somnia Vestæ, Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent. Talis visa mihi somno *dimissa* recenti (*O* quantum per se candida forma valet!), Quo tu matutinus, ait, speculator amicæ? » — *Mane erat*, etc. Conf. Chénier, in Imit. Gall. ad I, 3, 7. — *Fuit* agnoscunt scripti omnes, pro quo *fluit* Broukhusius Burmannusque perperam. Numquam formosiorem sibi visam Cynthiam Propertius dicit, ne illa quidem die, quum in veste purpurea consultum ivit de somnio Vestam deam. — *Somno dimissa recenti. Dimissa* pro *demissa* Codices apud Burmannum duo rectissime. Utriusque verbi confusionem notavimus eleg. 28, 59. — *O quantum*, etc. Alieno sensu positam particulam *Heu* Schraderus jam ante Lachmannum in *O* mutandam esse monuerat. — *Quo tu*, etc. ecquare,

Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Adparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis, nec jacuisse duos.
Adspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, et obposita propellens savia dextra,
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

ait, speculator ad amicam venire tam mane? — *Me similem vestris*, etc. mene imitari hominum vitam impuram cogitas? *Similem me vestris moribus*, me vobis similem; cujusmodi sunt ea, quæ vidimus I, 9, 11.

33. *Cognitus. Cognoscere* de commercio, quod intercedit viro cum femina : ita etiam Ovid. Heroidd. VI, 133. Pariter nos Galli verbum nostrum usurpamus *connaître*.

37. *Nullus in toto corpore spiritus :* vide I, 5, 22. *Notus* autem *spiritus admisso adulterio :* vide I, 8, 46. *Surgere* de *spiritu*, ut I, 16, 32. *Spiritus;* suspiritus; halitus, quam solet esse, magis frequens.

39. *Savia;* mea, quæ tentabam inferre ei. *Savia* pro *suavia* dedit Lachmannus cum Neapolitano Codice, quam dulciorem auribus scripturam commendaverat jam ante Baxterus ad Horatii epodon III, 21. — *Prosilit*, e lecto prosilit. — *Soleæ*, crepidæ, sandalia id genus, quibus domi utimur. Puerpera apud Plautum, Trucul. II, 5, 26, surgere de lecto volens rogat sibi dari soleas.

41. *Sic ego*, etc. Hanc scripturam Broukhusius ex librariorum aberrationibus elicuit, non nimis quidem malam illam, nec tamen veram, si quid video. Nam neque *amoris custodem* recte dici puto *speculatorem amicæ*, quomodo loquutus est poeta vs. 31, aut, ut ipse Broukhusius exponit, « observatorem, speculatorem, curiosulum cum oculis emissitiis; » neque *excludebatur* tum, quum illud malum, quod sibi accidisse narrat, pateretur, Propertius. In optimis autem libris legitur *custode recludor;* in multis, sed deterioribus, *custos recludor;* alii aliter. Viri docti varia moliuntur, sed nihil probabile : nec quidquam promitto de veritate conjecturæ meæ, nisi quod haud inepte scribi posse existimo : « Sic ego tam sancti *cultu secludor* amoris. » Lachmannus. — Cum toto carmine conf. Le Brun, *Odes*, VI, 6.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Extrema, mea lux*, etc. *André* Chénier, *élégie XXXV*:

Hier, en te quittant enivré de tes charmes,
Belle Daphné, vers moi tenant en main des armes
Une troupe d'enfans courut de toutes parts :
Ils portaient des flambeaux, des chaînes et des dards.
Leurs dards m'ont pénétré jusques au fond de l'ame ;
Leurs flambeaux sur mon sein ont secoué la flamme ;
Leurs chaînes m'ont saisi : d'une cruelle voix,
« Aimeras-tu Daphné? » criaient-ils à la fois ;
« L'aimeras-tu toujours? » Troupe auguste et suprême,
Ah! vous le savez trop, dieux enfans, si je l'aime.
Mais qu'avez-vous besoin de chaînes et de traits? etc.

Dorat, *Baiser XVI* (*le Pardon*), qui, ubi Propertium imitatus est, ad verbum expressit nec insuaviter :

Souvent l'Amour se venge d'un volage :
Je ne le fus qu'un seul jour et sa nuit ;
C'est encor trop. Églé m'avait séduit ;
Elle était belle et dans la fleur de l'age.
D'entre ses bras échappé vers minuit,
Dans un moment où l'ombre, de ses voiles,
Enveloppait jusqu'au feu des étoiles,
Je revenais sans escorte et sans bruit.
L'air qui s'agite, un rameau qui murmure,
Tout m'épouvante, et je crains tous les yeux.
On ne craint rien alors que l'ame est pure ;
Et j'avais l'air, dans ma retraite obscure,
D'un criminel bien plus que d'un heureux.
Je me glissais... quand soudain au passage
Par des enfans je me sens arrêter :
Dans ma frayeur je ne pus les compter.
Ils étaient nus : l'un près de mon visage
Porte un flambeau pour me voir de plus près ;
L'un tient des fers dont j'ignore l'usage,
Et celui-ci se joue avec des rêts.
« C'est lui, c'est lui ! vite, qu'on le saisisse, »
S'écrie alors le plus malin de tous ;
« Tenez-le bien : Thaïs, dans son courroux,
« L'a désigné : nous lui devons justice.
« Rien n'est plus sot, vous le voyez, amis,
« Qu'un infidèle, alors qu'il est surpris.
« Vous voilà donc, le beau coureur nocturne?
« Lorsque Thaïs veille dans les soupirs,
« A la faveur de la nuit taciturne

« Vous avez cru nous voiler vos plaisirs ?
« On vous guettait : point de grace ; qu'il meure,
« Lui qui coûta des pleurs à la beauté !
« Thaïs gémit, et l'attend, à cette heure
« Qu'il consacrait à l'infidélité !
« Thaïs, hélas ! digne d'une autre chaîne ;
« Thaïs semblable à l'aube d'un beau jour,
« Et qui ne peut exhaler son haleine,
« Sans envoyer des parfums à l'Amour. »
Après ces mots, la brigade enfantine
S'arme de traits, de fers charge mes pieds,
En charge encor ma main qui se mutine,
Et m'investit de nœuds multipliés.
« Ah ! dit l'un d'eux, accordons-lui sa grace ;
« Il se repent, il jure, foi d'Amours,
« D'aimer Thaïs, et de l'aimer toujours :
« Est-il forfait qu'un tel serment n'efface ?
« Une autre fois, me dit-il à voix basse,
« Lorsque la nuit couvrira l'horizon,
« N'affecte point une imprudente audace,
« Et souviens-toi de garder la maison. »
A mes regards la tienne se présente,
O ma Thaïs ! le remords m'y conduit ;
Je viens m'offrir au courroux d'une amante.
Elle menace, et bientôt s'attendrit.
Ses yeux charmans, où l'amour se déploie,
Parmi les pleurs étincellent de joie :
Son sein échappe aux voiles envieux,
Palpite et bat sous la main du coupable :
Nous étions seuls, j'étais plus amoureux,
Et ma Thaïs n'est point inexorable.
Je profitai d'un heureux abandon ;
Et, rassemblant tout le feu qui m'anime,
Je ne pouvais me reprocher un crime
Qui me valait un aussi doux pardon.

ELEGIA XXX.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Amori tollendo remedium negat esse discidium et fugam; destinantem abire Cynthiam, ut insanum mittat consilium, hortatur. — Propertio honestum suum unius feminæ quis amorem objiciat? Nonne etiam Jovis dulcia furta narrantur? nonne Musas ipsas docuit deus puer voluptates suas? (De sensu apertius dicetur in commentario.)

Quo fugis, ah! demens? nulla est fuga. Tu licet usque
Ad Tanain fugias: usque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aere dorso,

1. *Quo fugis*, etc. Carminis sensum auctore Lachmanno cape, nam et in hac et in iis, quæ sequuntur, elegiis omnia fœde perversa confusaque dedit Scaliger transpositionibus suis. Ita porro Lachmannus: Poeta cum puella sua convivatur. Ea inter mediam lætitiam nescio qua amatoris injuria offensa abituram se et cum exercitu, Lycoridis modo, in Asiam contra Parthos militatum profecturam minatur. Tum poeta: Quo fugis? inquit; nihil agis. Licet in remotissimas orbis partes te conferas, tamen Amor te sequetur usque, et gravissimis pœnis excruciabit (vss. 1—10). Sed jam, quamvis peccaveris, deus ille facile placabitur, si te consilii tui pœnitere viderit. Quare age, pergamus hoc convivium celebrare (vss. 11—18). Cynthia, Propertii precibus mota, tandem exorari se patitur. Ita ille, jam redeunte hilaritate, submissa voce et cum leni reprehensione quærit, num adhuc eo animo sit, ut fugere velit et militare (vss. 19—22).

3. *Non*; non effugies, vel si, etc. Ex iis, quæ præcesserunt, sensus formandus est, ut I, 2, 17. — *In aere* scripti libri videntur meliores ferre, pro quo Burmannus *in aera*. Bellerophonta autem, quum interfecit Chimæram, vexerat Pe-

Nec, tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel si te sectæ rapiant talaribus auræ,
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput : instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, et tollere nusquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et jam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modo præsentes viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri :
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerantur legibus aures :
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones ;

gasus volans. Apollodor. II, 3. — *Ala Persei.* Talaria sunt, quæ Perseus ire ad Medusam parans Nympharum habuit donum sive Mercurii, unde *pennipes* Catullo dictus, Carm. LV, 25.

5. *Vel si ;* si vel, etiam si. Sed post illud, quod positum de Perseo vidimus, satis frigide subjiciuntur nova hæc.

8. *Ipse.* Languidum et ineptum hoc, *ipse*, Amori pronomen additum. Scribe cum Beroaldo : « instat amanti, Et gravis *ipsa* super libera colla sedet ; » (sub pedibus tenet deus ipsos eos, qui jugum ejus excussisse putant.) Cæterum, quod hic et versu 10 insidere collo nostro fingitur Amor, nec pati, tollere ex humo quemquam semel captos oculos, hoc habuimus jam expressum I, 1, 3, ubi de se loquens Propertius : « Tum *mihi* constantis *dejecit lumina* fastus *Et caput* impositis *vressit Amor pedibus.* »

11. *Et jam.* Melius erit cum Burmanno : *Sed jam si pecces.* — *Præsentes preces*, non tardas, quæ culpam statim sequantur.

15. *Illorum antiquis*, etc. Cave *illorum aures* conjungas : aures sunt nostræ, quas onerant senes legibus suis. Sed recte *onerantur* pro vulg. *onerentur* Codex Neapolitanus cum alio, conjunctivi forma, ut observat Lachmannus, non meliore hic, quam erat I, 20, 31. Nobis, ait Propertius, vetera sua nescio quæ præcepta objiciunt senes : obmurmurent et irascantur, licet : tu cane, tibia, dum me mensa tenet cum Cynthia mea. — Cf. Ovid. Metam. IX, 550 : « Jura senes norint, et quid liceatque nefasque Fasque sit, inquirant, legumque examina servent : Conveniens Venus est annis temeraria nostris. » — *Onerare præceptis*, ut versu hoc Noster *legibus*, habet Plautus, Mil. Glor. III, 3, 29, et Pseud. II, 4, 74.

Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti,
Turpia quum faceret Palladis ora tumor.
Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris;
Spargere et alterna communes cæde Penates,
Et ferre ad patrios præmia dira Lares?

* * *

Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit:
Mi nemo objiciat. Libeat tibi, Cynthia, mecum

17. *Quæ vado Mæandri natasti jacta*, etc. Interpres Ovidius, Fast. VI, 697, quo loco Minerva: « Prima terebrato per rara foramina buxo Ut daret, effeci, tibia longa sonos. Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis, Vidi virgineas intumuisse genas. Ars mihi non tanti est; valeas, mea tibia, dixi. Excipit abjectam cespite ripa suo. » — *Mæander*, Phrygiæ fluvius, de sinuosis cujus undis vide eleg. 34, 35.

20. *Litora nota. Nota* accipiunt viri docti *quæ nunc bellis innotescunt* (vide not. ad Vitam Propertii Chronologic. supra pag. 17). Sed hoc quidem ab hisce versiculis alienum est. Vere, opinor, Lachmannus: « Et petere Hyrcani litora *nuda* maris. »

21. *Spargere et.* Mentelianus cum duobus aliis *Spargereque alterna*, ut editum in impressis quibusdam legitur. Groninganus, Neapolitanus, cæteri, *et alterna*; firmatum hoc vel ex I, 20, 28. Cæterum, perquam obscure sententiam suam hoc versu Propertius reddidit, exprimere volens id, quod a Lachmanno positum ex ipsius orationis forma unice verum habendum confido: « Num tibi adhuc sedet, nos, qui hactenus una viximus, bello et alterna tui hostiumque cæde divellere? » *Alterna cædes*, bellum. *Spargere* autem *Penates*, fuga nimirum et exsilio, ut apud Flaccum Valerium legimus, II, 595: « iterum Æolios fortuna *Penates Spargit*, et infelix Scythicum gens quæritis amnem. » — *Et ferre*, referre tecum, *ad Lares dira præmia*, invisam prædam madentem sanguine. *Præmia*. Vide II, 4, 15.

23. *Una contentum*, etc. Ordine non interrupto in scriptis editisque libris nova hæc cum superioribus leguntur. Alia ab aliis separavit Lachmannus recto judicio, diversam hic prorsus formam et colorem esse docens, dum carmen explicat: « Reprehendi se posse negat Propertius, quod unam constanter amet: non suam esse, sed Amoris culpam, qui omnes deos ac mortales sibi servire cogat. Id uti constet, invitat Cynthiam, Musarum habitacula secum adire velit. Eas nihil nisi furta Jovis con-

Rorida muscosis antra tenere jugis.
Illic adspicies scopulis hærere Sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Jovis:
Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis.
Quod si nemo exstat, qui vicerit alitis arma,
Communis culpæ cur reus unus agor?
Nec tu virginibus reverentia moveris ora;
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus;
Si tamen OEagri quædam compressa figura
Bistoniis olim rupibus adcubuit.
Hic ubi te prima statuent in parte choreæ,

tinuo carmine celebrare, ipsas quoque ab amoris contagio nequaquam liberas. Utinam et sibi in hoc choro cum puella sua canere liceat! »

26. *Rorida antra. Rorida* scripti. libri fere omnes, *Roscida* exhibent impressi.

27. *Sorores*, Musas, ut III, 1, 17. Ita *alitem* indefinito sensu dicit mox, versu 31. — *Antiqui Jovis.* Epitheton Jovis *antiquus* etiam IV, 4, 2.—*Adspicies canere.* Vide not. ad eleg. 16, 49.

29. *Ut Semela est combustus.* Vir doctus adnotat (*Kuinoel*): « Exquisite *combustus Semela*, quam et ipsam fulmine combussit » (vide eleg. 28, 28). Jejuni et illepidi sales, quos absit ut umquam ingeramus Propertio. — *Io;* de qua vide eleg. 28, 17—18. Sextus casus hoc nomen est, ut *Semela.* — *Avis,* aquila factus, quum ex Ida monte Ganymeden raperet. — *Trojæ tecta.* Vide I, 6, 4.

31. *Alitis*, divi Cupidinis, ut illum Noster sæpe dicit *puerum:* vide I, 6, 23. *Cytherææ puer ales* apud Horatium, Carm. III, 12, 4; *volatilis puer* Ovidio, Amorr. II, 7, 27.

33. *Virginibus.* Sorores virgines (Musas) intelligis. Nec tu, inquit, ruborem injicies castis sororibus.

35. *Si tamen.* Vide ad IV, 1, 49, ubi forma eadem est, quam posuit, *Si modo.* — *Quædam.* Est quædam ista Calliope, ex OEagro, qui rex Thracum, Lini mater et Orphei. Vide Apollodor. I, 3, 2. — *Bistoniis rupibus*, ad rupes Bistonias. Ablativi forma est, qua sæpius utitur poeta. Vide not. ad IV, 3, 10. *Bistones* autem, gens Thraciæ, quam pro Thracibus ipsis nominat. — *OEagri figura.* Ne tentes hic cum Broukhusio alienum sensum inferre, *hominis figuram* Noster ipsum dicit hominem, non aliter atque *Inachidos cornua* pro ipsa Inachide positum vidimus I, 3, 20.

37. *Hic*, inter Musas, *ubi te* illarum agmen primam esse voluerit reginamque choreæ, tunc et ego

Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos;
Nam sine te nostrum non valet ingenium. 40

cinctus frontem hedera intrabo cœtum et canam; sine te enim ingenium mihi nullum est. Recte, ut vides, *Hic ubi te* legebat Guyetus, uno apud Burmann. addicente Codice, pro quo sententia perversa cæteri : « Hic ubi *me* prima statuent in parte choreæ. » — *Docta cuspide. Docta*, id est, qua significat Bacchus gestu varios choreæ modos. *Tecta cuspide* frustra dedit Scaliger, ad imitationem Catulli, LXIV, 257; (*tecta cuspis*, thyrsus circumducta hedera.) — *Bacchus.... corymbos.* Vide not. ad II, 5, 26.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Quo fugis, ah! demens? nulla est fuga*, etc. Puella apud Quinault, *tragédie lyrique de Roland*, act. II, sc. 1 :

Je porte au fond du cœur mon funeste martyre.
Hélas ! où puis-je aller ? où puis-je fuir, hélas !
Où l'Amour ne me suive pas ?

La Fontaine, *Contes, le Roi Candaule et le Maître en droit :*

Hélas ! fuir n'y sert de rien :
Tourmens d'amour font si bien
Qu'ils sont toujours de la suite.

13. *Ista senes licet*, etc. Parny, lib. III (ed. 1827), *Délire*, puellæ suæ prædicans innoxiam Venerem :

Laisse gronder la sagesse ennemie ;
Le plaisir seul donne un prix à la vie.

Et libro I, *le Lendemain, à Éléonore :*

Ah ! laissons nos tristes censeurs
Traiter de crime abominable
Le seul charme de nos douleurs,
Ce plaisir pur dont un dieu favorable
Mit le germe dans tous les cœurs, etc.

Idem Parny, in eodem libro, ad amicos suos :

Rions, buvons, o mes amis !
Occupons-nous à ne rien faire :
Laissons murmurer le vulgaire,
Le plaisir est toujours permis.

La Motte Houdar, *ode Anacréontique V* (*l'Usage de la vie*), conviva convivas amicos adloquens :

A l'envi laissons-nous saisir
Aux transports d'une douce ivresse :
Qu'importe, si c'est un plaisir,
Que ce soit folie ou sagesse ?

16. *Hic locus est, in quo, tibia docta, sones.* Le Brun, *Odes*, III, 17 :

Et toi, lyre, aimable convive,
Qui sais plaire aux festins des dieux,
Rends notre allégresse plus vive
Par tes accens mélodieux.

24. *Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit.* Cephalus et Procris apud Marmontel, *tragédie lyrique de Céphale et Procris*, act. I, sc. 4, implorantes amori suo veniam, testantur superos :

En nous aimant, qu'avons-nous fait
Que suivre un penchant qu'ils nous donnent ?

30. *Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis.* Le Brun, *Odes*, I, 8, ubi varios amores enarrans Jovis :

Mais quel aigle, aux vastes ailes,
Fend l'air d'un vol si léger,
Et par des routes nouvelles
Ravit ce jeune berger ?

C'est l'amant de Ganymède
Qui veut embellir sa cour :
Jupiter, à qui tout cède,
Lui-même cède à l'Amour.

40. *Nam sine te nostrum non valet ingenium.* Ita etiam *André* Chénier, *élégie III* :

Camille, où tu n'es point, moi je n'ai pas de Muse ;
Sans toi, dans ses bosquets Hélicon me refuse, etc.

Tissot, *Poésies érotiques, Ière partie* (*les Bois*) :

Sans toi, sans ton amour, je n'ai point d'éloquence.

ELEGIA XXXI.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Templum Apollinis Palatini descriptum, in quo visendo moratum se esse dicit, excusationem hanc adferens Cynthiæ, quum tardius, quam fuerat promissum, apud illam veniat.

Quæris, cur veniam tibi tardior: aurea Phœbi
Porticus a magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai femina turba senis.

1. *Quæris*, etc. Octo disticha, quæ majoris elegiæ fragmentum volunt esse critici, in hoc refutati verbis ipsis iis, quibus initium facit Propertius carmini. Ut observat enim Lachmannus, « *Quæris cur veniam tibi tardiŏr* dicendo, non *venerim*, poeta se hos versus vel ex tempore fudisse vel ita saltem videri velle indicat. » — *Porticus;* Apollinis Palatini templum cum porticu, dedicatum ab Augusto publicatumque A. U. 726. Respicit Horatius, Carm. I, 31. — *Aurea*, nobilis, eximia; quo sæpe vocabulo præstantiam rei significant. Sic *aurea urna* est II, 26, 50; *aurea templa* IV, 1, 5; *aurea Cynthia* IV, 7, 85. — In extremo primo versu *Phœbo* pro *Phœbi* scripsit Lachmannus perperam.

3. *Tota erat in speciem columnis digesta. In speciem*, speciose, ita ut conspectu et specie placeret. Firmat Lachmannus Codicum omnium scripturam hanc, Manilii comparans versum V, 152, quem dedit scilicet ex emendatione restitutum Bentleius: « Femineæ vestes, nec *in* usum tegmina plantis, Sed *speciem*. » Broukhus. Burmannusque *Tota erat in spatium*, etc. de conjectura Heinsii reposuerant, late expansam intelligentes porticum. — *Pœnis columnis*. Marmoris Numidici in conficiendis pavimentis et columnis plurimum usum fuisse scribit Plinius, Hist. Nat. XXXVI, 8. — *Danai femina turba*, quinquaginta Danaidum effigies, inter columnas positæ. Conf. Ovid. Amorr. II, 2, 4, Trist. III, 1, 61 sq. — *Femina*. Vide not. ad III, 3, 32.

Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra;
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artifices, vivida signa, boves.
Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus;

5. *Hic equidem*, etc. Corruptus locus, ne dubites. Nam præter sententiam obscuram, illud etiam vitii notabimus cum Lachmanno, quod *equidem* pro *plane* vel *profecto* positum, ut interpretibus placet, lingua non admittit scriptoribus usitata ævi Augustei. Vere igitur Marklandus, mutatione nulla: « Hic, *quidam* Phœbo visus mihi pulchrior ipso Marmoreus tacita carmen hiare lyra. » *Marmoreus quidam ipso Phœbo pulchrior*, Augustus nempe Cæsar, in bibliotheca Palatina marmoreus positus, ad imaginem expressus Apollinis; de qua statua Servius ad Virgil. eclog. IV, 10, Acro ad Horat. epist. I, 3, 17. Usurpatum autem pronomen *quidam*, ut erat eleg. 30, 35. — *Hiare lyra carmen*, id est, canere ore carmen sonante lyra. *Hiare fabulam* (tragico ore exponere) ita Persius, sat. V, 3: « *Fabula* seu mœsto ponatur *hianda* tragœdo. » *Hiscere aliquid*, aliquid verbi mutire, Juvenal. sat. V, 127. Vide not. ad Propert. III, 3, 4. — *Tacita lyra* de marmore, ut *tacita lætitia* de pictis tabulis II, 6, 32.

7. *Myron*, Eleutheris natus, signorum peritissimus artifex, in imitandis bobus præsertim excelluit. Plin. Hist. Nat. XXXIV, 8. — *Vivida signa*. *Vivere* de figuris ad imitationem naturæ solemne est. Juvenal. VIII, 102: « Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis Phidiacum *vivebat ebur*. » *Spirare* ita Virgilius, Georg. III, 34: « Parii lapides, *spirantia signa*. »

9. *Claro*. *Clario* in vulgatis editionibus, quod primus dedit Scaliger, uno addicente Codice. Falsum et vitiosum hoc, quomodocumque capias: sive cum ipso Scaligero *templum et Clario et patria Ortygia carius Apollini*; ita enim perversa loci constructio erit; sive *Clario* (Apollini) *surgebat templum Ortygia carius*; in quibus præter nomen bis positum dei (*Clario* et *Phœbo*), inepte *Clarius* ab Claro insula Apollo memorabitur, qui *Palatinus* est. Recte igitur scripti boni omnes cum iisque Lachmannus: « Tum medium *claro* surgebat marmore templum, Et patria Phœbo carius Ortygia. » *Templum* de *claro marmore*, splendente et pellucido, quæ marmoris albi natura est, inprimis Parii. *Candidum* Ovidius illud templum dicit loco supra adducto (Trist. III, 1, 60), sive colorem ejus sive nitorem respiciens. — *Ortygia*. Vetus Deli nomen est, a coturnicibus inditum, quas vocarunt Græci ὄρτυγας.

11. *Auro currus*, ex auro. Voca-

Et valvæ, Libyci nobile dentis opus,
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

bulum istud *Auro* Beroaldus unde receperit non constat, nisi quod liber apud Burmann. interpolatus unus exhibet, et alii duo non meliores subindicant. Sinceri cæteri (Regii etiam, quibus utimur, C, D) *Et quo;* unus *Ex quo*. Lachmannus legit : « *Ergo* Solis erat supra fastigia currus. » Positum *Ergo*, ut erit mox III, 3, 29, ubi vide. — *Supra fastigia.* Simulacra deorum vecta curribus mos antiquus fuit summis templis imponere; de quo Festus in *Ratumona.*

12. *Et valvæ*, etc. Observatione digna structura hic orationis est : « Et *valvæ* (Libyci nobile dentis opus) *Altera* dejectos Parnasi vertice Gallos, Altera *mœrebat* funera Tantalidos. » Ita Suetonius tamen in Cæsare, cap. 89 : « *Damnati* omnes (percussores Cæsaris) *alius* alio casu *periit.* » Neque aliter Cicero, de Offic. I, 41 : « Ut enim *pictores*, et *ii*, qui signa fabricantur, et vero etiam *poetæ*, suum *quisque* opus a vulgo considerari *vult.* » — *Libyci dentis opus*, cælatæ eburneæ. — *Mœrebat*, referebat mœsta imagine. Audacter quidem dictum hoc; quamquam non multum magis *valvæ* mirabimur *mœrorem*, quam aliis in locis *dolorem frigoris*, vel *opum querelas*, vel *focorum ruborem*. Scilicet libro I, 16, 23 : « Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem, *Frigidaque* Eoo me *dolet aura* gelu. » Et III, 13, 1 : « Quæritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis, Et Venere exhaustæ damna *querantur opes.* » Libro IV, 11, 37 : « Testor majorum cineres... nec ulla Labe mea vestros *erubuisse focos.* » — *Dejectos Gallos Parnasi vertice*, quum duce Brenno prædam quærentes templum Apollinis Delphici in Parnasso invaderent. Nimirum, ulciscente deo injuriam suam, pars abrupta montis scandentes stravit barbaros, cælum ipsum deinde frigoribus et grandine plurimos absumsit. Rem fuse narrat Justinus, XXIV, 6 sqq. — *Tantalis*, Tantali Niobe filia, de cujus *funeribus* vide ad II, 20, 7.

15. *Deus ipse Pythius*, Apollinis ipsius statua, Scopæ opus (vide Plin. Hist. Nat. XXXVI, 5), inter Latonam Dianamque media. — *In longa veste;* qualiter eum cum cithara nummi veteres exhibent. — *Sonat.* Meminit consuetæ sibi formæ Propertius, *steterant* versu 7 et hoc nostro *sonat* cum variis imperfectis jungens, ubi unum tempus (imperfectum vel præsens) per totum carmen recta grammatica poscebat. Vide I, 10, 2.

ELEGIA XXXII.

AD CYNTHIAM.

ARGUMENTUM.

Invehitur in Cynthiam : Ecquid te tam sæpe juvat, relicta Roma, versari per viam? consilio quo nunc Prænestе ferri, nunc adire Tibur, aut Ariciam visere? quid de te hoc est, publicum multitudinis conspectum quærere? Agnosco, inquit, agnosco fallaciam tuam : ut alienis amoribus vaces, oculos meos, perfida, tentas effugere. Aperte per urbem te rumor incusat : disce, o Cynthia, timere tibi; disce curam famæ non prorsus mittere. Sed mox iræ sensus corrigens poeta : Morari possum ego credulus dicta vulgi levia? an non decretam sortem, quam formosæ subeant, invidiam esse? Immo, quod si vere de culpa admissa nonnulla constet, nesciam ego tam parvam injuriam ferre? Absolvit te, inquit, o mea lux, vetus ævum exemplis suis; absolvunt te nostri hac ætate mores; jam vive libera, et pecca (per me licet) quod voles.

Qui videt, is peccat : qui te non viderit ergo
Non cupiet; facti crimina lumen habet.

1. *Is peccat, qui videt;* is amat, is amore peccat, qui videt; in oculis crimen amoris est, ut altero versu dicit poeta. *Peccare* autem ita Tibullus usurpat, IV, 7, 9; *amore peccare* Horatius, Carm. I, 27, 17. Vide notata nostra I, 5, 25. — *Qui te non viderit.* Ita libri MSS. omnes, *qui te.* Auribus minus placet, quod ex editt. vetustis Barthius et *Kuinoel* dedere, *qui non te viderit.* Scaligeri prætereo commentum, a quo transposita omnia in carminibus tribus his esse monuimus ad eleg. 30. — *Facti crimina lumen habet.* Ex mera scribendi oscitantia natum hoc, ut recte statuunt critici. Corrige : « Qui videt, is peccat : qui te non viderit ergo Non cupiet; *facti lumina crimen habent.* » Veram lectionem Scaligeri Codex indicat, in quo, si Heinsio fides : *facti lumina crimen habet.*

Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes,
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur toties te via ducit anus?
Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis,
Cynthia! nam tibi me credere turba vetat,

3. *Nam quid.* Pro *Quidnam*, *Ecquidnam*, intelligo positum. Particulæ *nam* locus non est, ubi, quod observamus hic, destituuntur connexu quæ præcesserunt et sequuntur. Diversa res erat II, 4, 15. — *Prænestis. Sortes Prænestis* pro Prænestinis sortibus dictum vitiosa forma est. Ad hoc scripti Codd. omnes non *Prænestis* sed *Prænesti* exhibent, quod ne quis ablativo casu positum ferri posse existimet, Prisciani verba faciunt, lib. VII, pag. 759. Parva igitur mutatione Lachmannus : « Nam quid *Præneste in* dubias, o Cynthia, sortes, Quid petis Ææi mœnia Telegoni? » Quid Præneste tendis, inquit, illas dubias sortes quæsitum? — *Præneste*, dictum nunc Italis *Palestrina*, Latii oppidum, in quo celeberrimum illud templum et oraculum Fortunæ, scriptoribus laudatum innumeris locis. Vide modo Cicer. de Divinat. II, 41. — *Mœnia Telegoni*, Tusculum, nostro hoc ævo *Frascati*, a Telegono conditum, Ulyssis ex Circe filio. *Ææus* autem Telegonus, Colchicus, ut *Ææam Circam* dixit Virgilius, Æneid. III, 386.

5. *Esseda.* Vide not. ad II, 1, 76. — *Tibur*, recenti nomine *Tivoli*, in declivi colle non longe ab urbe situm, amœnitate sua inter delicias Romanorum fuit. *Herculeum*, Herculi sacrum : vide interpp. ad Silium Ital. IV, 224. — *Appia via anus*, hoc est, *annosa*, Statio interprete Silv. IV, 3, 163. Sic *terram anum* Plinius, et *testam anum* Martialis dixerunt, Hist. Nat. XVII, 5, epigr. I, 106. In scriptis plerisque libris inepte legitur, « Appia cur toties *te* via ducit *anum?* » sensu non absurdo frustra conantibus viris doctis exponere. Veram scripturam, *anus*, Codices nonnulli servarunt, ex quibus Mentelianus est. — Appia via locus fuit, in quo se exquisiti cultu juvenes cum feminis elegantioribus conspiciendos dabant. Cicero, pro Cœlio, cap. 14, Appium Cæcum auctorem viæ ex inferis evocat, qui Clodiam incusans : « ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebrares? » Ab Appia illa Romanorum via non differunt campi, quos *Elysios* dicimus, Lutetiæ nostræ adjacentes.

7. *Hoc loco*, in ipsa urbe. — *Quodcumque vacabis*, quidquid tibi otii erit. — *Nam.* Vulgo : « *sed* tibi me credere turba vetat; » turbante particula ista *sed* orationis connexum. Scribe *nam tibi me*, quod sensu recto Groninganus exhibet. Utinam, inquit, te Roma teneat! neque enim de fide tua mihi non oritur dubium, quoties

Quum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, et Triviæ lumina ferre deæ.
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis!
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt,
Et, leviter lymphis tota crepitantibus urbe,
Quum subito Triton ore recondit aquam!

Triviæ deæ vota ferens hominum in te convertis oculos. — *Triviæ nemus.* Dianam Aricinam dicit (ab Aricia, sub Albano monte), cujus ad aram ferre ardentes faces, ut in sacris Cereris ac Proserpinæ, mos fuit. Vide Gierig. ad Ovid. Fast. III, 263 sqq. Ad ipsum hunc Propertii locum lege præterea quæ notavit Lachmannus.

11. *Scilicet*, etc. Carpit sub ironiæ forma Cynthiam. Scilicet, inquit, spernenda tibi Pompeia porticus cum arboribus suis ac fontibus videtur! (Vide ad vs. 13.) — *Umbrosis columnis*, de quibus quippe pendebant aulæa. — *Aulæa Attalica;* texta, stragula, quibus nomen ab Attali *aula* inditum. Vide not. ad II, 13, 22.

13. *Et creber platanis*, etc. Ad illam porticum consitas exstitisse arbores, docet etiam Martial. epigr. II, 14, 10. *Pariter surgentes platani* sunt, quas cum arte facit frondator pares altitudine. — *Et quæ flumina cadunt sopito Marone.* De sopito Marone hoc nihil constat; quamquam satis clare superpositum fonti vel aquæ castello signum intelligimus. Maronem alterum vinitorem Turnebus memorat Osiridis comitem; alterum, Peloponnesi fluvium, Scaliger, ab Alpheo non dissitum. De talibus ferendum linquimus judicium iis, quos non piget in minimis tempus et operam consumere.

15. *Et, leviter lymphis*, etc. Fontem alium intellige, quem statua Tritonis facit. Structura autem loci hæc: « Et sordet tibi, quum, tota urbe lymphis leviter crepitantibus, subito Triton ore recondit aquam! » Scilicet per tubos subterraneos fluens unda leviter crepitat, quam Triton intus excipit et effundit ore suo. *Recondere*, promere, emittere, quo plane modo *recludere* et *retegere* et *recingere* dicitur, in quibus addita verbis syllaba *re* negationem exprimit. Sic et *religare juga* pro solvere Catullus posuit Carm. LXIII, 84, ne Doeringii alteram explicationem rectam esse cogites. Cæterum in disticho hoc nostro, vs. 15, *Nymphis crepitantibus* editi libri omnes pro *lymphis* agnoscunt. Hoc Broukhusius de statuis ab Agrippa positis intelligebat, quod esse falsum vidimus: sed vel ita, hoc est, si fontes ipsos Propertius diceret, quis putidum verbum *crepitare* cum *Nymphis* positum ferat? *Lymphis* dedit Lachmannus, quæ Codicis Groningani recta scriptura est.

Falleris : ista tui furtum via monstrat amoris.
Non urbem, demens, lumina nostra fugis.
Nil agis : insidias in me componis inanes ;
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est : famæ jactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras pervenit ad aures
Rumor, et in tota non bonus urbe fuit.
Sed tu non debes inimicæ credere linguæ :
Semper formosis fabula pœna fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno ;
Testis eris puras, Phœbe, videre manus :
Sin autem longo nox una aut altera lusu

17. *Falleris : ista tui*, etc. Ineptum et corruptum, ut ipsa res indicat, vocabulum istud *Falleris*. Emendatione certa Lachmannus : « *Fallor*, *et* ista tui furtum via monstrat amoris. » Error, inquit, facilis est. Quum enim, vocula *et* forte fortuna omissa, *Fallor ista* scriptum esset, syllaba sequente repetita defectus sarciri posse visus est.

21. *Sed de me minus est ;* sed linquamus id, quod me ipsum tangit. — *Tanta... quanta ;* hoc est, tam gravis ac dolenda, quantum.

23. *Nuper*, etc. Scripti plerique et editi libri omnes : « Nuper enim de te nostras *me lædit* ad aures Rumor, et in tota non bonus urbe fuit. » Duplex in iis vitium : orationis structura hæc, *Rumor de te ad aures nostras me lædit*, positum pro rumore, qui de te venit ad aures meas ; tum *lædit* cum *nuper* junctum, id est, cum præterito tempus præsens. Recte Groninganus Codex, quem cæteris posthabitis sequimur : « Nuper enim de te nostras *pervenit* ad aures Rumor, et in tota non bonus urbe fuit. »

25. *Sed tu*, etc. Propertii ad se ipsum verba sunt, quibus id, quod præcessit dictum, redarguit : « Sed quid ego credulus ? quid rumores istos adtendere ? nonne vulgi lingua ab omni tempore formosis nocuit ? Veneno puras habet Cynthia manus ; quæ si forte aliquid in amorem nostrum peccaverit, dare novi ego parvis criminibus veniam. » Bene igitur *Sed tu* cum scriptis libris omnibus *Kuinoel* Lachmannusque dederunt, pro quo cæteri præeunte Scaligero : « Sed *te* non debes inimicæ credere linguæ, etc. » (Ut casta sis, non postulo, sed hominum saltem ut tibi linguam caveas.) — *Testis eris, Phœbe, puras videre manus ;* spectandis puris ejus manibus tu, Sol, testis ades. — *Lusu.* Vide ad II, 15, 21.

Consumta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
Et sine decreto viva reducta domum.
Ipsa Venus fertur corrupta libidine Martis,
Nec minus in cælo semper honesta fuit;
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes adcubuisse deam;
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
Silenique senes, et pater ipse chori,
Cum quibus Idæo legisti poma sub antro,
Subposita excipiens Naica dona manu.

32. *Et reducta*, reducta nihilominus, *viva domum*. — *Sine decreto*; sine pœnæ decreto ullo; scilicet, quod in adulteram uxorem Menelaus ferret. Pœnæ significationem hanc vocabula manifeste indicant « *viva* reducta domum. » *Est* in extremo versu (*viva reducta domum est*) agnoscunt scripti Codd. alii non bene.

33. *Ipsa Venus*, etc. Libri plerique, ex iis meliores : « Ipsa Venus *quamvis* corrupta libidine Martis *Nec* minus in cælo semper honesta fuit. » *Quamvis* sequente *Nec minus*, etsi tentat *Kuinoel* cum Barthio defendere, structura orationis est, quam grammatica rejicit. Broukhusius Burmannusque : « Ipsa Venus, quamvis corrupta libidine Martis, *Num* minus in cælo semper honesta fuit? » Egregie, nisi quod *Num minus* Francius de conjectura reposuit. Veram lectionem, ut videtur, ex uno suo inter omnes Codice Lachmannus enotat, quocum legimus : « Ipsa Venus *fertur* corrupta libidine Martis; *Nec minus* in cælo semper honesta fuit. » In hunc versum irrepsit *quamvis* ex altero disticho.

35. *Quamvis*, etc. Referre nova hæc ad OEnones et Paridis amorem sententia multorum fuit, sed quos interpretatione sua pervertere loci constructionem patet; ita porro : « Quamvis dea (Nympha OEnone) pastorem Parim in Ida amaverit, interesse illorum amoribus nec Hamadryades nec Sileni recusarunt, cum quibus tu, Nympha, poma legisti sub antro Idæo. » Scilicet, versus duos 39—40 de Scaligeri mutatione in hunc modum constitutos legunt : « Cum quibus Idæo legisti poma sub antro, Subposita excipiens, *Nai*, *caduca* manu. » OEnones alienam hic esse commemoratam historiam Burmannus vidit, omnia ad unam Venerem pertinere statuens exactissimo sensu. Ita cape : « Ipsa Venus dicitur Martis libidine corrupta; ideo non minus in cælo semper honesta fuit; honesta illa nec minus fuit, quamvis Ida testetur amavisse eam pastorem Parim, et hoc Hamadryades Silenique vide-

An quisquam in tanto stuprorum examine quærit,
Cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit!
Hæc eadem ante illam impune et Lesbia fecit:
Quæ sequitur, certe est invidiosa minus.
Qui quærit Tatios veteres, durasque Sabinas,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu,
Quam facere, ut nostræ nolint peccare puellæ.
Hic mos, Saturno regna tenente, fuit;
Et quum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.

rint, cum quibus tu, dea, poma ex arboribus legisti.» — *Quamvis dicat Ida. Dicere* pro significare, testari, ut I, 20, 4, IV, 7, 38. — *Hamadryadum.* Vide ad I, 20, 32. — *Pater ipse chori*, chori princeps et rector Bacchus. — *Legisti.* Vide not. ad III, 13, 42. — *Idæo sub antro.* Burmannus interpretatur *ad montis Idæ radices*, quod noli verum credere. Sed Venus, dum sub antro (sub antri tecto) recubat, excipit manu colligitque poma, quæ jaciunt illi dona de ramis arborum Naides (Nymphæ quibuscum ludit). — *Naica dona* scripti ferunt libri omnes, quod vocabulum *Naicus*, etsi novum est, firmat analogia, cum Lachmannoque defendimus.

44. *Si contra mores facit* (peccat) *una* (nec amplius) *puella*; (Cynthia scilicet.)

45. *Hæc eadem*; parva amoris crimina. — *Lesbia*; quam celebravit amatam Catullus. — *Invidiosa minus est*; invisa, vituperanda minus. De majore versu vide Lachmannum.

47. *Qui quærit.* Supple ex altero versu *in urbe nostra.* — *Tatios veteres, durasque Sabinas*; homines veteribus Tatiis, asperis Sabinis æquales feminas. Tatium se esse, antiquis rigidisque moribus, Martialis negat epigr. XI, 104, 2. Sabinas eodem, quo Noster, sensu Ovidius nominat, Amorr. II, 4, 15. — *Hic posuit*, etc. hic in urbe nostra novissimus est, ignorat hic prorsus Romam nostram.

52. *Hic mos*, culpæ nescia vita hæc. — *Et quum Deucalionis aquæ*, etc. Tempore quo scilicet in terris totis mortales supererunt duo. *Et post antiquas*, etc. Quia tum paucissimi adhuc erant et lapideum genus. Hac ætate puellas peccasse rectissime negat poeta. Lachmannus.

Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum? 55
Quæ dea cum solo vivere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut aiunt,
Corrupit torvi candida forma bovis:
Nec minus ærato Danae circumdata muro
Non potuit magno casta negare Jovi. 60
Quod si tu Graias tuque es imitata Latinas,
Semper vive meo libera judicio.

60. *Negare*, se negare, *magno Jovi*: pronomen ex ipsa sententia supplendum est. Sic *negare* (se negare) *Veneri* Hippolytus dicitur IV, 5, 5. Danaes autem fabula nota omnibus est, quam inclusam carcere (vide eleg. 20, 10) demissus imber aureus tradidit Jovi.

61. *Quod si....* Burmannus: « Quod si tu Graias, *seu sis* imitata Latinas, Semper vive meo libera judicio. » De priore versu nota Lachmanni est: Recte hæc conjungerentur, *si* et *seu*, si dubium esset Propertio de imitatione: nunc certum ei est, Cynthiam aut Græcas aut Latinas imitari, sed utras imitetur non constat: ergo in utroque membro debuit *seu* poni. Ne quis tamen hac ipsa ratione tentet tum Heinsio, « Quod *seu* tu Graias, seu sis, etc. » longe aliud quid libri subindicant. Nam scripti fere omnes, et impressi ante Beroaldum alterumque exemplar Volsci, non *seu sis* exhibent, sed « *tuque es* imitata Latinas, » pauci vitato errore metrico, quem facit *es* ante *imitata* productum, *tuque es mirata*. Nihil tamen ex his verum est, in quibus inepte præbet Noster veniam faciliorem ideo, quod Græcas aut Latinas Cynthia imitata sit. Repono: « Quod si tu Graias *æques* imitata *Latina*, Semper vive meo libera judicio. » — *Libera judicio meo*, extra judicium et reprehensionem meam.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Qui videt, is peccat*, etc. Interpres La Fontaine, *Contes* (*le Diable en enfer*), ubi feminas adloquens:

Une vertu sort de vous, ne sais quelle,
Qui dans le cœur s'introduit par les yeux.
Ce qu'elle y fait, besoin n'est de le dire:
On meurt d'amour, on languit, on soupire;
Pas ne tiendrait aux gens qu'on ne fît mieux.

20. *Tendis iners docto retia nota mihi.* Bertin, *Amours*, I, *élégie* 10:

Épargnez-vous des détours superflus
Pour abuser ma crédule tendresse:

Je le vois trop, je n'ai plus de maîtresse ;
Vous m'oubliez, et vous ne m'aimez plus.

26. *Semper formosis fabula pœna fuit.* VOLTAIRE, *Épîtres*, *XXXV*, (*à madame du Chatelet, sur la calomnie*) :

Et nommez-moi la beauté, je vous prie,
De qui l'honneur fut toujours à couvert.
Lisez-moi Bayle, à l'article *Schomberg ;*
Vous y verrez que la Vierge Marie
Des chansonniers comme une autre a souffert.

30.... *non me crimina parva movent.* LA FONTAINE, *Contes* (*la Coupe enchantée*), fidem respiciens non semper firmissimam mulierum :

Qu'est-ce enfin que ce mal dont tant de gens de bien
Se moquent avec juste cause?
Quand on l'ignore, ce n'est rien,
Quand on le sait, c'est peu de chose.

33. *Ipsa Venus fertur*, etc. Confer CHAULIEU, tom. I, pag. 92, *à M. l'abbé Courtin :*

L'amour fut-il jamais fait pour être durable?
.....
Le père des hérps, ce dieu si redoutable
Que la Victoire suit partout dans les combats,
Avait beau paraître estimable ;
Sa maîtresse ne laissa pas
De découvrir à nu ses plus secrets appas
Au berger qui parut aimable
A la femme de Ménélas.

45. *Hæc eadem ante illam impune et Lesbia fecit*, etc. LA FONTAINE, *Contes*, *la Fiancée du roi de Garbe :*

Que l'on la blâme ou non, je sais plus d'une belle
A qui ce fait est arrivé,
Sans en avoir moitié d'autant d'excuses qu'elle.

47. *Qui quærit Tatios veteres*, etc. Idem, ibidem, *la Coupe enchantée*, de maritis non inconstantibus et vagis :

Où sont-ils ces maris? la race en est cessée ;
Et même je ne sais si jamais on en vit.
.....
Les gens d'alors étaient d'autres gens que les nôtres :
On ne vivait pas comme on vit.

47.... *durasque Sabinas*, etc. Idem, ibidem, *le Roi Candaule et le Maître en droit :*

.... en ce siècle ignorant,
Le beau sexe était sauvage.

Il ne l'est plus maintenant ;
Et des louanges pareilles
De nos dames d'à-présent
N'écorchent point les oreilles.

Et mox, in eodem carmine :

Rome pour ce coup-ci me fournira la scène ;
Rome, non celle-là que les mœurs du vieux tems
Rendaient triste, sévère, incommode aux galans,
Et de sottes femelles pleine ;
Mais Rome d'aujourd'hui, séjour charmant et beau,
Où l'on suit un train plus nouveau.
Le plaisir est la seule affaire
Dont se piquent ses habitans :
Qui n'aurait que vingt ou trente ans,
Ce serait un voyage à faire.
.....
J'ai pitié des gens neufs comme vous. Notre ville
Ne vous est pas connue, en tant que je puis voir.
Vous croyez donc qu'il faille avoir
Beaucoup de peine à Rome en fait que d'aventures?
Sachez que nous avons ici des créatures
Qui feront leurs maris cocus
Sur la moustache des Argus :
La chose est chez nous très-commune.
Témoignez seulement que vous cherchez fortune, etc.

61. *Quod si tu Graias.... Semper vive meo libera judicio.* PARNY, *Mélanges* (in carmine cui titulus, *Courroux d'un amant*), culpa infidæ puellæ remissa :

J'avais trop compté sur sa foi ;
La beauté toujours est trompeuse.
Inconstante, va, sois heureuse,
Quand tu devrais l'être sans moi.

Quemadmodum hac elegia nostra Propertius, ita etiam VOLTAIRE Phyllidi cuidam levitatem persuadens, *Poésies mêlées, XIX*, (*à madame de* ***) :

Oui, Philis, la coquetterie
Est faite pour vos agrémens :
Croyez-moi, la galanterie,
Malgré tous les grands sentimens,
Est sœur de la friponnerie.

Vénus versa sur vous tous ses dons précieux :
Ce serait être injuste et les mal reconnaître
Que de vous obstiner à faire un seul heureux,
Lorsqu'avec vous le monde entier veut l'être.

Qu'est-ce que la constance? un vieux mot rebattu,
Des amans ennuyeux languissant apanage ;
Mais l'infidélité devient une vertu,
Quand on a vos attraits, votre esprit et votre age.

ELEGIA XXXIII.

DE SACRIS ISIDIS.

ARGUMENTUM.

Imprecatio in leges Isidis, de casto quod per decem noctes servavit Cynthia. Tu, dea, tu nostris adversari gaudiis! tu pudore nullo facere amantibus discidium! Memoria te, improba, amoris tui subeat, quum adhuc mortalis deperibas Jovem; disce, quod experta es, ignoscere aliis; sine Romanas liberas, sine liberam apud nos voluptatem esse. At porro, ubi jam Isidi datum quod religio poscebat, Veneris ut gaudia redeant, orat Noster Cynthiam : fructu tamen nullo tot amissas noctes queritur : amori præferre se vinum dura puella respondet.

TRISTIA jam redeunt iterum sollemnia nobis:
Cynthia jam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis,
Quæ dea tam cupidos toties divisit amantes! 5
Quæcumque illa fuit, semper amara fuit.

1. *Sollemnia*, sacra Isidis, de quibus vide quæ disseruit ad Tibullum nostrum, pag. 353 sqq. eruditus vir *de Golbéry*. — *Noctes decem*. In quibus Isidis sacris per decem dies abstinere vino concubituque hominum religio indicta feminis erat. *Isidis puros dies* ita dicit IV, 5, 34. *Tristia* igitur *sollemnia* sunt, quæ separant ab amica sua Propertium. — *Operari* proprie dicitur is, qui ritu quovis honorat deum.

4. *Inachis*. Vide ad I, 3, 20; II, 28, 18. — *Quæ Nilo tepente* (de Nilo tepente) *misit*, etc.

6. *Quæcumque illa fuit*, si vel aliquoties se gessit precantibus bonam; *semper amara fuit*, semper nihilominus amara et acerba fuit, quippe cujus leges secubitum præcipiunt. Ita capio: sed parum recte, fateor, si voluerit hoc, Propertius loquitur, nec, si cogitaverit aliud, possum intelligere. Firmat Lachmannus interpretationem nostram,

Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io,
Sensisti, multas quid sit inire vias;
Quum te jussit habere puellam cornua Juno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora,
Mansisti ut stabulis abdita, pasta, tuis!
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Juppiter, idcirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt;
Aut nos e nostra te, sæva, fugabimus urbe.
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.

conjectura juvans hac sua: « Quæcumque illa *facit*, semper amara *facit*; » quamvis bene faciat Isis cultoribus suis, amara tamen ejus beneficia sunt.

8. *Multas inire vias.* Interpretem viri docti adducunt Ovidium (Heroidd. XIV, 101), qui de ipsa Inachide, quum vacca erat: « Per mare, per terras, cognataque flumina curris; Dat mare, dant amnes, dat tibi terra *viam*: » (scilicet, ut variis cursibus suis edoctam intelligamus miseram, quid sit amantibus separari.) Sed alienum hoc et falsum. Voluptates dicit Propertius, quas cum suo Jove puella perceperit, *multas* autem *inire vias* (repetita sacra ferre Veneri) obscæno sensu posuit, ut mox erit *facere iter* vs. 22. Vide ad versum 12 notata.

10. *Perdere verba*, humanæ vocis usum.

12. *Mansisti*, etc. Codices editique libri omnes: « Mansisti stabulis abdita, pasta, tuis. » Heinsius *Mansisti et* reponebat, quod exigere videbatur structura. Sed unice vere Lachmannus *Mansisti ut*, eleganter hoc distichon ad superiora dicta referens, *Sensisti multas quid sit inire vias.* Scilicet: Io quum senserit quid sit tales inire vias, quum nosset quid esset amor, ut inclusa erat vacca stabulis, amatoris sui desiderio « quernis lædebat frondibus ora. »

13. *Agrestem figuram*, ferinam.

19. *Aut nos te fugabimus.* Confirmavit mox eventus prædictum. Anno 733 ejecisse Agrippam præfectum urbi sacra Ægyptia, auctor est Dio lib. LIV. Jam ante, republica libera, *senatus* (ut Valerii Maximi verbis utar, I, 3, 3) *Isidis et Serapis fana diruenda censuerat.* — *Gratia nulla* (gratia, amicitia numquam) *Nilo cum Tiberi fuit.*

At tu, quæ nostro nimium implacata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis, et verba sinis mea ludere, quum jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis; mediæ nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat, quicumque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare, Cecropiis merito jugulate colonis,
Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi,

21. *At tu*, etc. Dirigit ad Cynthiam verba. Si quis, recte notat Lachmannus, « hos versus a præcedentibus separandos censeret, non reprehenderem. Si conjunguntur, debemus dicere, Cynthiam, postquam decem noctes Isidi operata erat, paucorum dierum pausam fecisse, tumque hoc carmen scriptum esse, quum puella ad nova sacra bibendo sese pararet, Propertio autem sui copiam facere nollet. » — *Implacata*. Scripti Codices : « quæ nostro nimium *placata* dolore es; » frustra conantibus viris doctis accipere : « quam placare studui nimium dolore meo. » *Dolori* Scaliger eodem sensu nec melius reponebat : « quæ nostro nimium placata *dolori* es, » (dolenti mihi placata). Scribe cum Heinsio : « At tu, quæ nostro nimium *implacata dolore* es. » Facile elisit vox *nimium* sequentem syllabam *im*. — *Noctibus his vacui*, liberi, quæ sunt Isidi datæ; *ter faciamus iter*, ter amoris peragamus iter. Locutio obscæna est, quam iterum libro III posuit, eleg. 10, 32 : « Natalisque tui *ter peragamus iter*. »

23. *Ludere* de *verbis*, ut de *flatu* II, 25, 27. *Verba mea ludere*, permixta vento ludere, irrita cadere non audita. — *Icarii boves*, Icarus Bootes. Icarus in Attica quum excepisset Bacchum hospitio, donum dei remuneratus habuit utrem plenum vino. Participes muneris facit Icarus pastores quosdam amicos suos, qui inebriati venenum se rati hausisse, miserum interficiunt. A Baccho relatus inter sidera Arcturus dicitur, stella in signo Bootæ posita. Cf. Hygini Astron. II, 4. *Tarda* autem *sidera* flectit et inclinat Icarus Bootes, quæ sub extremam noctem, adveniente die, occidunt et evanescunt cælo. *Piger* hoc sensu Bootes apud Ovidium, Fast. III, 405; *tardus* Metam. II, 177.

25. *Lenta bibis*, lente ac diu.

27. *Meraeas uvas*, merum. — *Nectar* pro vino, ut etiam Virgil. Georg. IV, 384.

29. *Icare;* de quo diximus vs. 24. — *Cecropius*, ut II, 20, 6.

31. *Eurytion* Centaurus, *Eurytus* inflexione Latina dictus Ovidio, Metam. XII, 220, in nuptiis Piri-

Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit; vino corrumpitur ætas;
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum! ut multo nihil est mutata Lyæo!
Jam bibe; formosa es; nil tibi vina nocent,
Quum tua præpendent demissæ in pocula sertæ,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice.
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter:
Est quiddam, quod vos quærere cogat Amor.
Semper in absentes felicior æstus amantes:
Elevat adsiduos copia longa viros.

thoi occisus est. — *Polypheme;* quem vino Ulysses sopivit, ut jacenti effoderet oculum suum. — *Ismarium merum*, Thracium. Prius enim vidit Ulysses Ismara, quam patriam Polyphemi Siciliam tangeret. Conf. III, 12, 25—26.

35. *Me miserum!* Exclamatio admirantis est. — *Ut multo*, etc. ut nihil decorem ejus (Cynthiæ) lædunt multa pocula! Jam igitur bibe, inquit, nihil minus formosa es, *quum tua præpendent*, etc. De qua particula *quum* vide not. ad IV, 10, 40.

37. *Sertæ*, flores, quibus ornabant sibi convivantes frontem. *Sertas* feminino genere præter usum dicit Propertius, notante Charisio grammatico, Inst. Gramm. I, pag. 83, ed. Putsch. — *Deducta vox*, tenuis ac mollis.

42. *Quiddam.* Vide notata II, 22, 11.

43. *Semper*, etc. semper in absentem virum æstuat ardentius femina; nos absentes absentia nostra ipsa juvat. — *Elevat longa copia adsiduos;* at contra deprimit semper adstantes præsentes copia.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Tristia jam redeunt*, etc. Conf. PARNY, lib. I, *Fragment d'Alcée :*

Quel est donc ce devoir, cette fête nouvelle,
Qui pour dix jours entiers t'éloignent de mes yeux?
Qu'importe à nos plaisirs l'Olympe et tous les dieux,
Et qu'est-il de commun entre nous et Cybèle?
De quel droit m'ose-t-on arracher de tes bras?
Se peut-il que du ciel la bonté paternelle
Ait choisi pour encens les malheurs d'ici-bas? etc.

ELEGIA XXXIV.

AD LYNCEUM POETAM.

ARGUMENTUM.

Audaciæ crimen indignatur Lynceï, qui nuper tentaverit corrumpere Cynthiam. Jam igitur in amicitia fidem nullam esse? tu me, Lynceu, sodalis sodalem fallere? tu petere quod amo, nec conscire tibi perfidiam tuam? Sed in hoc demum, te potius erroris, quam culpæ, reum faciamus licet: vino captus, amice, eras, quum læsisti Cynthiam; capiti non sano ignosco temeritatem suam. Cæterum, gratulatur Noster cum risu Lynceo, quod se quoque, tam firmum huc usque adversus Venerem, feminea figura molliri passus sit: amatorem illum factum, ut philosophiæ suis libris valedicat, hortatur; actum jam de sene Epicuro esse, Callimacho sibi cum Phileta poscentibus locum. Hos, inquit, sequere; horum tu imitator cane quod puellis placet; levibus Musis suam quoque gloriam esse, quas Virgilius, quum Tityrus erat, non adspernatus est.

Cur quisquam faciem dominæ jam credat Amori?
Sic erepta mihi pæne puella mea est.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis:
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.

1. *Cur quisquam faciem*, etc. ecquis jam (post ea, quæ sum expertus) Amori committat puellam suam?

3. *Nemo est in amore fidelis.* Vide La Fontaine, *Contes*, in fabula quam inscripsit *le Roi Candaule et le Maître en droit.*

5. *Polluit ille deus* (Amor) impuris ignibus, adulterio, *cognatos.* — *Et bene concordes*, etc. Cf. Imitat. Gall. ad II, 6, 15.

Hospes in hospitium Menelao venit adulter;
Colchis et ignotum nonne sequuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti, perfide, curam
Tangere? nonne tuæ tum cecidere manus?
Quid? si non constans illa et tam certa fuisset,
Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitæ, te corporis esse licebit;
Te dominum admitto rebus, amice, meis;
Lecto te solum, lecto te deprecor uno:
Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras,
Stultus, quod stulto sæpe timore tremo.
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed numquam vitæ fallet me ruga severæ:

8. *Ignotum virum*, peregrinum et ignotum Jasonem.

9. *Perfide, curam Tangere?* Editi libri: *tangere curam? Perfide, nonne tuæ*, etc. Firmant priorem verborum ordinem scripti meliores. — *Curam meam*, quæ mihi curæ puella est. — *Nonne tuæ tum cecidere manus?* Pariter Ovidius, Amorr. I, 7, 23, verberatam exprobrans sibi Corinnam suam: « Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos: Utilius potui parte carere mei. » In Propertii versu *tum* pro *tunc* scribimus, libris apud Burmannum longe plurimis addicentibus. Vide not. ad I, 7, 21. — *Lynceus;* nomen fictum, ut alia sunt in carminibus his, sub quo latere Ponticum, ad quem est elegia 7 libri I, conjectemus licet. Scripsit enim heroica Ponticus, et Lyncei Homericum ingenium ridet Noster vs. 45.

14. *Tantum modo;* disjunctis, ut sæpe, syllabis; hoc est, *tantum-modo*.

16. *Te dominum*, etc. participem te dominumque facio rerum omnium mearum.

19. *Meas umbras æmulor*, rivalem timeo ipsam umbram meam. — *Solus*, quum solus sum, præsente nullo. — Conf. Imitat. Gall. ad II, 6, 9.

22. *Errabant multo*, etc. Scilicet, inquit, quum tentavisti Cynthiam, vino captus eras et errabant verba tua.

23. *Ruga vitæ severæ;* hoc est, indicium ruga vitæ severioris; adspectus rigidus, quo se philoso-

Omnes jam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores;
Solum te nostros lætor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit, aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Lucreti tibi prosunt carmina lecta?
Nil juvat in magno vester amore senex.
Tu satius memorem Musis imitere Philetam,

phus ille ferebat Lynceus. Adposite Ovidius, Amorr. I, 8, 45: « Has quoque quas frontis rugas in vertice portas Excute; de rugis crimina multa cadent. »

25. *Seros insanit amores*, tardis curis pallescit, ut loquitur Noster I, 13, 7. *Insanire* autem cum quarto casu constructum firmat Horatius, sat. II, 3, 63: « Huic ego vulgum Errori *similem* (*errorem*) cunctum *insanire* docebo. » — *Solum te;* te, qui huc usque fuisti solus, quem puella nulla sibi devinxerat. — *Te.* Mutata persona, ut innumeris Propertii locis. Vide not. ad II, 9, 15. — *Deos nostros*, quos ego veneror; Cupidines, Venerem.

27. *Socratici libri;* Academiæ scripta philosophica, quæ *Socraticam domum* Horatius dicit, Carm. I, 29, 14. — *Rerum vias*, rationem et modum. *Causas* ita Virgilius in Georgicis: « Felix, qui potuit *rerum* cognoscere *causas.* »

29. *Lucreti.* Pro quo *Cretæi* in Codicibus aliis, in aliis *Erechthei* legitur, utrumque perperam. De posteriore hoc nihil est, quod moneamus; alterum nomen *Cretæus*, quo significari Epimeniden philosophum volebat Vulpius, nec satis intelligitur, et contra linguæ regulas positum Lachmannus vituperat, a *Cretensi* differre notans *Cretæus*, quorum illud recte gentile nomen significet, hoc vero possessivum sit. *Lucreti* Turnebus dedit et Scaliger, ut *vestrum senem* intelligamus Epicurum; ingeniose quidem, fortasse tamen non verissime. Oritur enim dubium, an non veteris alicujus auctoris Græci potius, quam recentioris Latini, ex ipsa ingenii sui natura Propertius meminisse voluerit. — *Tibi prosunt.* Groninganus cum aliis paucis *prosunt tibi*, quem verborum ordinem Lachmannus non satis persuadet meliorem esse.

31. **Tu satius*, etc.* Vulgo: « Tu satius Musis *meliorem* imitere Philetam; » ut *Musis meliorem* sit *Musis ipsis suavius canentem*, vel *Musis acceptiorem* (quam ille *senex* Epicurus), ut apud Ovidium, Remed. Amor. 761, « Me certe Sappho *meliorem* fecit *amicæ.* » Eam autem scripturam, ait Lachmannus, nullus bonus liber agnoscit. Optimi (Regii etiam nostri C, D): « Tu satius *memorem* Musis imitere Philetam. » Sed ne sic quidem hæc intelligi possunt. Adparet tamen vitii sedes, quia,

Et non inflati somnia Callimachi.
Nam, cursus licet Ætoli referas Acheloi,
Fluxerit ut magno fractus amore liquor;
Atque etiam ut Phrygio fallax Mæandria campo
Errat et ipsa suas decipit unda vias;
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion,

Schradero observante, optimorum auctorum consuetudo fert, ut dicatur « *Satius est imitari* Philetam, » juncto *satius* cum infinitivo, et altera illa forma « Tu *satius imitere* » exemplo destituatur. Locus ita corrigendus videtur: « Tu *Battus* memorem Musis imitere Philetan. » *Battus*, casu secundo; amicam Philetæ potuit *Batto* dicere, nam idem nomen est Βαττὼ et Βαττίς. *Battidem* duobus locis Ovidius adpellat. Hæc Lachmannus. — De *Philetæ* vide III, 1, 1. — *Somnia.* Varie argutantur in hoc interpretando vocabulo critici. Sed de sensu ne dubita : *somnia* dicit Propertius figmenta, quæ suggessit Callimacho ingenium suum, Ita nos : *les rêves de l'amour, de la poésie, de la jeunesse.* — *Non inflati.* Vide not. ad II, 1, 40.

33. *Nam, cursus*, etc. Impressi libri: « *Non rursus* licet Ætoli referas Acheloi *Luxerit* ut magno fractus amore liquor; » (non licet versibus tuis referas, qualiter olim amore fractus Achelous fleverit;) in quibus intelligi nequit vocabulum *rursus*, quocumque modo tentes accipere (pro quo *Non cursus licet.... referas* meliore sensu dedit *Kuinoel*), absurda autem et ridicula *lugentis liquoris* figura est. Sed istud *Luxerit* ab Heinsio provenit et Broukhusio. Scripti omnes *Fluxerit;* meliores autem *Nam* pro *Non*, tum *cursus* pro *rursus* Groninganus cum aliis nonnullis, ex quibus Regius D. Scribe: « *Nam, cursus* licet Ætoli referas Acheloi, *Fluxerit* ut magno fractus amore liquor; Atque etiam ut Phrygio, etc. » Frustra, inquit Noster, Acheloi fatum aut Mæandri sinus Adrastive nobilem equum versibus heroicis canes : Amphiaraum Capaneumque et alia id genus epica referre, in amore nil quidquam prodest. Similis expressa sententia I, 9, 9—12. — *Achelous Ætolus*, qui Ætoliam ab Acarnania separat. — *Ut amore magno fractus fluxerit;* scilicet, cui fregit Hercules in certamine alterum ex cornibus suis, iratus, quod amare ille Dejaniram ausus esset. Vide Ovid. Metam. IX, 1 sqq.

35. *Atque etiam*, etc. De Mæandri lusibus Seneca, Herc. Fur. 683: « Qualis incerta vagus Mæander unda ludit, et cedit sibi, Instatque dubius, litus an fontem petat. » Ovid. Heroidd. IX, 55 : « Mæandros, toties qui terris errat in isdem, Qui lassas in se sæpe retorquet aquas. »

37. *Arion*, Adrasti equus, domino vitam salvam præstitit. Vide Hygin. fab. 70. Inter duces Adrastus erat, qui de Thebis Polynici recuperandis pugnarunt. *Vocalis* autem Arion, humana voce præditus, et futura vaticinans. Ita sunt

Tristia ad Archemori funera victor equus :
Non magna Amphiaraeæ prosunt tibi fata
Quadrigæ, aut Capanei grata ruina Jovi. 40
Desine et Æschyleo componere verba cothurno,

Tibullo *vocales boves* II, 5, 78. — *Archemorus*, Lycurgi ex Eurydice filius (Lycurgus rex Nemeæ), serpentis morsu infans necatus, in cujus honorem instituta certamina Nemeæa sunt. Victorem his ludis equum Arionа canit Statius, Thebaid. VI, 296 sqq.

39. *Non magna*, etc. Hoc distichon, qualiter constitutum legis, ut cum Lachmanno scribamus, si non elegantia prosodiæ, at certe veri species vincit. Vulgati habent impressi : « *Amphiaraeæ nil prosunt* fata quadrigæ, Aut Capanei *magno* grata ruina Jovi. » Sed hoc Muretus ex uno suo Codice, in quo erat : « *Amphiaraæ nil prosunt tibi* fata quadrigæ, etc. » Aliud scripti libri cæteri omnes indicant : « *Non Amphiareæ prosunt tibi* fata quadrigæ; » in minore autem versu *magno* omittit Groninganus cum aliis. Unde Lachmannus ita : « *Non magna Amphiaraeæ prosunt tibi* fata Quadrigæ, aut Capanei grata ruina Jovi. » *Non prosunt fata*, ut apud Tibull. II, 4, 13 : « *Nec prosunt elegi*, nec carminis auctor Apollo. » De *magnis fatis* vide ad Horatii epist. II, 1, 6, Bentleium. — *Amphiaraus*, Lyncei et Hypermnestræ filius, Eriphyles maritus, quem in bello Thebano diducta terra hiatu absorbuit cum equis et curru suo. Vide Homer. Odyss. o, 244 sqq. — *Capaneus*, superum contemtor, ut se apud Statium ipse jactat, Thebaid. IX, 550, in eodem Thebano bello fulmine percussus Jovis; secundum alios, a Thebanis obrutus lapidibus, quum superandis mœnibus scalas adplicaret. Vide Apollod. III, 6, 3; Hygin. fab. 70.

41. *Desine et Æschyleo*, etc. Lachmanni nota est, recto, ut solet, judicio concepta, quam integram subjicimus : In his versibus transpositionem factam esse, qui adtenderit, facile animadvertet. Laxata illa orationis vincula indicium rei faciunt, *Desine et*, *Sed non ante*, *Trux tamen*, *Harum*, quæ singula non habent, quo referantur. Lege : « Incipe jam angusto versus includere torno, Inque tuos ignes, dure poeta, veni : Desine et Æschyleo componere verba cothurno, Desine, et ad molles membra resolve choros. Sed non ante gravi taurus succumbit aratro, Cornua quam validis hæserit in laqueis; Nec tu tam duros per te patieris amores : Trux tamen a nobis ante domandus eris. Tu non *Antimachus*, non tutior ibis *Homerus* : Despicit et magnos recta puella deos. Harum nulla solet rationem quærere mundi, etc. » Quia tibi, inquit Noster, « epica tua poesis nihil prodest in amore, jam tu potius leviora argumenta tracta, et gravia illa ac severa relinque. Sed te quidem amori, cujus omnem vim nondum experiris, tam facile non esse cessurum video : tamen antea a nobis domabitur superbia

Desine, et ad molles membra resolve choros.
Incipe jam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignes, dure poeta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
Despicit et magnos recta puella deos.
Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis hæserit in laqueis;
Nec tu tam duros per te patieris amores:
Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis;

tua. Audi igitur tu: Si vel Homerus sis et Antimachus, ubi mollium carminum nihil adtuleris, ibis Homere foras; despicient te gravem poetam lascivæ puellæ, quarum nulla naturam rerum et alia id genus magna argumenta doceri cupit. » Jam singula hæc omnia optime coeunt, in quibus tamen præter ordinem aliud quid mutandum est. Pro his, « Tu non *Antimacho*, non tutior ibis *Homero*, » quod interpretantur, *Non tutior eris ab Amoris telis, quam Antimachus et Homerus fuerunt*, sententia ita jubente scribi debet: « Tu non *Antimachus*, non tutior ibis *Homerus*. » Non erit tibi certa puella, inquit, si Homerum aliquem sibi aut Antimachum amatorem esse sciat. — *Angusto torno;* quum sit brevius metrum aptum amatoriis versibus. — *In tuos ignes. Tuos*, tibi decretos, ut *tuum ardorem* posuit I, 13, 28. — *Dure.* Vide ad II, 1, 41. — *Æschyleo cothurno. Æschyleo* scripti libri omnes rectissime, quod frustra Scaliger mutavit in *Achilleo*: « Desine *Achilleo* componere verba cothurno; » scilicet, ut de Achille tragœdiam aliquam, vel potius epicum Homeri carmen Propertius innuat. — *Membra resolve ad molles choros.* Figurate dictum: Flecte ad mollia ingenium tuum. — *Gravi.* Bene correctum a Vulpio *gravi aratro. Gravis taurus* habent Codices, ut in editione Broukhusii legitur. — *Ante quam hæserit cornua*, cornibus: Græca syntaxis. — *Nec tu per te patieris. Per te*, libenter, ultro. — *Ante domandus eris. Arte* suadebat Burmannus, quod inane commentum *Kuinoel* prætulit. Comparatio similis est tauri cum amante II, 3, 47—50. — *Antimachus... Homerus.* Vide notata IV, 11, 66. Antimachus poeta, patria Colophonius, cui primas olim ab Homero partes deferebant critici, Quintiliano teste, X, 1, 53. De Homero vide Gallicas Imitat. ad II, 1, 21. — *Recta puella.* Dubium interpretibus movet adjectivus *recta*, ubi facilis et apertus sensus est: Venusta rectaque puella, ait, ut superbam illam figura sua facit, despicit vel ipsos deos.

52. *Nec cur Luna laboret*, defi-

Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus et antiquo Marte triumphus avi;
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
Hoc ego, quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me juvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit jactu certus ad ossa deus:
Actia Virgilium custodis litora Phœbi,

ciat. *Lunæ labores* meminimus ex Georgic. II, 478.

53. *Nec si*, etc. Ita Groningani cum aliis nonnullis, sed quæ structura quidem sensum facit dubium. Comparabat enim Heinsius versiculum Ovidii, ex Ponto, IV, 14, 12, *Si quid et inferius, quam Styga, mundus habet;* quum videatur aliud hoc velle Propertius, *Si de nobis aliquid post mortem supererit.* In Codicibus quibusdam aliis: « Nec si post Stygias aliquid *restabit ad* undas; » scriptura manifeste corrupta. Burmannus tentat: « Nec si post Stygias aliquid *superaverit* undas » (*superare*, superesse, restare); Lachmannus, quia *restabit erumnas* libri habent plerique: *aliquid restans erit undas;* sed optime Wassenbergius: « Nec si post Stygias aliquid *restabimus* undas. » — *Consulto*, de lege certa, non fortuito.

55. *Adspice me*, etc. Suavissimus locus. Adspice me, inquit, pauper sum et magna nulla avorum gloria; sed placeo carminibus, et amant inter mensam puellæ ingenium meum. — *Cui parva domi fortuna relicta est.* Conf. IV, 1, 128—130.

57. *Ut regnem.* Male Barthius et *Kuinoel* convivii regem factum Propertium intelligunt, quem scilicet, ut veteribus mos erat, sors talorum designaverit. Ingenio suo regnare se dicit Noster, mensæ gaudiis præesse amabili ingenio. — *Mixtas inter puellas conviva*, puellis conviva mixtus. Sic *Has inter medias Venus*, media Venus inter has, apud Flaccum Valer. II, 174. — *Elevor*, deprimor, contemnor. Sic *elevare* II, 33, 44.

59. *Me juvet languere positum*, molliter jacentem, cum *hesternis corollis.* Hesternas corollas intellige, cum quibus vigilavit noctem poeta, quibus heri ad convivium ornaverat frontem. Ita sunt *hesterni crines* I, 15, 5. — *Deus*, absolute, Cupido, ut II, 26, 52; conf. not. ad I, 6, 23. *Certus jactu deus* (qui tela sua certus jacit), ut *certus Deucalion jaculis* apud Flaccum Valer. I, 366.

61. *Actia Virgilium* juvet (quod verbum supplendum est ex anteriore versu) *Phœbi dicere posse litora et fortes Cæsaris rates.* Descriptam Actiacam pugnam respicit, quam posuit Virgilius Æn. VIII, 675 sqq. Actiaci litoris *custos* Phœbus dicitur, qui templum in litoribus his habuit.

Cæsaris et fortes dicere posse rates,
Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis mœnia litoribus.
Cedite, Romani scriptores; cedite, Graii:
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galæsi
Thyrsin et adtritis Daphnin arundinibus;
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus et impressis hædus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores!

63. *Suscitat.* Pulchre dictum: Qui nunc arma suscitat Æneæ sopita.

67. *Tu canis*, etc. Recte vir doctus cohærentiam evolvit (*Kuinoel*): « Neque tamen Virgilius ipse ab amoribus alienus est; non tantum heroica carmina scribit, sed et carmina mollia pangit. » Sed ea ipsa sententia nullo transitu facto superioribus perquam inepte adjungitur. Revoca huc illud distichon, quod in libris omnibus infra ante versum 85 legitur, nullo sensu nulloque cum cæteris nexu, quocumque modo scribatur, « Nec minor his animis, etc. » Scilicet Propertius, ad ista Virgilii respiciens, eclog. IX, 35, « Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna Digna, sed argutos inter strepere anser olores, » hæc in ejus laudem ait: « Cedite, Romani scriptores; cedite, Graii: Nescio quid majus nascitur Iliade. Nec minor his animis (aut, si minor ore, canorus Anseris indocto carmine cessit olor) Tu canis umbrosi subter pineta Galæsi Thyrsin et adtritis Daphnin arundinibus. » In bucolico carmine Virgilium illo spiritu, quo Æneam scribebat, minorem fuisse negat, nisi quod forte ore et magniloquentia cesserit epico carmini, eapropter, quod indoctum carmen cecinerit, veluti cygnus, quum, suo omisso, rudem anserum cantum imitatur. Lachmannus. — *Tu canis Thyrsin et Daphnin.* Vide Virgil. eclog. VII et V. — *Adtritæ arundines*, quas frequenti usu perita cantoris labra triverunt. — *Galæsus* fluvius agrum Tarentinum irrigat. Meminit Virgilius, Georg. IV, 126.

69. *Utque decem possint*, etc. Virgilius, eclog. III, 70: « Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta Aurea mala decem misi, cras altera mittam. » — *Impressa ubera;* non pressa, quorum lac non expressum est, subductum hædulis. Sic *impressa virorum terga* Statius, Theb. V, 404, id est, quæ non premit per transtra currens Jason vestigiis suis. *Invisum* pariter dicunt modo *odiosum*, modo *non visum;* nec differt quod in *instare* et *instabilis* observamus, quorum illud est *stare in*, hoc *non stabilis.*

71. *Felix*, etc. felix tu poeta, cui pomis (tam vili pretio) amores parantur! *Huic*, *licet ingratæ*,

Huic, licet ingratæ, Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascræi veteris præcepta poetæ,
Quo seges in campo, quo viret uva jugo.
Tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Nec minor his animis, aut, si minor ore, canorus

Tityrus ipse canat; tali puellæ, vel si se gerat ingratam, quum tamen ejus amor tam parvo ematur, ipse Tityrus-Virgilius canat. Pronomen additum *ipse* capio: *Tam egregius cantor, qualis est Tityrus.* Tenerarium erit fortasse aliquid hic mutationis inferre; sed, fateor, sententia multo magis placet, si cum Lachmanno scribamus: « Felix, qui viles pomis mercaris amores! Huic, licet ingratæ, Tityrus ipse *canam.* » Ipse velim Tityrus esse, si amores tam vili constant: ego, quamvis illa dura sit, non canam surdæ.

73. *Felix intactum*, etc. Virgilius, eclog. II, 1: « Formosum pastor Corydon ardebat Alexin, Delicias domini, nec, quid speraret, habebat. »

75. *Sua avena. Suam avenam* impressi libri, Scaligero auctore: « Quamvis ille *suam* lassus requiescat *avenam.* » Recte quidem compositum ita cum casu quarto verbum *requiescere*, cujus formæ habuimus exempla II, 22, 25; sed itidem recte *lassus avena sua* dictus Virgilius, ut in scriptis Codicibus legitur, Ovidio firmante, quem adducit Lachmannus, Heroidd. XXI, 245: « Jam satis invalidos *calamo lassavimus* artus. » — *Hamadryadas;* de quibus I, 20, 32. — *Faciles*, teneras, ad amorem faciles.

77. *Tu canis Ascræi*, etc. Scilicet, inquit, posita illa tua pastoris fistula, Hesiodi, vel potius ipsius Apollinis factus es æmulus. Virgilius, Georg. II, 174: « res antiquæ laudis et artis Ingredior, sanctos ausus recludere fontes, Ascræumque cano Romana per oppida carmen. » *Ascræus* Hesiodus, qui patria Cumanus, in vico Bœotiæ Ascra educatus est.

80. *Cynthius*, Apollo, in Cyntho natus, Deli monte.

81. *Hæc;* levia et amatoria, quæ scripsit Virgilius. — *Venire*, esse, haberi, ut plerumque Noster.

83. *Nec minor his animis*, etc. Vulgo: « Nec minor his animis, *nec*, *se* minor, ore canorus Anse-

Anseris indocto carmine cessit olor.
Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.
Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi,
Quum caneret miseræ funera Quintiliæ.
Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua!

ris indocto carmine cessit olor. » Alienissima sunt, ut vere notat Lachmannus, quæ hic adferunt interpretes, nihil indignum majestate sui carminis aut se ipso fecisse Virgilium, quum lacessitus ab æmulo Ansere non responderit (de quo poeta, Virgilii obtrectatore, vide Harles. ad Ovidii Trist. II, 435). Nihili foret enim ad hujus loci rationem illa quæcumque magni poetæ moderatio, quem non vindictæ nescium laudat Propertius, at et ipsum levia scribentem, utriusque poeseos genere clarum epicæ et amatoriæ. Cæterum *nec se minor* dedit Scaliger; MSS. libri *aut sim minor;* unde recte factum in quibusdam *aut si minor.*

85. *Varro;* Terentius Varro, in Gallia Narbonensi natus, dictusque, ut inter illum et alterum Varronem distinctio foret, ab Atace fluvio *Atacinus*, Julii Cæsaris ac triumviratus ætate vixit, scripsitque ex Apollonio Rhodio Argonautica. — *Perfecto Iasone*, absoluto de Argonautis suo carmine; *hæc quoque ludebat*, mollia et lasciva ipse composuit. De Varronis amoribus, qui *Leucadiam* celebravit, Ovidius Trist. II, 439: « Is quoque, Phasiacas Argo qui duxit in undas, Non potuit Veneris furta tacere suæ. »

87. *Hæc quoque lascivi*, etc. Ovidius, loco citato, vs. 427: « Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo Femina, cui falsum Lesbia nomen erat. » — *Quis*, pro queis, quibus, ut I, 8, 42; I, 15, 41.

89. *Hæc etiam docti*, etc. Ovidius, vs. 431: « Par fuit exigui similisque licentia Calvi, Detexit variis qui sua furta modis. » De Calvo vide quod indicavimus Catulli carmen ad eleg. 25, 4. — *Pagina.* Vide III, 25, 17.

91. *Et modo formosa*, etc. Impressi libri: « Et modo formosa *qui* multa Lycoride Gallus Mortuus infernà vulnera lavit aqua. » Scilicet; ut ex antecedente disticho verba suppleantur *Hæc etiam confessus est.* Non male, etsi variis modis corrigere tentarunt viri docti; sed lectionem *qui multa* vix interpolati Codices agnoscunt duo. Cæteri boni, quos cum Lachmanno sequimur: « Et modo formosa *quam* multa Lycoride Gallus Mortuus inferna vulnera lavit aqua! » Scriptura certa hæc, quin et magis aperta facilisque sententia. Cæ-

Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere Fama volet.

terum, ut idem Lachmannus notat, de locutione *Gallus Lycoride mortuus* nihil est cur dubites; sive Gallum propter suam Lycorida mortuum Propertius dicat (nam scimus diversas causas, quibus motus, quum Ægypto præesset, sibi mortem consciverit, a scriptoribus commemorari), sive *mortuum* intelligas amore consumtum, ut II, 3, 45 : « aut mihi si quis, Acrius ut *moriar*, venerit alter amor. » — De Cornelio Gallo poeta ejusque amica Lycoride vide Heynium ad Virgilii eclog. X, in Argumento. Meminit Ovidius, Amorr. I, 15, 29 : « Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois, Et sua cum Gallo nota Lycoris erit. »

93. *Cynthia quin etiam*, etc. Ovidius, Trist. II, 465 : « Invenies eadem blandi præcepta Properti. » — Lachmannus pro *laudata*, quæ librorum omnium scriptura est, *celebrata* negligenter admisit. — *Hos inter si me*, etc. Pari modo Ovidius, Art. Amat. III, 339, maximis tum Græcis tum Latinis nominibus suum quoque subjungit : « Forsitan et nostrum nomen miscebitur istis, Nec mea Lethæis scripta dabuntur aquis. » — Recta, ut videtur, Barthii observatio est, inter poetas, quos laudat hic Noster, Tibullo non esse locum, ut qui nondum carminibus in publicum missis sub hos annos innotesceret.

IMITATIONES GALLICÆ.

18. *Rivalem possum non ego ferre Jovem.* Tissot, *Poésies érotiques, première partie* (*l'Intelligence des cœurs*) :

Des trésors de l'amour loin de moi tout partage !

Parny, *la Journée champêtre* :

Le tendre Amour ne veut point de partage,
Et tout ou rien est une de ses lois.

Idem Parny, *le Voyage de Céline* (tom. II, ed. 1827) :

L'homme qui consent au partage
N'est point amant, pas même époux.

19. *Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras*, etc. Chaulieu, tom. II, pag. 65 (*à mademoiselle D. R.*), ubi nihil esse, quod in amore cupiat, sentire se confessus est :

Théone, cependant mon sort est déplorable :
Toujours quelque jaloux souci

D'un amant trop heureux vient faire un misérable;
Car tu me parais trop aimable
Pour que d'autres que moi ne t'aiment pas aussi.

31. *Tu satius.... imitere Philetam, Et non inflati somnia Callimachi....Desine et Æschyleo componere verba cothurno*, etc. Accedit non dissimilis BERNARD, *Poésies diverses* (*Épître sur l'Automne*), forma cæteroquin diversa carminis :

Suspends ton étude,
Viens, loin des neuf Sœurs,
Goûter les douceurs
De ma solitude.
.....
Si tu ne peux vivre
Sans un Apollon,
C'est Anacréon,
Ami, qu'il faut suivre.
Apprends à monter
Ta galante lyre;
Si tu veux chanter,
Que Bacchus t'inspire
Le tendre délire
Qui, cher à Thémire,
S'en fait écouter.

55. *Adspice me.... Ut regnem mixtas inter conviva puellas*, etc. Horatii apud nos redivivum ingenium, lyricus BÉRANGER, *Chansons*, (*mon Carnaval*), ad amicos suos :

Combien de fois, auprès de la plus belle,
Dans vos banquets, j'ai présidé chez vous!
Là, de mon cœur jaillissait l'étincelle
Dont la gaité vous électrisait tous.

65. *Cedite, Romani scriptores*, etc. LA FONTAINE, *épître XIV*, magni ducis (*Turenne*) ingenium celebrans :

Romains et Grecs, vous cédez à la France;
Opposez-lui de semblables héros.

93. *Cynthia quin etiam*, etc. *André* CHÉNIER, *Fragmens d'un poëme sur l'Art d'aimer*, ubi poetarum meminit, quorum versibus quam maxime gaudet Amor :

Mon berceau n'a point vu luire un même génie :
Ma Lycoris pourtant ne sera point bannie.
Comme eux, aux traits d'amour j'abandonnai mon cœur,
Et mon vers a peut-être aussi quelque douceur.

FINIS LIBRI SECUNDI.

SEXTI AURELII

PROPERTII

ELEGIARUM

LIBER TERTIUS.

ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

INGENII LAUDES.

ARGUMENTUM.

In scribendis amoribus primum se Latinum poetam gloriatur esse, quem adire Græcos elegiæ fontes Musa sua docuerit; teneri carminis palmam sibi cum fiducia vindicat; invidiam, commune malum, despicit, quæ si vivos lacerat, parcere mortuis cogitur. Ab rogo enim accedere ingenio vires omnes suas, et majora ferri præclara nomina: ita Homeri altius in dies famam exsurgere; ita etiam sibi posteritatis adventuram esse non fallacem horam. Sed jam ad amatoria redit Propertius, puellæ ut æternum fore nomen prædicet, quam celebraverit: exstructa opera vel firmissima hominum, templa, Pyramidum moles, excidio dari; monumenta ingenii stare, ac nescire mortem.

CALLIMACHI Manes, et Coi sacra Philetæ,
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.

1. *Callimachi Manes*, etc. Incipit apud Lachmannum LIBER QUARTUS; vide supra, II, 10, 1. — De *Callimacho* vide II, 1, 40. — *Sacra* pro Manibus ipsis posita recte Broukhusius accipit. Hoc sensus indicat, et plurima vocabuli significatio patitur. — *Philetas* (nominatus jam II, 34, 31), patria Cous, elegiarum auctor, Philippi et Alexandri coævus, Ptolemæum Philadelphum instruxit literis: vide Athenæum XII, 29. — *Nemus*; scilicet, quod vos, dum vivi

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicumque moratur in armis!
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
Nota coronatis Musa triumphat equis;
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
Scriptorumque meas turba sequuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,

fuistis, canentes audiit. Hoc sensu Noster versu 5 : « Dicite, *quo* pariter *carmen tenuastis in antro*, Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam. »

3. *Primus ego ingredior*, etc. Vide Propertii Vitam cum notis, supra pag. 3. — *Ingredior*, adgredior; ita Virgilius, Georg. II, 175. — *Sacerdos.... orgia.* Vide notata II, 10, 24.

5. *Tenuare carmen*, amorum tenuem lyram tangere.

7. *Ah valeat, Phœbum*, etc. Cf. Imitat. Gall. ad II, 1, 39.

8. *Exactus versus*, expolitus liber, *pumice*. De pumicis in lævigandis libris hoc usu, vide ad Tibullum III, 1, 10, interpretes. *Tenuis* autem pumex apud Nostrum, translate, quum tenuis ac levis libellus sit, quippe amatorius. — *Eat;* per manus hominum eat. — *Quo;* scilicet versu. Ab hoc pronomine tota pendet sententia : Eat, inquit, tenui pumice exactus versus, *quo* me Fama de terra levat, *quo* triumphat a me nota Musa, *quo* mecum in curru Amores vectantur, *quo* sequitur scriptorum turba rotas meas. — *Et a me Nota....* *Musa.* Ineptam lectionem *et a me Nata* Lachmannus correxit. *Nota* autem, quod unice verum ex ipsa re sentimus esse, libri duo agnoscunt, neque aliter olim Regius Codex meus E, in quo *Nata* secunda manus correxit.

13. *Quid frustra missis*, etc. Poetas imitatores suos adloquitur, quos æmulos gloriæ despicit. — *Non datur lata via currere ad Musas.* Sic III, 14, 30 : *Nec angusta via est inseruisse digitum.*

15. *Multi, Roma*, etc. In minore versu *canant* pro vulgari *canent* de Groningani scriptura cum Lachmanno reponimus, tum propter soni vitium, *addent*, *canent*, tum quia concedentis illud est *addent* (ut apud Horatium : « *Scriberis* Vario fortis et hostium Victor; » et : « *Laudabunt* alii claram Rhodon, etc. »), quod apertius indicat sub-

Qui finem imperii Bactra futura canant:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ:
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas;
Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,
Fluminaque Hæmonio cominus isse viro,
[Idæum Simoenta, Jovis cunabula parvi,]

junctivus *canant*. — *Bactra*, pro remotissimo Oriente.

17. *Sed, quod pace legas;* bona cum pace, amice et benevole. Vocabulum istud *pax* non dissimili modo Propertius usurpat II, 25, 4. — *Opus hoc*, carmina tenera hæc. — *Sororum*. Vide II, 30, 27. — *Pagina*, tabellæ meæ. — *Intacta via;* quam ego primus inveni. Conf. vs. 3.

19. *Mollia*, myrtea, *serta*. — *Pegasides*, Musæ, ab Hippocrene fonte, quem extudit Pegasus. — *Dura corona*. Vide II, 1, 41.

21. *At mihi quod vivo*, etc. Ovidius, Amorr. I, 15, 39: « Pascitur in vivis Livor; post fata quiescit, Quum suus ex merito quemque tuetur honos. » Sallustius, de Republ. ordin. I, 13: « ... vivos interdum fortuna, sæpe invidia, fatigat: ubi anima naturæ cessit, demtis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit. »

23. *Omnia post obitum*, etc. Idem Ovidius, ex Ponto, IV, 16, 2: « Non solet ingeniis summa nocere dies; Famaque post cineres major venit. » Et Trist. IV, 10, 121: « Tu mihi, quod rarum, vivo sublime dedisti Nomen, ab exsequiis quod dare Fama solet. »

25. *Nam quis*, etc. *Nam*, hoc est: « nisi res ab ipsa vetustate incrementum acciperent. » — *Arces equo pulsas* (equo Trojam pulsam) dicit cum auctoribus aliis, qui ligneum equum arietem muralem tradiderunt esse. Vide Plin. Hist. Nat. VII, 56. *Pellere* autem, quassare, percutere, ut II, 26, 48: « Lerne *pulsa tridente* palus. » IV, 9, 15: « Mænalio jacuit *pulsus* tria tempora *ramo* Cacus. » *Pulsa* (remis) *vada* IV, 2, 8. — *Fluminaque*, etc. Xanthum et Simoenta voluisse undis suis Achillem submergere, Homerus narrat Iliad. φ, 310 sqq. — *Cominus isse viro*. Vide ad II, 19, 22. — *Hæmonius*, Thessalus: I, 13, 21.

27. *Idæum Simoenta*, etc. Versum Lachmannus ejicit, aperte non sincerum. Quo enim consilio, inquit, « *Simoenta* commemorat

Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta, et in armis
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu,
Troja, bis Œtæi numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.

Noster post *Flumina*, Xanthum nempe et eumdem Simoenta, quem ille auxilio sibi in Achillem advocavit? Porro ipse versus pravitatis suæ indicium facit. Nam neque Simois cunabula Jovis, nec (si copulam omissam nihili esse velis) in Ida Phrygiæ fuere Jovis cunabula, sed in ejusdem nominis altero monte Cretensi. Denique hæc ab omni hujus loci sensu aliena et prorsus diversa sunt. Hoc enim poeta dicit, ignotam nunc Trojam fore, nisi cuncta post obitum magis innotescerent. Quid ad rem igitur *parvi Jovis cunabula*, quæ, si vel maxime in Phrygia fuissent, a Trojæ exitio nomen ac famam lucrari non potuere? » — *Hectora ter campos*, etc. Achillis in Hectora horrendam crudelitatem magnus Alexander apud Curtium æmulatur, IV, 6, 29 : « per talos..... spirantis (Betis) lora trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi; gloriante rege, Achillem, a quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda. »

29. *Deiphobus, Helenus;* Priami filii, quorum in altero fortitudinem, in altero vaticinandi peritiam historia celebrat. *Polydamas*, Antenoris ex Hecubæ sorore filius. — Codices, scriptura corrupta : « Deiphobumque, Helenumque, et *Polydamantes* in armis; » unde Scaliger *et Polydamanta sine armis*, quippe cujus hominis linguam, non fortem animum, Homerus commemoret. Hæc etsi verâ observatio est, nihilominus conjectura cadit; nam *sine armis* nec Polydamas fuit, ipso sibi teste apud eumdem Homerum, Iliad. μ, 77. Scribe cum Lachmanno : « Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta, *et in armis* Qualemcumque Pariu vix sua nosset humus. » Ignoti forent Deiphobus et Helenus et Polydamas, et ille in armis qualisqualis Paris. *Qualemcumque in armis* adjective dicit eum, qui strenuusne an imbellis fuisset, nemini etiam notum foret. Pronomen *qualiscumque* ita videbis positum III, 21, 16.

32. *Troja bis capta*, etc. primum ab ipso Hercule, propter equos Laomedontis non datos, qui promissi fuerant; iterum, Græcis obpugnantibus, quum sagittas ejusdem Herculis, in quibus sors victoriæ, Philoctetes adtulisset.

33. *Memorator.* Vide ad IV, 11, 50. — *Posteritate crescere sensit Homerus opus suum.* Vide Imitationes Gallicas ad II, 1, 21. — *Sensit.* Pro quo *sentit* Broukhusius ex uno Codice, hoc est, *etiam nunc, vel*

Meque inter seros laudabit Roma nepotes :
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro,
Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem ;
Gaudeat in solito tacta puella sono.

ELEGIA II.

Orphea delinisse feras, et concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra ;
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem

apud inferos. Scripti cæteri omnes *sensit*, nempe *jam dudum*.

36. *Auguror ipse diem. Ipse* habent libri meliores ; *auguror esse diem* in aliis, quod pro *fore* Passeratius male defendit.

37. *Ne mea contemto*, etc. ne vili tantum et contemnendo sepulcro post mortem innotescam, provisum est. — *Lycio deo*, Apolline, ab urbe Lyciæ Patara, in qua templum et oraculum.

39. *Carminis interea nostri*, etc. Redeamus, inquit, ad amatoria nostra. — *Gaudeat in solito*, etc. Ita Burmannus *in solito*, bipartito vocabulo, quod unum scripti Codices faciunt (*insolito*) ; rectissime : vide II, 4, 18. Editi libri : « Gaudeat *ut* solito tacta puella sono. »

Eleg. II. 1. *Orphea*, etc. Vulpio, ut novam ab his elegiam ordiretur, Codicum auctoritas persuasit, in quibus inepte post superiorem versiculum 38 (*Provisum est, Lycio*, etc.) separationem librarii faciunt. Sed ne dubita, quin divisas partes Propertius conjunctas scripserit : res aperta : prius illud dictum, *Carminis interea nostri redeamus in orbem*, duodecim disticha illustrant, quæ sequuntur, nostra hæc, *Orphea delinisse feras*, etc. Monuerunt jam viri docti (Muretus, Scaliger, Burmannus, Lachmannus). — *Orphea delinisse feras*, etc. Broukusius Burmannusque de conjectura Heinsii : *Orpheu, te duxisse feras* ; in minore autem versu *Flumina detinuisse*. Vir doctus post illos (*Kuinoel*) : *Orpheu, te lenisse* ; et, quod verum est, *Flumina sustinuisse*. Sed *Orpheu te* pauci libri agnoscunt, quorum fides nulla : cæteri meliores *Orphea detinuisse feras* in altero versu, in altero *Flumina sustinuisse*. Scribe cum Ayrmanno : « *Orphea delinisse* feras, et concita dicunt Flumina Threicia *sustinuisse* lyra. » Firmatum *delinisse* ex Horatio, qui (Art. Poet. 393) de eodem Orpheo : « Dictus ob hoc *lenire* tigres, rabidosque leones. » — *Flumina sustinuisse*, tenuisse suspensa. Ovidius, Fast. V, 661 : « ut vivo subiit rorantia saxo Antra, leves *cursum sustinuistis* aquæ. »

3. *Agitata Thebas per artem* ; tracta per Amphionis artem (cf. I,

Sponte sua in muri membra coisse ferunt;
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Ætna
Ad tua rorantes carmina flexit equos:
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes;
Nec mea Phæacas æquant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musæ comites, et carmina grata legenti,

9, 10) in locum, qui Thebarum sedes erat.

5. *Polyphemus* Cyclops, de cujus amore in Galateam vide Theocrit. Idyll. XI, Ovid. Metam. XIII, 755 sqq. De Galatea Nympha maris vide supra I, 8, 18. — *Rorantes*, marinos, *equos*, qui bipedes in piscem desinerent. *Rorem* hoc sensu positum vidimus II, 26, 2. — *Fera sub Ætna*, inculta, horrida.

7. *Baccho et Apolline dextro*, favente, propitio. — *Baccho.* Vide notata II, 5, 26.

9. *Quod non Tænariis*, etc. Similis Horatii locus, Carm. II, 18, 1: « Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar; Non trabes Hymettiæ Premunt columnas ultima recisas Africa.... At fides et ingeni Benigna vena est, etc. » Ovidius, Amorr. I, 3, 7, puellam orans, quam deperit, ut aut amet aut saltem patiatur amari: « Si me non veterum commendant magna parentum Nomina, si nostri sanguinis auctor eques, Nec meus innumeris renovatur campus aratris, Temperat et sumtus parcus uterque parens; At Phœbus, comitesque novem, vitisque repertor, Hoc faciant, et, me qui tibi donat, Amor. » — *Quod non.* Vide IV, 5, 11. — *Tænariæ columnæ.* Tænarium marmor, viridi colore, pretiosissimum habitum, de quo Plinius, Hist. Nat. XXXVI, 7. De Tænaro vide I, 13, 22. — *Camera.* Pars est cubiculi superior in curvum posita. Gallice, *un plafond cintré.*

11. *Phæacas silvas;* Alcinoi hortos, de quibus Homerus Odyss. η, 112 sqq. *Phæacia*, Corcyra insula, ab Alcinoi patre Phæaco antiquitus dicta. — *Marcius liquor.* Plinius, Hist. Nat. XXXI, 3: « Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio urbis, *Marcia* est, inter reliqua deum munere urbi tributa.... Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius rex in prætura. » *Operosa* (multi laboris) *antra mea.*

13. *Et carmina grata legenti.* Scripti plerique *carmina cara*, Groninganus cum aliis paucis *grata.* Posterius hoc verum puto, quod itidem Lachmannus reposuit. Carmina *grata* sunt ei, qui nunc in præsens legit (*legenti*); *cara* nobis

Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo si qua est celebrata libello!
Carmina erunt formæ tot monumenta tuæ.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elei cælum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri,
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

erunt, quum antea legerimus. Propertius, II, 34, 81 : « Non tamen hæc ulli venient *ingrata legenti*. »

15. *Si qua est*. Corrigunt viri docti *si qua es*, propter sequens pronomen *tuæ*. Sed recte *si qua est* scripti libri omnes, de quo vide III, 13, 42.

17. *Nam neque Pyramidum sumtus*, etc. Incertus auctor in Anthol. Lat. tom. I, pag. 447, sententia persimili : « Hæc urbem circa stulti monumenta laboris, Quasque vides moles, Appia, marmoreas; Pyramidasque ausas vicinum adtingere cælum, Pyramidas, medio quas fugit umbra die; Et Mausoleum, miseræ solatia mortis, Intulit externum quo Cleopatra virum; Concutiet sternetque dies.... Carmina sola carent fato, mortemque repellunt. » — *Jovis Elei domus imitata cælum*; Jovis Olympici templum celeberrimum, in quo signa cælestia ars figuraverat.

23. *At non ingenio*, etc. Albinovanus (vel quisquis alius auctor est), in Obitum Mæcenatis, vs. 37 : « Marmora Mæonii vincunt monumenta libelli : Vivitur ingenio; cætera mortis erunt. » Martialis, epigr. X, 2, 11 : « At chartis nec furta nocent, nec sæcula prosunt, Solaque non norunt hæc monumenta mori. » Ovidius, Amorr. I, 15, 31, « .... quum silices, quum dens patientis aratri Depereant ævo, carmina morte carent. » Apud Anthologiam, tom. I, pag. 449 : « Ingenio mors nulla nocet; vacat undique tutum : Illæsum semper carmina nomen habent. »

IMITATIONES GALLICÆ.

Eleg. I. 1. *Callimachi Manes*, etc. Propertii totum hoc ita reddit *André* Chénier, *élégie XXXII* :

Mânes de Callimaque, ombre de Philétas,
Dans vos saintes forêts daignez guider mes pas.

J'ose, nouveau pontife aux antres du Permesse,
Mêler des chants français dans les chœurs de la Grèce.
Dites en quel vallon vos écrits médités
Soumirent à vos vœux les plus rares beautés.
Qu'aisément à ce prix un jeune cœur s'embrase !
Je n'ai point pour la gloire inquiété Pégase :
L'obscurité tranquille est plus chère à mes yeux
Que de ses favoris l'éclat laborieux.
Peut-être, n'écoutant qu'une jeune manie,
J'eusse aux rayons d'Homère allumé mon génie ;
Et d'un essor nouveau jusqu'à lui m'élevant,
Volé de bouche en bouche heureux et triomphant :
Mais la tendre Élégie et sa grace touchante
M'ont séduit ; l'Élégie, à la voix gémissante,
Au ris mêlé de pleurs, aux longs cheveux épars,
Belle, levant au ciel ses humides regards.
Sur un axe brillant c'est moi qui la promène
Parmi tous ces palais dont s'enrichit la Seine ;
Le peuple des Amours y marche auprès de nous ;
La lyre est dans leurs mains : cortége aimable et doux,
Qu'aux fêtes de la Grèce enleva l'Italie !
Et ma fière Camille est la sœur de Délie.

19. *Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ.* BERTIN, *Amours, III, éleg.* 1 :

Applaudissez, o Nymphes du Permesse,
Tressez des fleurs pour votre nourrisson.

21. *At mihi quod vivo*, etc. Cf. BÉRANGER, *Chansons* (*le Cinq Mai*) :

De tout laurier un poison est l'essence :
La Mort couronne un front victorieux.

23. *Omnia post obitum fingit majora vetustas*, etc. LAMARTINE, *Meditation XIV, la Gloire, (à un Poëte exilé)* :

Les siècles sont à toi, le monde est ta patrie.
Quand nous ne sommes plus, notre ombre a des autels
Où le juste avenir prépare à ton génie
Des honneurs immortels.

ELEG. II. 1. *Orphea delinisse feras*, etc. *André* CHÉNIER, *élégie XXXII* :

Par la lyre attendris les rochers du Riphée
Se pressaient, nous dit-on, sur les traces d'Orphée ;
Des murs, fils de la lyre, ont gardé les Thébains ;
Arion à la lyre a dû de longs destins :
Je lui dois des plaisirs. J'ai vu plus d'une belle,
A mes accents émue, accuser l'infidèle
Qui me fesait pleurer et dont j'étais trahi,
Et souhaiter l'amour de qui le sent ainsi.

15. *Fortunata, meo si qua est*, etc. LAMARTINE, *Méditation III (à Elvire)*:

Heureuse la beauté que le poëte adore !
Heureux le nom qu'il a chanté !
Toi qu'en secret son culte honore,
Tu peux, tu peux mourir : dans la postérité
Il lègue à ce qu'il aime une éternelle vie ;
Et l'amante et l'amant sur l'aile du génie
Montent d'un vol égal à l'immortalité.

Totum locum BERTIN fideliter expressum dedit *Amours*, III, *élég.* 1 :

Heureux, cent fois heureux, l'objet aimable
Dont le doux nom couronnera mes vers !
Mes vers seront un monument durable
De sa beauté qu'encensa l'univers.
Thèbes n'est plus : tout ce vaste rivage
N'est qu'un amas de tombeaux éclatans ;
Sparte, Ilion, Babylone, et Carthage,
Ont disparu sous les efforts du Tems ;
Le Tems, un jour, détruira nos murailles,
Et ces jardins par la Seine embellis ;
Le Tems, un jour, aux plaines de Versailles,
Sous la charrue écrasera les lis :
Ne craignez rien de sa rigueur extrême,
O charme heureux de mes derniers beaux jours !
Regardez-vous, et songez qui vous aime :
Du ciel le Tems a chassé les dieux même ;
Ils sont tombés ; mais vous vivrez toujours.

17. *Nam neque Pyramidum*, etc. LE BRUN, *Odes*, VI, 23, ubi de Pyramidibus ipse etiam loquens :

Qu'atteste leur masse insensée ?
Rien qu'un néant ambitieux :
Mais l'ouvrage de la pensée
Est immortel comme les dieux.
Le Tems a soufflé sur la cendre
Des murs qu'aux rives du Scamandre
Cherchait l'ami d'Éphestion :
Mais quand tout meurt, peuples, monarques,
Homère triomphe des Parques,
Qui triomphèrent d'Ilion.

Præclare *Casimir* DELAVIGNE, *Messéniennes et Poésies diverses*, lib. II, *Stances* :

Quand l'urne d'or enfermait ses héros,
Rome honorait leurs ombres consulaires ;
Pour leur bâtir des palais funéraires,
Elle épuisa les marbres de Paros.
Vaine grandeur ! les ans, dans leur naufrage,
Ont entraîné ces pompeux monumens :
Anacréon n'a laissé qu'une page,
Qui flotte encor sur l'abîme des tems.

ELEGIA III.

PROPERTII SOMNIUM.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
  Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, et regum facta tuorum
  Tantum operis nervis hiscere posse meis;
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
  Unde pater sitiens Ennius ante bibit;
Et cecinit Curios fratres et Horatia pila,
  Regiaque Æmilia vecta tropæa rate;

2. *Bellerophontei humor equi*, fons Hippocrene Pegasi (quem aperuit pede Pegasus), *caballinus* ita dictus in Persii prologo, vs. 1. *Bellerophonteus* autem Pegasus, quo vectus equo Bellerophon Chimæram prostravit.

3. *Reges, Alba, tuos;* Albæ conditorem Iulum, deinde et ab Iulo Juliam-Augusteam domum. Juno apud Virgil. Æneid. XII, 826: « sint *Albani* per sæcula *reges*. » — *Tantum operis*, etc. Viros doctos usus linguæ refellit, verbum *hiscere* cum *nervis meis* jungentes, quod sit dictum pro *sonare fidibus*. *Hiscere* et *hiare*, ut rectissime Lachmannus, oris modo humani sunt, non lyræ. Virgil. Æneid. III, 314: « et raris turbatus *vocibus hisco*. » Ovid. Metam. XIII, 231: « Nec Telamoniades etiam nunc *hiscere quidquam* Ausit. » Vide et ad Propertii II, 31, 6, notata. Hoc nostro igitur versu distingue ita: *Tantum operis nervis, hiscere posse, meis*. Albanos reges dicere posse (tam magnum opus fidibus suis) sibi visus erat Propertius. *Tantum operis*. Vide mox eleg. 11, 70.

6. *Ennius pater*, de quo Quintilianus, Instit. X, 1, 88: « Ennium, sicut sacros vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem. »

7. *Curios*, Curiatios *fratres; Horatia*, Horatiana *pila*, arma, Horatios; de quorum certamine Liv. I, 24—25; Corneille in tragœdia celeberrima *les Horaces*. — *Regia vecta tropæa Æmilia rate;* quæ spolia Paulus Æmilius bello Macedonico de Perseo retulit. Livius, XLV, 35: « Paullus ipse post dies

Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem, et versos ad pia vota deos;
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
Anseris et tutum voce fuisse Jovem;
Quum me Castalia speculans ex arbore Phœbus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur sæpe libellus,

paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus, completis ripis obviam effusa multitudine. » — *Curios... Horatia... Æmilia.* Vide not. ad vers. 32.

9. *Fabii.* Q. Fabius Maximus Cunctator, a quo restituta contra Hannibalem Romana res. — *Et versos deos ad pia vota*, post cladem Cannensem supplicationibus nostris exoratos deos.

12. *Anseris et voce tutum Jovem*, Capitolium Jovis servatum. — *Cecinit tutum fuisse Jovem.* Vide II, 1, 34.

13. *Quum me Castalia*, etc. Virgilius, eclog. VI, 3 : « Quum canerem reges et prælia, Cynthius aurem Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves, deductum dicere carmen. » Horatius, Carm. IV, 15, 1 : « Phœbus volentem prælia me loqui Victas et urbes increpuit lyra, Ne parva Tyrrhenum per æquor Vela darem. » — *Castalia ex arbore. Arbor* pro nemore, ut III, 22, 33 : « Penthea non sævæ venantur in *arbore* Bacchæ. » Vide I, 14, 5. Hac nostra elegia, vs. 29, *Musarum imago* pro imaginibus. — *Ad antra.* Castalium antrum et oraculum memorat Ovidius, Metam. III, 14.

15. *Quid tibi cum tali*, etc. Cf. Imitat. Gall. ad II, 13, 3.

17. *Non hic.* Vulgo, « Non *hinc* ulla tibi.... » Codicum scripturam *hic* non minus esse rectam Lachmannus observat, quam simile illud I, 7, 9 : « Hic mihi conteritur vitæ modus; *hæc mea fama est.* »

19. *Ut tuus in scamno*, etc. Hanc Propertio quærendam gloriam esse, ut sæpe in scamno jactetur ejus libellus (nunc ponatur, nunc positus resumatur in manus), quem legat puella amantem exspectans. — *Scamnum;* id fere, quod diceremus nos *un sofa;* quomodo *pulvilli* sunt apud Horatium cum libris jacentibus, epodd. VIII, 15 : « Quid? quod libelli Stoici inter

Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua præscripto sevecta est pagina gyro?
Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo.

Sericos Jacere pulvillos amant. » — *Sola*, ut sæpe, pro solitaria.

21. *Cur tua præscripto*, etc. Lectio aperte falsa, quam hujus versiculi Lipsius et Scaliger, cæteris probantibus, dedere: « Cur tua *præscriptos evecta* est pagina *gyros?* » *Evehi gyros* pro *ex gyris* vel *extra gyros* si apud Nostrum occurrisset, ipsi ii, qui excogitarunt, non dubitassent reputare corruptum. Revocemus igitur potius cum Lachmanno scripturam Codicum, « Cur tua *præscripto sevecta* est pagina *gyro?* » quod verbum *sevehi*, etsi Propertius inter auctores unus habet (vide IV, 11, 50), ex analogia nihilominus pro sincero ac bono tueamur licet: *seduci* enim et *sejungi* et *sevocari* quum recte dicantur, quidni etiam *sevehi?* Cæterum *præscripto* hic olim repositum videtur: scripti apud Burmannum uno demto omnes *proscripto*. *Præscripto* in Regiis nostris E, F, sed quos libros, ut verisimile est, calamo exaravit manus, quum jam exstabant impressi. — *Gyrus*. Familiaris metaphora hæc poetis. Ovidius, Remed. Amor. 398: « adtrahe lora Fortius, et *gyro* curre, poeta, tuo. » Statius, Silv. IV, 7, 4: « Fortis heroos Erato labores Differ, atque ingens opus in minores Contrahe *gyros*. » Columella, de Hort. Cultu, 225: « Me mea Calliope cura leviore vagantem Jam revocat, parvoque jubet decurrere *gyro*, Et secum gracili connectere carmina filo. » — *Cymba*. Ingenii cum nave comparatio itidem frequens. Ovidius, Art. Amat. III, 25: « Nec tamen hæ mentes nostra poscuntur ab arte: Conveniunt *cymbæ* vela minora meæ. » Auctor epigrammatis in Anthol. Lat. tom. I, pag. 634: (Si quos juvent tractanda epica) « Vos mare tentetis, vos detis lintea ventis: Me vehat in tutos parva *carina* lacus. » Vide Propert. III, 9, 4 et 35.

23. *Alter remus aquas*, etc. Dum navigas, inquit deus, altero remo semper tange terram. Ita Seneca in Agamemn. vs. 103: « Felix, mediæ quisquis turbæ Parte quietus, Aura stringit litora tuta; Timidusque mari credere cymbam, Remo terras propiore legit. » Cf. Imit. III, 9, 35. — *Turba*, tempestas, commoti fluctus. Sic *turba* pro perturbatione ac tumultu Terentio, Andr. 746: « Quid *turbæ* est apud forum! quid illic hominum litigant! » *Clamosi theatri turbam* dixit Statius, Silv. III, 5, 16. *Turbarum licentia* apud Tacit. Annal. I, 16.

26. *Nova semita*, intacta via, ut loquitur eleg. 1, 18.

Hic erat adfixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum et Sileni patris imago
Fictilis, et calami, Pan Tegeæe, tui;
Et Veneris dominæ volucres, mea turba, columbæ

29. *Ergo Musarum*, etc. Novam hic viri docti particulæ *ergo* significationem affingunt, *tum* vel *deinde*. Nova enim ista est, et ignota antiquis scriptoribus, quibus eam tribuunt. Nam apud Nostrum I, 1, 15, vulgo interpunctio male instituitur: nos illum locum cum interrogatione ita scriptum dedimus: « *Ergo* velocem potuit domuisse puellam? Tantum in amore preces et benefacta valent? » Albinovano, in Obit. Mæcenatis, vs. 114, eadem ratione jam subvenit Pithœus: « Redditur arboribus florens revirentibus ætas : *Ergo* non homini, quod fuit ante, redit? » (In quibus versibus particula *ergo* plane est *igitur* : « Potuit *igitur* ille vincere puellam suam? tantum *igitur* in amore benefacta valent? »..... « Arboribus quotannis revirescunt folia; neque *igitur* homini, quod fuit ante, redit? ») Sed nunc apud Nostrum *Ergo* haud dubie ita positum est, ut et alibi sæpissime, quum id, de quo dictum jam est, uberius exponitur. Repone: « Ergo *hic* Musarum et Sileni patris imago Fictilis, et calami, Pan Tegeæe, tui. » Nam verbum substantivum omitti in talibus non potest, nisi ita fiat, ut alibi lateat, tamquam hoc loco in particula *hic*. Lachmannus. — *Pan Tegeæus*, ab Arcadiæ urbe Tegea; *Arcadius* dictus I, 18, 20; *calami* inventor apud Virgil. eclog. II, 32.

31. *Et Veneris dominæ volucres, mea turba, columbæ*. Passeratius legendum conjecit: *volucres, mea cura, columbæ*, ut apud Virgilium, eclog. I, 58, « Nec tamen interea raucæ, *tua cura*, *palumbes*, Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo. » Sed quomodo hæ sacræ Veneris columbæ in Helicone cura Propertii esse possunt, ut illæ palumbes pastoris Tityri? Verum tamen est, non magis apparere, quo jure illas columbas *suam turbam* appellet. Hæc enim formula quid significet, ex locis subjectis patebit. Ovidius, Trist. I, 5, 33 : « Vix duo tresve mihi de tot superestis amici: Cætera *fortunæ*, non *mea*, *turba* fuit. » Art. Amat. III, 811 : « Ut quondam juvenes, ita nunc *mea turba* puellæ, Inscribant spoliis, Naso magister erat. » Amorr. I, 1, 6, ubi poetas Pieridum turbam esse Amori exprobrat : « *Pieridum*, vates, non *tua turba*, sumus. » Apud Statium, Silv. I, 2, 69, Cupidines ad matrem Venerem : « O genitrix! duro nec enim ex adamante creati, Sed *tua turba* sumus. » Ex his omnibus, ni fallor, apparet, columbas illas haud paulo rectius hic Veneris turbam dictum iri, quam Propertii. Quid tamen dederit auctor, difficile dictu est, quum plura pari nec nimis magna verisimilitudine conjectari possint, *sacra turba*, vel *pia turba*, et alia. Verissimum tamen fortasse fuerit :

Tinguunt Gorgoneo punica rostra lacu;
Diversæque novem sortitæ rura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc hederas legit in thyrsos, hæc carmina nervis
Aptat, at illa manu texit utraque rosam.

« Veneris dominæ volucres, *sua* turba; » id est, propria Veneri turba. Lachmannus. — Pro *Et Veneris* liber Groninganus *Ut*, satis insigniter. *Ut*, in quo loco, quippe quam particulam veteres cum altera *ubi* promiscue usurpant. Catullus, Carm. XI, 2: « Sive in extremos penetrabit Indos, Litus *ut* longe resonante Eoa Tunditur unda. » Virgil. Æneid. V, 329: « levi quum sanguine Nisus Labitur infelix, cæsis *ut* forte juvencis Fusus humum viridesque super madefecerat herbas. » Hac observatione ductus Lachmannus versum Propertii I, 18, 2, olim fortasse exstitisse scriptum conjicit: « Hæc certe deserta loca et taciturna querenti, *Ut* vacuum Zephyri possidet aura nemus; » ubi copula *Et* solummodo frigida atque otiosa est. — *Gorgoneus lacus* est Hippocrene, a Pegaso, qui fontis auctor (vs. 2), ex Medusæ cruore ortus. — *Punica rostra*, subrubentia, rosea, sive magis proprie *rostra colore Punico*, id est, rubro. *Punica* igitur pro puniceis, quomodo *femina turba* pro feminea II, 31, 4, quæ proprie est *turba-femina* (Gallice, vulgari vocabulo, *une troupe femelle*; quæ locutio, ut vides, ad exemplum Propertii nomina duo substantiva conjungit, quorum alterum adjective positum); et *carbasa lina* pro carbaseis IV, 3, 64, quæ pariter sunt *lina-carbasa*. De qua re tamen nihil affirmo, ut incertum ex ipso Propertio videri potest, an non ausus sit per contractionem dicere *feminus* et *carbasus* adjective, quem aliis locis hac ipsa forma usum esse constat; vide not. II, 7, 2; IV, 1, 11, ubi *prætextus sénatus* manifeste est prætextatus (ut *Prætextas* appellat Horatius Prætextatas theatri Art. Poet. 288); tum in nominibus propriis exempla innumera: *Baiæ* (Baianæ) *aquæ* I, 11, 30; *Actia* (Actiaca) *litora* II, 34, 61; *Curii* (Curiatii) *fratres* III, 3, 7; *Horatia* (Horatiana) *pila* ibidem; *Æmilia* (Æmiliana) *ratis* III, 3, 8; *Ilia* (Iliaca) *Mœnas* III, 13, 61; *Thesea* (Theseia) *via* III, 21, 24; *Tities* et *Ramnes* (Titienses, Ramnenses) IV, 1, 31; *Romula* (Romulea) *hasta* IV, 4, 26; *Tatia* (Tatiana) *turma* IV, 4, 31; *Augusta* (Augustea) *ratis* IV, 6, 23.

33. *Diversæque novem*, etc. *Kuinoel* uno apud Burmannum, qui probaverat, adstipulante Codice: « *Et diversa* novem sortitæ rura puellæ... » Sed recte scripti omnes *Diversæ*, hoc est, alia aliam collis partem sortita; nam Burmannus quod reprehendit, « sonum ingratissimum *Diversæ sortitæ rura puellæ*, » hoc non magis, quam cæteras pares ejus argutias, moramur. — *Rura*. Pro quo *jura* (vices, officia) Barthius. Mutationem Scaliger nullo bono suaserat. — *In sua dona*; dona, quæ poetis diversa faciant. Hæc aliis thyrsum parat, aliis hæc lyram, texit illa aliis rosam.

E quarum numero me contigit una dearum;
Ut reor a facie, Calliopea fuit:
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco præconia classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano prælia signo

37. *E quarum... dearum.* Rhythmus quidem parum suavis est. Subvenit Broukhusius *sororum* ex altero Codice suo pro *dearum* scribendo. Nolim ego de causa tam levi reputare falsum quod agnoscunt libri omnes. — *Ut reor a facie*, quantum ex illius ore suspicor. — *Calliopea*, Calliope, ut I, 2, 28, III, 2, 14.

39. *Niveis cycnis vectabere.* Ita etiam curru suo vectus Ovidius, Art. Amat. III, 809: « Lusus habet finem: *cycnis* descendere tempus, *Duxerunt* collo *qui juga nostra* suo. » — *Nec te ad arma ducet fortis equi sonus*, nec te per arma feret bellicus equus cum sono (strepitu). Conf. II, 1, 18.

41. *Nil tibi sit*, etc. Versiculus variis modis tentatus, in quo primum *Nec tibi sit* alii, alii *Ne* vel *Ni tibi sit* reponendum conjiciunt. Parum scite quidem; nam subjunctivo modo hic non esse locum, futura satis indicant verss. 39 et 48 posita *vectabere* et *canes*. Teneamus igitur cum Lachmanno scripturam Codicum *Nil tibi sit*, quod ab altera formula vix differt *Nil erit hoc* IV, 1, 142. (Subjunctivus est, ut sæpe, pro futuro positus. Libro I, 10, 27: « At quo *sis* humilis magis et subjectus amori, Hoc magis effecto sæpe *fruare* bono. » I, 19, 20: « Tum mihi non ullo mors *sit* amara loco. » III, 6, 2: « Sic tibi *sint* dominæ, Lygdame, demta juga. » III, 7, 33: « Ancora te *teneat*, quem non tenuere Penates? » III, 14, 31: « Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi, *Invenias*. » III, 19, 5: « Flamma per incensas citius *sedetur* aristas.... Et placidum Syrtes portum, et bona litora nautis *Præbeat* hospitio sæva Malea suo; Quam, etc. ») Tum vero, pro eo, quod pariter libri consensu exhibent, *præconia*, *prætoria classica* (tubas ad prætorium sonantes) ex uno suo persuasit Beroaldus. Tu ne dubita, quin jure et hic vulgari adhærendum scripturæ Lachmannus censuerit. *Præconia classica* (laudes, quæ de victoriis navalibus sunt), non minus rectum hoc, quam *bella classica* II, 1, 28. *Flare* autem *cornu præconia*, ut *flare tuba prælia* Martialis, epigramm. XI, 3, 7: « At quam victuras poteramus pangere chartas, Quantaque Pieria *prælia flare tuba...!* » Gellius, Noct. Attic. I, 2: « Has ille inanes quum *flaret glorias*, jamque omnes finem cuperent... » ubi flatus quidem oris est, non tubæ. Cæterum *Flere* hoc nostro loco scripti omnes habent perperam. Dousa correxit. — *Nec.* Lachmannus *neque*. Vide IV, 5, 50. — *Aonium nemus Marte*, tumultu armorum, *cingere;* personare Helicona armis.

43. *Aut quibus in campis.* Sup-

Stent, et Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes
Nocturnæque canes ebria signa fugæ,
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.

plendum *flare* ex altero disticho : « Aut flare, quibus in campis Mariano signo stent prælia. » Vide not. ad eleg. 6, 13. — *Marianum signum.* Aquila Romana est, quam Marius in secundo consulatu suo, cæteris abdicatis signis, legionibus dicavit. Vide Plin. Hist. Nat. X, 4. — *Stent prælia.* Ita et Silius, IV, 274 : « Ut jussæ cessere retro, spatiumque dederunt Hinc atque hinc alæ, et medio *stetit* æquore *pugna.* » De quo verbo *stare* vide notata II, 9, 30. — *Stent.... refringat.* Vide not. III, 22, 13.

45. *Barbarus aut Suevo*, etc. Ariovisti clades, de qua Cæsar, Bell. Gall. I, 53. — Conf. Virgil. Æn. I, 100 : « ubi tot Simois correpta sub undis Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit. »

48. *Nocturnæque canes*, etc. Marklando assentitur Burmannus reponenti : « *Nocturnasque* canes, ebria signa, *faces.* » (*Faces ebria signa*, scilicet, quas dicit Noster I, 16, 8, ubi Persii locum indicavimus sat. V, 164 : « an rem patriam rumore sinistro Limen ad obscænum frangam, dum Chrysidis udas *Ebrius* ante fores exstincta *cum face* canto ? ») Sed recte libri omnes *nocturnæ fugæ signa ebria ;* quam scripturam quidem defendit *Kuinoel*, tamen verum sensum non vidit, quum acciperet : « coronas et faces amatorum, a rivalibus vel maritis fugatorum. » His verbis quid significetur, ex epigrammate Meleagri LXIV Lachmannus docet, in quo sidera lunamque feliciter amantibus micantem conjungit poeta, καὶ κώμων σύμπλεκτον ὀργάνιον. De jussu igitur Calliopeæ, *amantes alienum ad limen coronatos* celebrabit Propertius (juvenes, qui noctu post vinum ire ad amicas solent et adstare foribus cincti corollis suis), tum *nocturnæ fugæ signa ebria* (hilares sonos, quibus incitati convivæ ebrii per viam cursitant). *Alienum limen* est mariti, cujus petit uxorem procus. Hoc indicat versus : « Qui volet *austeros* arte *ferire viros.* »

49. *Excantare puellas ;* cantu ad se trahere, elicere domo. Verbum est de magicis carminibus proprium, quibus traduci ex agro in agrum segetes posse opinio fuit. Plinius, Hist. Nat. XXVIII, 2 : « Quid ? non et legum ipsarum in duodecim tabulis verba sunt, *qui fruges excantassit ?* » quod explicat Tibulli versus I, 8, 19 : « Cantus vicinis fruges traducit ab agris. » — *Ferire.* Figurate dictum ; id, quod nobis est *attraper.* Inferri marito ictum fingit, quum luditur. Neque Plautus aliter, Trinum. II, 1, 19 : « Ibi ille cuculus : Ocelle mi, fiat ! et istuc, et si amplius vis dari, Dabi-

Talia Calliope; lymphisque a fonte petitis,
Ora Philetæa nostra rigavit aqua.

tur! Ibi illa pendentem *ferit.* » Vide et Nostrum IV, 5, 44.

51. *Talia Calliope.* Hoc inesse vitii nemo non sentit Calliopeæ monitis, quod Apollo jam ante verbis paucioribus rem eamdem dixerat. — *Aqua Philetæa* est, de qua bibit Philetas. Cf. eleg. 1, 6.

IMITATIONES GALLICÆ.

5. *Parvaque tam magnis admoram fontibus ora.... Quum me Castalia speculans ex arbore Phœbus*, etc. *Madame* Dufrénoy, lib. II, *Élégies* (*le Poëme interrompu*), imitationem dissimulans addito ingenio :

De mon dessein hardi l'ame préoccupée,
Je cherchais des accords dignes de l'épopée ;
Et déjà de mes vers le rhythme plus nombreux
Plaisait à mon esprit de son plan amoureux.
Je les trace : une main les dérobe à ma vue.
De crainte, d'espérance émue,
Je me lève. O transports! c'était lui ; je le vois.
Quelque tems en secret il m'avait observée,
Et par le travail captivée,
Je n'avais entendu ni ses pas ni sa voix.
Il me sourit avec malice,
Et me dit du ton le plus doux :
Je n'exigerai pas un cruel sacrifice,
Je ne suis point amant jaloux ;
Je veux bien qu'Apollon t'occupe en mon absence :
Cependant, crois-moi, ne va pas
Sur la cime du Pinde invoquer sa présence ;
Le chemin est trop dur pour tes pieds délicats.
Aimer, toujours aimer, voilà ton énergie!
Si tu le désires, parfois,
Dans un sentier de fleurs, sous l'ombrage des bois,
Soupire la molle élégie.

17. *Non hic ulla tibi*, etc. Puella apud Dorat, *Baiser XX* (*la Couronne de fleurs*) :

Renonce, me dit-elle, à l'orgueil des lauriers ;
Laisse ces froids honneurs qu'ici tu te proposes :
Il faut des couronnes de roses
A qui peignit l'Amour et chanta les Baisers.

19. *Ut tuus in scamno*, etc. *André* Chénier, *élégie XXXII* :

Qu'une jeune beauté, sur la plume et la soie,
Attendant le mortel qui fait toute sa joie,
S'amuse à mes chansons, y médite à loisir
Les baisers dont bientôt elle veut l'accueillir.

ELEGIA IV.

C. AUGUSTO FAUSTA BELLI OMINA.

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna, viri, merces! parat ultima terra triumphos;
Tigris et Euphrates sub sua jura fluent;
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis;
Adsuescent Latio Partha tropæa Jovi.
Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ,
Et solitum armigeri ducite munus equi.

1. *Arma deus Cæsar*, etc. Vide Propertii Vitam Chronolog. ad ann. 731. — *Ad Indos.* Vide notata II, 24, 25. — *Gemmiferi maris.* Vide not. ad I, 14, 12.

3. *Magna, viri, merces!* Pulcherrima emendatio Heinsii, in vulgatis exemplaribus recepta: « Magna *viæ* merces: parat ultima terra triumphos. » Codicum scriptura « Magna *viri* merces » (merces Cæsaris) improbanda foret, etiamsi *deus Cæsar* non præcessisset. Nihilominus illa omnium librorum lectio, interpunctione mutata, optime se sustinebit: « Magna, *viri*, merces! parat ultima terra triumphos. » Milites cum Cæsare profecturos alloquitur, ut paulo post naves: « *Ite, agite*, expertæ bello *date* lintea proræ. » Sed ita quidem in minore versu Broukhusii emendatio retinenda est: « Tigris et Euphrates sub *sua* jura fluent. » Nam si *viæ merces* scribimus, *tua jura*, quod habent libri, tueri poteris iis, quæ dicentur ad eleg. 13, 42. *Sua* autem *jura* intelliges debitam ditionem; nam Broukhusius ipse male interpretatur, « *sui juris* erunt et liberi. » Lachmannus.

5. *Sera, sed Ausoniis*, etc. Et hic eleganti conjectura Gulielmius atque Heinsius: « *Seres et* Ausoniis *venient* provincia virgis; » quomodo jungit Horatius *Parthos, Seras* et *Indos*, Augusti etiam in laudibus, Carm. I, 12, 53 sqq. Sed et rectum id, ne dubita, quod agnoscunt libri: « *Sera, sed* Ausoniis *veniet* provincia virgis. » Ultima terra, inquit, nostra erit tarde quidem, sed accedet demum facta provincia.

7. *Expertæ bello*, doctæ vincere patriæ, ut de signis loquitur IV, 6, 24. — *Et solitum*, etc. Hunc versum Burmannus dum examinat, difficultatem quærit ubi nulla est. *Armigeros equos* haud dubie dicit

Omina fausta cano : Crassos clademque piate;
Ite, et Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, et sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis oneratos Cæsaris axes;
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos;
Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam, et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,

Noster junctos equos currui triumphantis ducis; *armigeros* eos, quia imposita curru arma sunt, capta ex hostibus. *Armigeri equi*, vocativus casus. — *Solitum munus;* assueta spolia, signa victoriæ. Ne quis autem triumphi mentionem factam miretur, loco non suo inter hosce versus positam : *Ite, agite, expertæ bello..... Crassos clademque piate*, confusionem orationis persimilem jam ante vidimus II, 19, 18.

9. *Crassos;* de quibus II, 10, 14. — *Clademque.* Ita Groninganus, Neapolitanus, alii complures : « Crassos *clademque* piate. » In cæteris, quod paulo minus rectum, *cladesque.*

13. *Qua videam*, etc. Persuasit viris doctis Muretus correctionem suam hanc : « Qua videam, spoliis *onerato* Cæsaris *axe*, Ad vulgi plausus... » Sed nihil erat mutatione opus, et scriptura satis bona Codices : « Qua videam spoliis *oneratos* Cæsaris *axes;* Ad vulgi plausus sæpe resistere equos. » In minore versu omittit Noster copulam *et*, quod et alibi non raro factum comperimus. Libro II, 8, 31 : « Viderat ille *fugas*, fractos in litore *Achivos.* » III, 9, 53 : « Prosequar et *currus* utroque ab litore ovantes, Parthorum astutæ *tela* remissa fugæ. » III, 12, 33 : « Nigrantesque domos animarum *intrasse* silentum; Sirenum surdo remige *adisse* lacus. » IV, 9, 27 : « Devia puniceæ *velabant* limina vittæ; Putris odorato *luxerat* igne casa. » — *Ad vulgi plausus*, etc. Ita et Ovidius, Trist. IV, 2, 53 : « Ipse sono plausuque simul fremituque canentum Quadrijugos cernes sæpe resistere equos. »

15. *Inque sinu caræ*, etc. Locus per se suavissimus; constructio non itidem placet hæc : « Ante meos obitus sit, precor, illa dies, Qua... *spectare incipiam* (et titulis oppida capta legam) *tela, arcus, captos duces.* » Sed vide mox eleg. 6, 13. — *Incipiam.* Vide II, 1, 31. — *Et legam titulis capta oppida;* quorum ibant imagines cum inscriptis nominibus in triumpho spectaculum. Vide notata II, 1, 31. Ovidius, Trist. IV, 2, 19 : « Ergo omnis poterit populus spectare triumphos, Cumque ducum titulis oppida capta leget. » *Tela fugacis equi*, fugacis Parthi; vide III, 9, 54. *Equus* pro equite, ut IV, 10, 38; cf. IV, 3, 36. — *Braccati militis.* Braccæ, Orientis gentibus in usu, de veste

Et subter captos arma sedere duces !
Ipsa tuam serva prolem Venus ; hoc sit in ævum,
Cernis ab Ænea quod superesse caput !
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores :
Me sat erit Sacra plaudere posse via.

quod genus etiam Ovidius, Trist. V, 10, 34, Persius, sat. III, 53. — *Et sedere subter arma captos duces.* Scilicet in pompâ ibant etiam tropæa imposita ferculis ; sub tropæis autem in effigie sedebant hostium duces captivo habitu. Vide Burmannum.

19. *Prolem tuam, Venus*, Augusteam. — *In ævum sit* (vivat in æternum) *caput hoc, quod*, etc. *In ævum*, ut *per ævum* IV, 2, 55.

21. *Præda*, præmium ; nam et aliquoties *præmia* dixit Noster prædam : vide II, 4, 15. — *Me.* Non minus rectum id, quod in impressis vulgatis est : *Mi sat erit.* Sed *Me sat erit* agnoscunt scripti meliores. — *Sacra via ;* de qua vide II, 1, 34.

IMITATIONES GALLICÆ.

3. *Magna, viri, merces!* etc. VOLTAIRE, *Odes, XVIII* (*sur la Guerre des Russes contre les Turcs, en* 1768), Moscovitas alloquens :

La Minerve du nord vous enflamme et vous guide ;
Combattez, triomphez, sous sa puissante égide :
Gallitzin vous commande, et Byzance en frémit ;
Le Danube est ému, la Tauride est tremblante ;
Le sérail s'épouvante,
L'univers applaudit.

9. *Crassos clademque piate.* LE BRUN, *Odes*, IV, 1, milites nostros ad arma concitat :

Soldats ! vouez ce glaive aux dangers de la France :
Ne quittez point ce fer de carnage altéré,
Que ce fer n'ait éteint sa soif et sa vengeance
Dans un sang abhorré.

19. *Ipsa tuam serva prolem Venus!* VOLTAIRE, *Épîtres, LII, au Roi de Prusse :*

O ciel, veillez sur lui, si vous aimez la terre !

ELEGIA V.

PACIS ARTIBUS ADDICTUM SE CANIT.

PACIS Amor deus est; pacem veneramur amantes:
Stant mihi cum domina prælia dura mea.
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis;
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,

2. *Stant mihi cum domina*, etc. In his cohærentiam vide, quæ nulla est: « Pacem veneror; dura mihi cum domina bella sunt; nec tam avarus sum, ut militari velim. » Quis hæc ita juncta capiat? Lege vero cum Livineio et Heinsio: « *Sat* mihi cum domina prælia dura mea. » Satis dura sibi hæc bella esse profitetur, ut novorum laborum nulla cupido sit. Lachmannus.

3. *Non tamen inviso*, etc. Iterum sententiarum connexio laborat: « Sat mihi cum domina prælia dura mea. Non *tamen* inviso pectus mihi carpitur auro. » (Quamquam dura mihi mea puella sit, quamquam pacem venerer, *tamen* avarus non sum.) Repono: « *Nec tantum* inviso pectus mihi carpitur auro. » Non tam avarum se esse dicit, ut opum congerendarum causa militiam optet. *Nec* pro *Non* habent scripti omnes præter Groninganum. *Tamen* et *tantum* ubique confunduntur; nec mirum, quum illud in Codicibus scribatur *tn̄*, hoc *tm̄*. Lachmannus.

4. *Nec bibit e gemma... Campania pinguis aratur.* Nihil est, cur illa multum admiremur, quæ sententiarum ordinem incongrue prorsus et subabsurde interrumpunt. Vide enim illis omissis cætera: « Nec tantum inviso pectus mihi carpitur auro... Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua. » Avarum se pernegat. Quid vero in mediis his, *Nec bibit e gemma..... Nec mihi mille jugis*, etc. quibus pauperem se profitetur, neque supellectile pretiosa nec latifundiis abundantem? quid hoc ad rem? Quid, quod ea re commemoranda ipse continentiam suam vix veram esse arguit. Repone igitur: « Nec tantum inviso pectus mihi carpitur auro, Nec *bibat* e gemma divite nostra sitis, Nec mihi mille jugis Campania pinguis *aretur*, Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua; » ut omnibus hisce versibus avarum se et opum appetentem neget. Lachmannus.— In re tam incerta quid agam, nescio. Si Codices sequimur, interpretatio bona aperte nulla est: si Lachman-

Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento jactamur, et hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.

num audimus, correctionis ingenium licentia fortasse superat. At hercle porro superet, nec persuaderi se patiantur timidi: malo ego temeritatis subire culpam, quam scite quod est absonum tueri. Iterum inspectis quæ Lachmannus disseruit, totum locum de conjectura restitutum lego: « Pacis Amor deus est; pacem veneramur amantes: *Sat* mihi cum domina prælia dura mea. *Nec tantum* inviso pectus mihi carpitur auro; Nec *bibat* e gemma divite nostra sitis; Nec mihi mille jugis Campania pinguis *aretur;* Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua. » — *Gemma bibere* dicit etiam Virgil. Georg. II, 506. — *Miser,* odiosus ac turpis. Vocabulum explicant quæ sunt ante posita: « Nec tantum *inviso* pectus mihi carpitur *auro.* » Sic libro I, 2, 32, *miseram luxuriam* dicit vilem ac temnendam. — De celeberrimo *Corinthi ære*, Plinius, Hist. Nat. XXXIV, 2. — *Clade.* Ita Groninganus, Mentelianus, alii: *clade, Corinthe, tua;* rectissime. Cæteri deteriores, cum quibus *Kuinoel:* « Nec miser æra paro *classe*, Corinthe, tua. »

7. *O infelix* (infausta, quæ non bene cessit *fingenti* artifici) *prima terra* (principium terra formando homini). Sic *principem limum* Horatius, Carm. I, 16, 13.

9. *Mentem in arte non vidit;* menti non providit in opere suo, quæ recta primum esse debuit. *Ars* pro opere, ut apud Ovid. Trist. V, 12, 48: « Utque dedit justas tauri fabricator aheni, Sic ego do pœnas *artibus* ipse meis. »

11. *In tantum maris* (per vasta, per tanta illa maris æquora, vide eleg. 11, 70) *jactamur.* — *Atque armis nectimus arma nova,* bella bellis superaddimus. *Nectere Martem vulnera* ita dicit Statius, Thebaid. IX, 567.

13. *Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;* tu quicumque prædam bello tam cupide petis. Indefinite secunda persona posita, ut II, 4, 1. Vide III, 13, 42. — *Nudus,* etc. Interpolati libri, cum quibus impressi omnes: « Nudus *ab inferna*, stulte, vehere *rate;* » pro quo *Nudus at inferna* Schraderus, locutionem *vehi ab rate* quum aperte vitiosam sentiret. Sed aliud longe diversum in scriptis cæteris melioribus hoc: « Nudus *ad infernas,* stulte, vehere *rates.* » *Infernas rates,* rectissime; nam duas esse, quibus animæ transvehuntur, Propertius, undecumque sumserit,

Victor cum victis pariter miscebimur Indis:
  Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes;
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
  Optima mors, Parcæ quæ venit acta die.
Me juvet in prima coluisse Helicona juventa,
  Musarumque choris implicuisse manus;
Me juvet et multo mentem vincire Lyæo,
  Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi jam Venerem gravis interceperit ætas,
  Sparserit et nigras alba senecta comas,
Tum mihi Naturæ libeat perdiscere mores:

ipse sibi testis est IV, 7, 55 sqq. Non fefellit res, ut putas, Lachmanni judicium. — Similis apud Sil. Italicum sensus, V, 265: « modo quem fortuna fovendo Congestis opibus donisque refersit opimis, Nudum Tartarea portabit navita cymba. »

15. *Victor miscebimur.* Quomodo etiam Ovidius, Metam. XII, 499: « Monychus exclamat, *Populus superamur* ab uno Vixque viro. » Noster IV, 5, 75: « *Quisquis amas*, scabris hoc bustum *cædite* saxis. »

17. *Irus.* Cujus nomen in proverbium cesserat, si quis exprimere vellet miseriam. Martial. epigramm. VI, 77, 1: « Quum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus. » Conf. Homer. Odyss. σ, 1 sqq. — *Dulichius.* Vide II, 2, 7. — *Optima mors*, etc. Scriptura vulgaris erat: « Optima mors, *Parca* quæ venit *apta* die; » de qua Lachmannus, ut opinor, vere: *Parca dies*, inquit, si Scaligero fides, est ἡ πεπρωμένη ἡμέρα, quia glossæ veteres *Parcam* τὴν πεπρωμένην interpretantur. At scilicet *Parcam* pro fato dicunt, τῇ πεπρωμένῃ· *Parcam diem*, κῆρα ἡμέρην, nemo dicere potest. Præterea *apta mors* quæ sit, nemo facile expediat. Repone: « Optima mors, *Parcæ* quæ venit *acta* die. » *Acta* habet Neapolitanus cum aliis nonnullis, et firmat Propertius III, 7, 30: « Ista per humanas *mors* venit *acta* manus. » *Parcæ* autem *dies* est dies fatalis, destinata morti. Sic apud Virgil. Æneid. XII, 150: « *Parcarumque dies* et vis inimica propinquat. » — Versiculum ex emendatione restitutum damus, in quo, ut orationi leges suæ redeant, una mutata litera, nec amplius, satis est.

19. *Juvet.* Sic Neapolitanus cum Menteliano, *Me juvet*, quod ut hoc versu et altero 21 reponeretur pro vulgari *Me juvat*, etiam suadebant quæ sequuntur: « Tum mihi Naturæ *libeat* perdiscere mores. » Eadem conjunctivi forma II, 34, 59.

22. *Et habere semper in verna rosa caput;* id est, coronatum semper caput vernantibus rosis. Sic potare *in rosa* Thorius dictus apud Ciceronem, de Fin. II, 20.

25. *Tum mihi Naturæ*, etc. Ovi-

Quis deus hanc mundi temperet arte domum;
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua, luna, redit;
Unde salo superant venti; quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde perennis aqua;
Si ventura dies, mundi quæ subruat arces;
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas;

dius, Metam. XV, 67, ubi Pythagoras « magni primordia mundi, Et rerum causas, et quid Natura, docebat: Quid deus, unde nives, quæ fulminis esset origo; Juppiter, an venti, discussa nube tonarent; Quid quateret terras, qua sidera lege mearent; Et quodcumque latet. » Apud Statium Apollo (Thebaid. VI, 358) « Orsa deum... Tunc aperit: quis fulmen agat, quis sidera ducat Spiritus, unde animi fluviis, quæ pabula ventis, Quo fonte immensum vivat mare, quæ via soles Præcipitet, noctem quæ porrigat, imane tellus, An media, et rursus mundo subcincta latenti. » Vide etiam quæ tam pulchris versibus canit Virgilius, Georg. II, 475 : « Me vero primum dulces ante omnia Musæ, etc. » — *Naturæ mores*, Naturæ agendi vias; ut *varium cæli morem* Virgilius, Georg. I, 51. — *Mundi hæc domus* est Rerum universus status. *Mundum* Noster facit *domum*, quem Cicero *urbem* ac *civitatem*, de Finibus III, 19 : « *Mundum* autem censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem *urbem* et *civitatem* hominum et deorum. »

27. *Qua venit exoriens*, etc. Aliter interpungendo critici (*Qua venit Exoriens, qua deficit; unde coactis Cornibus*, etc.) linguam manifeste vitiant. Nam si *Exorientem* pro *Oriente* dicere Noster fortasse potuit, quo vocabulo Codices usum Albinovanum testantur (in Obitum Mæcenatis, vs. 56), quis ferat ineptum hoc, vel potius quis umquam scripsit: *deficit Exoriens* pro *Sol occidit?* Sæcula sunt, quum verum sensum primi editores viderunt, cum quibus distinguo: *Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis Cornibus*, etc. Lunæ alternas vices significat poeta, quæ modo nascitur, iterum deficit (nulla fit), alio tempore plena visitur.

29. *Unde salo superant venti*, in mari quam maxime sæviunt. *Superare* neutra forma dicunt rem, quæ quocumque modo multa est. Ovidius, Metam. V, 154 : « Sed sonus armorum *superat*, gemitusque cadentum. » *Sonus armorum superat*, auditur ingens repetitis armis. — *Quid captet*, insidiose minetur, *Eurus flamine*.

31. *Si ventura dies*, etc. Ovidius ore epico, Metam. I, 256, ubi Jupiter « Esse quoque in fatis reminiscitur, adfore tempus, Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli Ardeat, et mundi moles operosa laboret. » — *Bibit*. Pro quo *bibat* ex libris paucioribus *Kuinoel*. *Bibere* de arcu cælesti etiam Virgil. Georg. I, 380.

Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis;
Cur serus versare boves et plaustra Bootes;
Pleiadum spisso cur coit igne chorus;
Curve suos fines altum non exeat æquor,
Plenus et in partes quattuor annus eat;
Sub terris si jura deum et tormenta Gigantum;
Tisiphones atro si furit angue caput;
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut jejunia Phinei;

33. *Aut cur Pindi tremuere cacumina.* Tremefactus Pindus concussa terra, prǫ terræ in universum significandis motibus. — *Perrhæbus.* Perrhæbi, Macedoniæ confines, qui quum a Lapithis sede sua pulsi essent, in Pindum fugerunt, unde trahit Noster epitheton monti. Vide quos laudant auctores viri docti. — *Solis et atratis*, etc. Solis defectus: *Aut cur* (qua de causa) *solis orbis luxerit atratis equis. Luxerit* a *lugendo*, quod propria significatione est *induere luctus colorem nigrum.* Unum, sed insigne, proferam ex Martiale exemplum, epigr. XIV, 157. De lanis Pollentinis loquitur: « Non tantum pullo *lugentes* vellere *lanas*, Sed solet et calices hæc dare terra suǫs. » *Lugentes lanas*, hoc est, *atras, quæ significant luctum.* Cæterum apud Nostrum solis orbem cum equis junctum (pro Sole ipso) ne mirere post alia multa, quæ jam ante notavimus; sed vide magni poetæ judicium in re eadem: « Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam, Quum *caput* obscura nitidum ferrugine *texit.* »

35. *Bootes.* Vide II, 33, 24. — *Spisso igne.* Codicum omnium scriptura haud dubie bona: « Pleiadum *spisso* cur coit *igne* chorus; » Pleiades in chorum cur spissis ignibus (confertis stellis) ǫeant. Apte comparat Lachmannus Germanicum, qui de eisdem Vergiliis, Phænom. 256: « *brevis* et *locus* occupat omnes; Nec faciles cerni, nisi quod *coeuntia* plura *Sidera communem* ostendunt ex omnibus *ignem.* » Vulgo, ex emendatione Heinsii: « Pleiadum spisso cur coit *imbre* chorus. » *Spisso imbre*, cum imbre spisso; omnino, Cur imbriferæ Pleiades.

39. *Sub terris si jura deum*, etc. Omnia quæ de inferis tradita, judicia et pœnas, Tisiphonen, Furias, Cerberum, pauci tum erant, ævo Augusteo, qui vel crederent, vel non irriderent.

41. *Aut Alcmæoniæ furiæ.* Supple *sint:* Aut si sint Furiæ, quibus exagitetur parricida Alcmæon (II, 16, 29). Vide mox eleg. 6, 13. — *Aut jejunia Phinei.* Vates Phineus, Thraciæ rex, cui, sive propter deorum vulgata consilia, sive, ut alii volunt, quia proprios filios excæcaverat, ipsi ademtum lumen et immissæ Harpyiæ sunt, quæ miseri cibum raperent aut corrumperent sordibus suis. Vide Gierig. ad Ovid.

Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas;
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo jugera pauca novem;
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic vitæ superet mihi! Vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

Metam. VII, 3. Cæterum Propertii figmentum novum est ponere apud inferos jejunia, quibus cruciatus est in vita Phineus. — *Num rota*, Ixionis; *num scopuli*, Sisyphi; *num sitis inter aquas*, Tantali.

45. *An ficta fabula descendit in miseras gentes;* an potius non meræ sint fabulæ, antiquo ab ævo dilapsæ per gentes; *et timor haud esse potest ultra quam rogus;* et frustra protendat humana mens ultra tumulum pavores suos. *Descendere*, ut apud Manilium, I, 740, « Fama etiam antiquis ad nos *descendit* ab annis. »

47. *Superet;* mihi destinetur; talem mihi fata concedant! *Superare*, superesse, ut IV, 2, 57. — *Vos, quibus arma*, etc. Tibullus, I, 1, 75 : « Vos, signa, tubæque, Ite procul, cupidis vulnera ferte viris, Ferte et opes. » — *Crassi signa referte domum.* Vide supra, eleg. 4, 9. Eodem tempore hoc et illud carmen scriptum est.

IMITATIONES GALLICÆ.

7. *O prima infelix fingenti terra Prometheo!... Nunc maris in tantum vento jactamur, et hostem Quærimus, atque armis nectimus arma nova... Optima mors, Parcæ quæ venit acta die.* Ita etiam VOLTAIRE, *Satires* (*la Tactique*), homines non ad bellum, non ad cædem natos esse :

... je ne crois pas que la nature humaine
Sortit (je ne sais quand) des mains du Créateur
Pour insulter ainsi l'éternel bienfaiteur,
Pour montrer tant de rage et tant d'extravagance.
L'homme avec ses dix doigts, sans armes, sans défense,
N'a point été formé pour abréger des jours
Que la nécessité rendait déjà si courts.

13. *Haud ullas portabis opes*, etc. Lyricus ROUSSEAU, *Odes*, I, 3, hominibus adventantem mortem intendit proximam, tum alloquens superbos :

Que deviendront alors, répondez, grands du monde,
Que deviendront ces biens, où votre orgueil se fonde,

Et dont vous étalez l'orgueilleuse moisson ?
.....

Vous avez vu tomber les plus illustres têtes,
Et vous pourriez encore, insensés que vous êtes,
Ignorer le tribut que l'on doit à la mort ?
Non, non, tout doit franchir ce terrible passage :
Le riche et l'indigent, l'imprudent et le sage,
Sujets à même loi, subissent même sort.

MALHERBE, lib. II, *Stances* (*aux Ombres de Damon*, 1604) :

Tout ce que la grandeur a de vains équipages,
D'habillemens de pourpre, et de suite de pages,
Quand le terme est échu, n'allonge point nos jours.
Il faut aller tout nus, où le destin commande, etc.

GILBERT, *ode première, le Jugement dernier* :

Ici perdent leur prix l'or et le diadème ;
Ici l'homme à l'homme est égal.

19. *Me juvet in prima*, etc. Expressit *André* CHÉNIER totum hoc ita, *élégie XXV* :

Reine de mes banquets, que Lycoris y vienne ;
Que des fleurs de sa tête elle pare la mienne ;
Pour enivrer mes sens, que le feu de ses yeux
S'unisse à la vapeur des vins délicieux.
Hâtons-nous ; l'heure fuit : un jour, inexorable,
Vénus, qui pour les dieux fit le bonheur durable,
A nos cheveux blanchis refusera des fleurs,
Et le printems pour nous n'aura plus de couleurs.
.....
C'est alors qu'exilé dans mon champêtre asile,
De l'antique sagesse admirateur tranquille,
Du mobile univers interrogeant la voix,
J'irai de la Nature étudier les lois :
Par quelle main sur soi la terre suspendue
Volt mugir autour d'elle Amphitrite étendue ;
Quel Titan foudroyé respire avec effort,
Des cavernes d'Etna, la ruine et la mort ;
Quel bras guide les cieux ; à quel ordre enchaînée,
Le soleil bienfesant nous ramène l'année ;
Quel signe aux ports lointains arrête l'étranger ;
Quel autre sur la mer conduit le passager,
Quand sa patrie absente et longtems appelée
Lui fait tenter l'Euripe et les flots de Malée ;
Et quel, de l'abondance heureux avant-coureur,
Arme d'un aiguillon la main du laboureur.

ELEGIA VI.

AD CYNTHIÆ SERVUM LYGDAMUM.

Dic mihi de nostra, quæ sentis, vera puella:
Sic tibi sint dominæ, Lygdame, demta juga.
Num me lætitia tumefactum fallis inani,
Hæc referens, quæ me credere velle putas?
*Omnis enim debet sine vanis esse relator, 5
Majoremque metu servus habere fidem.*
Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima

1. *Dic mihi vera, quæ de nostra puella sentis;* prome, puer, de Cynthia veros sensus tuos. Scilicet, orta Propertium inter et Cynthiam discordia, solus, sola quid agat illa, Noster scire cupit, et interrogat Lygdamum. — *Sic tibi demta dominæ juga sint; sic* (de conditione qua) per me, Lygdame, liber eris (ut extremo carmine iterum poeta). — *Sint*, erunt. Vide III, 3, 41.

5. **Omnis enim debet.... servus habere fidem.** Versiculi duo non boni, interpolati, si Lachmannum audimus, de quo tute, qui legis, expensis rationibus judica. Illud unum observabimus nos, sublato disticho, aperte inter cætera deficere connexum. Quid enim hoc: « Num me, Lygdame, inani lætitia vis fallere? *Nunc* mihi, quæcumque scis, fideliter narra. » Sed porro Lachmannus ita: Primum, inquit, cum prioribus nova hæc per particulam *enim* male conjunguntur; tum oratio minus culta et elegans; tota sententia vero non otiosa solum est, quæque de domina sua aliquid scire festinantem non deceat; sed et aperte falsa, quum neque omnes nuntios vera referre oporteat; nec Propertius a Cynthiæ servo, ut sibi fidus sit, postulare possit; nec Lygdamo quidquam metuendum sit, si, quid agat Cynthia, narret. Præterea magnum suspicioni pondus insignis lectionis varietas addit. Nam in versu majore quatuor Codices confirmant lectionem, quam Volscus dedit anno 1488, *sine vanis esse relator:* cæteri omnes, *sine vano nuntius esse* (prius illud Regius liber E, posterius hoc Regius alter F). Pentameter a Mureto ita est constitutus, *Majoremque metu*, etc. quum in suo Codice a prima manu invenisset scriptum, *Majoremque metuens:* libri cæteri universi, « Majoremque *timens* servus (Neapolit. *serus*) habere fidem; » quod uti pæne caret sensu, ita hujus distichi auctorem fortasse non dedecet.

Incipe : suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomtis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
Ornabat niveas nullane gemma manus?
At mœstam teneris vestem pendere lacertis,
Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus, et tristes sua pensa ministræ
Carpebant? medio nebat et ipsa loco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana,
Rettulit et querulo jurgia nostra sono?
Hæc te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?

8. *Auribus bibere.* Ita etiam Ovidius, Trist. III, 5, 14; Horatius, Carm. II, 13, 32. *Sitientis aures* (meas sitientes) Cicero ad Attic. II, 14.

13. *At mœstam pendere vestem.* Retrahe ex antecedentibus *vidisti*: « Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto (Ornabat niveas nullane gemma manus?), At mœstam (vidisti) teneris vestem pendere lacertis? » Orationis structura similis eleg. 3, 41 : « Nil tibi sit rauco præconia classica cornu Flare, nec Aonium cingere Marte nemus, Aut (flare) quibus in campis Mariano prælia signo Stent, et Teutonicas Roma refringat opes. » Eleg. 4, 15 : « Inque sinu caræ nixus spectare puellæ Incipiam (et titulis oppida capta legam) Tela fugacis equi, et braccati militis arcus, Et subter captos arma sedere duces. » Eleg. 5, 39 : « Sub terris si jura deum (sint), et tormenta Gigantum; Tisiphones atro si furit angue caput; Aut (si sint) Alcmæoniæ furiæ, aut jejunia Phinei, etc. » Vide et III, 22, 37. — *Nec speculum strato lecto vidisti?* non lectum, ut solet, arte compositis stragulis, non speculum ad manum in lecto vidisti? — *Gemma* pro annulo. — *At mœstam.* Ita Groninganus, Mentelianus, alii nonnulli, *At*, verissime. Vide enim, si cum cæteris scribamus *Ac mœstam*, orationis vitium : Nec speculum nec stratum lectum vidisti, *ac* vestem pendentem vidisti Cynthiæ? — *Mœstam pendere vestem.* Mœsti ita sunt apud Virgilium capilli pendentes, Æneid. XI, 35 : « Et *mœstum* Iliades *crinem* de more *solutæ*. » — *Scriniaque jacere clausa.* Scrinia unguentorum sunt (vide Plin. Hist. Nat. XIII, 1), *clausa jacentia*, de quibus cura Cynthiæ jam nulla.

16. *Medio nebat et ipsa loco?* inter ancillas media, qui locus heræ proprius. Cæterum de Romanis lanificis vide nos ad I, 3, 41.

18. *Rettulit et querulo sono nostra jurgia?* enarravit et illa mœste querens discordiam nostram?

19. *Hæc te teste mihi*, etc. Sunt,

Est pœnæ servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto!
* Æqualem nulla dicere habere domo! *
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto!
Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit:

quæ fingit Noster, Cynthiæ plorantis ad Lygdamum verba. Jurgia nostra, inquit, « retulit illa querulo sono? Erant et ejus voces narrantis tibi dolores suos: *Hæc te teste mihi promissa est, Lygdame, merces*, etc.? » Non erat, ut vides, cur in hac elegia vir doctus (*Kuinoel*) dialogi inducta forma Propertium sciscitantem ac respondentem Lygdamum repræsentaret, quorum ille usque ad versum 18 de Cynthia inquirat; hic a versu 19 ad 34 audita referat; iterum Propertius (35—42) servum alloquatur. — *Est pœnæ, rumpere fidem servo teste*; hoc est, fidem, cujus, quum daretur, servus testis fuit. *Esse pœnæ*, ut *dedecori* vel *gloriæ esse*, et similia passim in auctoribus.

21. *Facto nullo*, nullo de crimine. Vide I, 18, 26. — **Æqualem nulla...** Versiculus male in libris habitus, de quo videamus varia criticorum tentamina. Primus Scaliger correxit: « Ille potest nullo miseram me linquere facto, *Ac qualem* nulla dicere habere domo! » Quod ut quanti sit judicemus, satis erit ipsius Scaligeri interpretationem afferre: « Ille potest dicere, se habere domi suæ amicam, qualem in nulla domo alius habere possit! » Codicum scripturam *Æqualem* servat *Kuinoel*, et explicat: « Ille Propertius potest me linquere, nullo crimine commisso, et dicere, me rivalem nulla habere domo! non esse fraudes in amore ipsius! » Ecquid novi hoc? *Æqualem* esse *rivalem Cynthiæ?* Miror audaciam pulchram et ingenium, sed ut persuadear, meliorem horam exspecto. Burmannus conjicit: « Ille potest nullo miseram me linquere facto, *At qualem* nulla *possit* habere domo! » Et Lachmannus: « Ille potest... Æqualem nulla *cui sit* habere domo! » (hoc est, Me, cui æqualem paremve puellam nulla domo reperire poterit; *sit*, ut alibi sæpius, pro *liceat* posito.) In posterioribus his invenio saltem judicium; sed ut conjecturam probemus, rationi ac judicio accedat veri aliqua species necesse est. De qua re quum nec Burmannus magis, nec magis Lachmannus satisfaciat, alterutrum accipere commentum nego, et mutatione nulla reddo quod habent Codices.

24. *Insultet morte mea.* Pro *morti meæ* positum accipiunt (vide IV, 8, 10); sed recte casu sexto poeta: Insultet ille mihi morte mea.

25. *Illa*, quæcumque captum Propertium tenet. Cum contemtu pronomen *illa* positum, ut IV, 6, 63, et *iste* passim (vide I, 2, 25), et *ille vir* II, 9, 48. — *Mores* hic, animi dotes, (*les qualités.*) Sic libro IV, 11, 88 et 101. Laudant viri docti artificem rhythmum, quo Cynthiæ inter queren-

Staminea rhombi ducitur ille rota;
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ
Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt;

dum gemitus audire in hoc versu nobis videamur. Ita erit, si voles; quamquam tam raro hasce elegantias curat Propertius, ut quos alius reputet arte elaboratos numeros, alius non immerito possit neglectos modo et incultos dicere. — *Staminea rhombi rota.* Vide II, 28, 35. *Rhombi rota*, pro rotatione, ut *mora* sæpe commoratio est (vide I, 13, 6), et *fuga* perfugium II, 16, 40. — *Ducitur ille* veneficii ludibrium; agitur, trahitur ille, ut habes *trahere* vs. 28.

27. *Ranæ rubetæ portenta;* vis ranæ rubetæ magica. De superstitione hac, multa Plinius Hist. Nat. XXXII, 5. *Rana rubeta* est, ut indicat nomen, quæ rana vivit in rubis. *Turgens*, veneno turgida. — *Et lecta exsectis*, etc. Mire et hic vir doctus (*Kuinoel*): « Trahunt eum ossa lecta et angues exsectæ. *Ossa lecta;* ossa enim veneficæ e cineribus et rogis legere solebant, iisque ad maleficium uti. *Exsectis*, sectis, *anguibus*, pro serpentibus quibusvis: supple *cum*. » Nihil dico, sed respondebis tu, cui talia narrantur. Mutat Broukhusius versum, de conjectura suadens: « Et lecta exsectis *unguibus* ossa trahunt. » In quibus aliud hoc vitii inest, quod interpretationem verba non sequuntur; nam ossa cum sectis unguibus cadaverum accipit (unguium segmina nota sagis fuisse constat), structura difficili et in ambiguum oratione concepta. Rectius Burmannus: « Et lecta *exsuccis unguibus* ossa trahunt; » (mortuorum ossa lecta aridis unguibus, quum sint plerumque anus, quibus officium hoc tribuunt poetæ;) vel *exsertis unguibus* cum Mitscherlichio (ad Horat. epodd. V, 20), nisi quod utrumque vocabulum *exsuccus* et *exsertus* digitis melius, quam unguibus, convenire Lachmannus annotat. Cujus ipsius Lachmanni si conjecturam diversissimam sequimur, non *anguibus* de fide Codicum, non *unguibus* Broukhusio cæterisque præeuntibus scribemus, sed *ignibus*, quod quum in libris exaratum sæpe legatur *inguibus*, nihil jam mirum, prima litera corrupta factum esse *anguibus*. Ita Heinsio videri, quum *ex seris ignibus* volebat, male tamen, quum ignes rogales *seri* non possint dici, nisi hominis defuncti respectu habito; et Marklando, qui *ex atris ignibus*, sed nulla cum veri specie. Repono, inquit vir doctus: « Illum turgentis ranæ portenta rubetæ Et lecta *ex structis ignibus* ossa trahunt. » *Ex structis* vel uno vocabulo *exstructis* scripturæ compendium in Codicibus exhibet *extctis*, litera superposita *u*, quam prior *t* sustinet: inde errore facili *exectis*, *exsectis*, cætera librorum varia. *Structi* autem *ignes*, ut *structi* et *exstructi rogi* apud Ovidium, Trist. I, 3, 98, IV, 10, 86, Heroidd. XV, 116. Jam porro ex iis omnibus, quæ præcesserunt, patet, corruptum haud dubie reputari criticis quod habent membra-

Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta toro.
Si non vana canunt, mea, Lygdame, somnia testor:
Pœna erit ante meos sera, sed ampla, pedes;
Putris et in vacuo texetur aranea lecto;

næ, « Et lecta *exsectis anguibus* ossa trahunt. » Scilicet causam esse, quia nihil ad sagas faciunt angues, quos veneno carere docet Plinius (H. N. XXIX, 3, seu 22), tum quia ex anguium sectis ossibus parari quod amorem conciliet, locus veterum nullus indicat. His respondeo ego non magnum fundamentum subesse. Nam primum, si natura negat, poetæ ex ingenio suo non semel anguibus venenum tribuunt. Ovidius, in Ibide, 483: « Neve *venenato* levius feriaris ab *angue*, Quam senis Œagri Calliopesque nurus. » Art. Amat. III, 7: « Dixerit e multis aliquis: Quid *virus in anguem* Adjicis, et rabidæ tradis ovile lupæ? » Manilius II, 44, ab ipso Lachmanno citatus: « Ille *venenatos angues*, hic nata per herbas Fata refert, vitamque sua radice ferentes. » Tum quærimus, quid magis vagum et indefinitum artibus his, quibus superare magas naturam opinio fuit? quid, in quo magis ludere ac fingere scriptores possint? Atque ubi dederis hoc, objicies poetæ non gravi, nostro inprimis, aliquid excogitatum novi? mutare veteres historias Propertio jus erit (vide notata III, 7, 23), cui nec liceat in re tam parva, qualis magica est, a vulgaribus præceptis discedere? Absonum hoc et ridiculum. Quare igitur nullus dubito, quin temerarii animi sit versu hoc nostro velle quidquam refingere, et restituo scriptis Codicibus fidem, quam non satis firmis rationibus impugnant critici.

29. *Strigis plumas* Horatius itidem cum rana conjungit, in illo Canidiæ celeberrimo veneficio, epodd. V, 19 sq. — *Busta jacentia*, strata ruinosa. — *Cinctaque... toro. Toro* bene correxit Heinsius, quum *viro* esset in libris sensu nullo. Sed pro *Cinctaque* nescio an non injuria idem Heinsius *Vinclaque* vel potius *Vinctaque toro vitta* suaserit, quorum illud Broukhusius et Barthius, hoc admisit Lachmannus. Nam *cinctam toro vittam*, opinor, satis intelligimus, non, ut Lachmannus, quam torus cingit, sed quæ toro circumducitur. *Funestus torus* est feralis, et *vittæ* ac fasciæ nemo nescit quam frequenti in usu apud veteres occurrant. Feralis autem lecti in magica re mentio apud Lucanum VI, 536, ubi Thessala Erichtho « nigroque volantia fumo Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes Colligit in cineres. »

31. *Si non vana canunt* (portendunt, significant), *testor mea somnia.* — *Pœna erit ampla;* Propertio servata, qui me prodit miseram. *Ante meos pedes*, quum pœnitens et humilis flexo genu orabit veniam.

33. *In vacuo lecto aranea texetur.* Araneæ suspensa tela, indicium deserti loci etiam II, 6, 35. —

Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quæ tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via,
Et mea cum multis lacrymis mandata reporta:
Iram, non fraudes, esse in amore meo;
Me quoque consimili impositum torquerier igni
Jurabo, et bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

Noctibus illorum (Propertii et istius novæ) *ipsa Venus dormiet*, voluptatem negans et frigida. Cæterum, in disticho hoc notabimus compositionem orationis inversam, et posteriore loco positum quod debuit præcedere. Nam certe prius experturi in lecto amantes erant Venerem vi nulla, quam discidio amoris facto vacuum lectum aranea invaderet. Sed orationis talem concordiam vix attendit Propertius.

35. *Quæ tibi*, etc. Loquitur ipse Noster ad finem usque carminis. — *Veris animis*, cum dolore vero. — *Hac eadem via.* Nos Galli, *de ce pas même.*

40. *Et bis sex integer esse dies. Integer.* Primus casus pro quarto positus, ut non raro Latini ad imitationem Græcorum. Hoc est: « Et bis sex dies me fuisse *integrum*; » vel potius ex intima structura: « Et bis sex dies *integer*, me per hosce dies fuisse *integrum*. » Sic II, 9, 7, de Penelope: « *Visura* et quamvis numquam speraret Ulixen; » (Et quamvis numquam Ulyssem *visura*, numquam se illum *visuram* esse speraret.) Conf. IV, 7, 63; Catullum Carm. IV, 1; Horatium epist. I, 7, 22. Apud Nostrum igitur hoc loco constructiones diversas duas agnoscit Huschkius, in nuperis ad Tibullum notis, pag. 38: « *Me* quoque consimili *impositum* torquerier igni *Jurabo*, et bis sex *integer esse* dies. » Ita erit haud dubie, si retineamus *et* in minore versu. Sed particula quum parum certa et addita a librariis videri possit, quam Neapolitanus, Mentelianus, alii libri complures omittunt, Lachmannus post *Jurabo* exstitisse olim pronomen *hos* conjicit, ut distinctione mutata legatur: « Et mea cum multis lacrymis mandata reporta: Iram, non fraudes, esse in amore meo; Me quoque consimili impositum torquerier igni; Jurabo *hos* bis sex integer esse dies. » — *Consimili me igni impositum*; quantum illam acriter, pungentibus me absentiæ stimulis. Figurata locutio similis est III, 24, 13. — *Integer*, castus, nescius feminæ. — *Bis sex dies*; quot discordia duraverat.

41. *Quod mihi si tanto.* Magis aperto sensu cum Lachmanno scribetur: « Quod mihi si *e* tanto felix concordia bello Exstiterit. » Liber Neapolit. indicat, in quo *et tanto*.

ELEGIA VII.

LUCRUM PÆTO JUVENI NAUFRAGII CAUSA ET MISERÆ MORTIS.

Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es;
Per te immaturum mortis adimus iter!
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes;
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit ævo,
Et nova longinquis piscibus esca natat;
Et mater non justa piæ dare debita terræ,

1. *Ergo.* In exclamatione, et solummodo ita, particulam *ergo* aut *igitur* admittit usus initio carminis: vide Nostrum I, 8, II, 8, 17, III, 23, Ovidium Amorr. II, 7. Jungimus hic, ubi se dat locus, observationem omissam II, 13, 17. — *Immaturum mortis iter,* nobis adhuc non decretum.

4. *Semina curarum de capite* (de fonte) *orta tuo;* curarum tu fons atque origo es. Dictio ipsa versiculi parum placet.

5. *Pætum.* Cognomen est Romanis familiis pluribus commune; Ælius, Papirius, Arrius, Cæsennius, et Considius. De Pæto hoc nostro præter ejus ætatem (vs. 7) nihil constat. — *Pharios portus.* Vide II, 1, 30.

8. *Et nova longinquis,* etc. Ovidius in Ibide, 150: « Sive per immensas jactabor naufragus undas, Nostraque longinquus viscera piscis edet, etc. »

9. *Et mater,* etc. Lachmannus (ad eleg. 10, 12) accipit: « Nec potest mater dare justa Pæto, quæ Telluri (diis inferis) debentur. » Parum recte, opinor; nam epitheton *pius* quid significat, cum Tellure, hoc est, inferis, conjunctum? Præstat igitur, ut *piam terram* intelligamus tumulum, cui justa debita mater non solvit. Quomodo mortuis, ita et tumulis vel rogis *dare justa* dicebant. Ovidius, Fast. VI, 491: « Mœsta Learcheas mater tumulaverat umbras, Et *dederat* miseris omnia *justa rogis;* »

Nec pote cognatos inter humare rogos :
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ ;
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.
Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alveus iste viros.
Pæte, quid ætatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.

miseris rogis, pro quo Noster *piæ terræ*. — Confer Tibulli distichon citatum I, 17, 12. — *Nec pote cognatos*, etc. Catullus, LXVIII, 97, fratrem luget ademtum, « Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra, Nec prope cognatos compositum cineres » Trojæ aliena terra detinet. — *Pote*, ut II, 1, 46.

11. *Sed tua nunc volucres*, etc. Ariadna apud Ovidium, Heroidd. X, 123, Theseo exprobrans perfidiam suam : « Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ? Hæc sunt officiis digna sepulcra meis? » — *Tua*. Pætum ipsum alloquitur, nominatum in superioribus persona tertia. Eadem forma erit versu 33, de qua vide III, 13, 42. — *Carpathium mare*. Vide II, 5, 11. — *Est*. Omissum verbum in exemplaribus impressis Lachmannus cum libro Neapolitano et aliis apud Burmannum pluribus revocat. Vide notata II, 6, 15.

13. *Aquilo, raptæ timor Orithyiæ*, quem timuit rapta Orithyia : vide I, 20, 26. De Orithyia, ibidem versu 31.

16. *Alveus*, navigium. Ita Virgil. Æneid. VI, 412, Silius Ital. XIV, 541. — *Sanctos viros*, pios, innoxios.

17. *Quid ætatem numeras?* quid tibi tam juveni moriendum esse quereris? — *Quid tibi natanti cara mater in ore est?* Ita Propertium clamat in simili mortis discrimine Cynthia II, 26, 12, ubi etiam confer Ovidii citatum locum. — *Non habet unda deos*. Refer ad illam formulam, qua *non esse deos* querebantur adversis in rebus, contra *deos esse* exclamabant, si quid læti succederet. Propertius I, 6, 8 : « Et queritur *nullos esse* relicta *deos*. » Eodem libro I, 8, 41 : « *Sunt* igitur *Musæ*, neque amanti tardus Apollo ; Quis ego fretus amo. » Aliis locis *esse aliquid* dicunt deos, quorum numen cum intima fide venerantur. Noster IV, 7, 1 : « *Sunt aliquid* Manes ; letum non omnia finit. » Vide interpp. ad Juvenal. sat. II, 149.

19. *Nam*. Omnia quum egregie cohæreant, et prior illa sententia *non habet unda deos* hoc et sequentibus duobus distichis illustretur, languida et insuavis est particula

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quæ notat Argynni pœna, minacis aquæ.
Hoc juvene amisso, classem non solvit Atrides,

explicantis *Nam*, quod parvum vitium tollimus, si cum Lachmanno scribimus mutata litera : « *Jam* tibi nocturnis ad saxa ligata procellis, etc. » *Jam* ita positum habes II, 26, 49. — Pronomen *tibi* junge cum *ligata* et *cadunt* : « Tibi vincula omnia detrito fune cadunt, quæ a te, hoc est, nautis tuis, ligata fuerant ad saxa.

22. *Argynni*. Argynnus puer, regis Agamemnonis amor, in flumine Bœotiæ Cephiso dum natat, submersus unda occidit. Ita quidem Athenæus XIII, 8, de cujus narratione *Kuinoel* Cephisi vult esse *litora*, quæ dicit Propertius. Sentis, quam inepte. Ecquid enim? hoc ut verum Noster probet tribus ante versibus positum, ignorare maris fluctus misericordiam, fluvium in exemplo memorabit, non ipsum mare? Apage tam ridiculum inventum. *Litora* sunt, ne dubita, maris Ægæi; in hoc mari Argynnum mortuum significat poeta. Nunc autem si comparamus Codices, variare quam maxime scripturam comperimus. Enumerare singula longum foret, nec tanti ducimus. Videamus igitur, de criticorum judicio quid melius adoptari possit. Broukhusius, Barthius, Burmannus, cum libro Scaligeri, quem nullius esse momenti cognovimus : « Sunt Agamemnonias testantia litora curas, Quæ notat Argynni pœna *natantis aqua*; » (quibus litoribus aqua dedit notam, facta olim pœna natantis Argynni.) Satis male conceptum hoc; neque enim ab aquis traxere notam litora, verum ab Argynni morte, quem aqua submersit. *Kuinoel*, præeunte Passeratio : « Sunt Agamemnonias...., *Qua natat* Argynni pœna *minantis* aquæ. » Sed talia quidem refutare non opus est, præsertim cum interpretatione addita : « *Qua natat* (ubi natabat, mortuus fluitabat) *Argynni pœna minantis aquæ* (Argynnus punitus a fluvio sævo et minaci). » Lachmannus : « Sunt Agamemnonias testantia litora curas, Quæ notat Argynni pœna, *minacis* aquæ. » Verum hoc, et teneo. Sunt, inquit, « litora quædam minacis, id est, iracundæ aquæ : hæc Agamemnonis querelas experta esse, hæc ab Argynni casu habuisse notam. » *Qua notat* vel *Quæ* libri meliores exhibent; *minacis* autem *aquæ* pro *minantis* Lachmannus emendatione certa, quum non sit res hoc ipso momento præsens, quam exprimit poeta. Ita enim, nec aliter, poni participium poterat. *Minacem aquam* dicit, ut *minax æquor* Ovidius, Heroidd. XIX, 85, et *litora minacis aquæ*, ad exemplum Catulli IV, 6, qui *minacis Adriatici litus*. Veram hujus loci interpretationem Marcilius apud Burmannum jam prius dederat, nisi quod vocabulum esse corruptum *minantis* non vidit, et *curas Agamemnonias* accipit amorem Agamemnonis, quæ sunt Agamemnonis dolores.

23. *Hoc juvene amisso*. Positum pronomen *Hoc* non minus insua-

Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita,
Pætum sponte tua, vilis arena, tegas;
Et quoties Pæti transibit nauta sepulcrum,
Dicat, Et audaci tu timor esse potes!
Ite, rates curvas et leti texite causas:
Ista per humanas mors venit acta manus.

viter, quam erat particula *Nam* versu 19. Scribe cum Lachmanno: « *Hic* juvene amisso classem non solvit Atrides. » Cæterum, ut adscripserat Marcilius citatus paucis ante lineis, « Non facile alibi quam hic apud Propertium repereris fabulam, propter tempus in luctu Argynni consumtum ab Agamemnone, ventoque postea reflante, coactum Agamemnonem filiam immolare Iphigeniam, ut ventos placaret, sive eliceret secundos. » Scilicet apud Nostrum exstare hujuscemodi plura jam vidimus, in quibus, sive proprium ingenium, sive traditionem, quam nunc ignoramus, sequatur, veteres Græcorum fabulas aliter, atque legi solent, enarrat; ut I, 20, 31; II, 2, 11; III, 5, 14 et 41. Conf. III, 11, 14; III, 13, 51.

25. *Reddite corpus humo*, etc. In hoc disticho, quod, quale damus, MSS. libri conceptum exhibent, verbum *Reddite* non habet quo referatur. Nam retrahere huc Neptunum et Aquilonem, quorum nomina erant vss. 13—15, Barthii consilium fuit, ut opinor, non serium. Broukhusius et Burmannus Scaligero præeunte, de cujus transpositionibus elegiam funditus perturbarunt, ante hoc distichon versus illos collocant 67—70, *O centum æquoreæ formosa Doride natæ ... Non poterat vestras ille gravare manus.* Demus trajectionem hanc: supererit aliud etiam vitium. Vide enim, servatis verbis iis *positaque in gurgite vita*, quam laxe et inepte se oratio habeat: « Reddite vos corpus humo, *et quum vitam Pætus in fluctibus posuerit*, tegat illum arena advectum litori. » Ingeniose quidem Marklandus: « Reddite corpus humo, *positumque* in *margine ripæ* Pætum sponte tua, ... » sed quæ conjectura, Scaligeri, ut par est, rejecto ordine, cadit, nec minus altera Guyeti ac Santenii hæc, Burmanno probata: « positaque in gurgite vita, Pætum sponte *sua* vilis arena *tegat*. » Vide, an tueri velis id, quod suadet Lachmannus; ego quidem pro re certa præstare non ausim: « Reddite corpus humo, *positumque* in gurgite, *venti*, Pætum; sponte tua, vilis arena, tegas. » — *Sponte tua.* Hoc Petronius expressit cap. 114, vocabulo non vulgari: « aut, quod ultimum est, iratis etiam fluctibus, (nos) *imprudens arena* componet. »

27. *Et quoties Pæti*, etc. Dousa correxit, sed frustra, quem editores sequuntur: « *Ut*, quoties Pæti transibit nauta sepulcrum, Dicat, etc. »

29. *Ite*, mortales, naves texite, totidemque leti causas. Verbi *texere*

Terra parum fuerat fatis : adjecimus undas ;
Fortunæ miseras auximus arte vias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcumque paras : haud ulla carina
Consenuit ; fallit portus et ipse fidem.
Natura insidias pontum substravit avaris ;
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.

duplicem hic usum agnoscis : cum ratibus proprio sensu jungitur ; figurate cum leti causis.

31. *Terra*, etc. Distinctio in vulgaribus exemplaribus male instituitur : « Terra parum fuerat : fatis adjecimus undas. » Scribe cum antiquitus editis : « Terra parum fuerat fatis. » *Fuerat*, erat : vide III, 13, 35. — Cf. Lucan. III, 195, ubi de rate Argo : « Primaque cum ventis pelagique furentibus undis Composuit mortale genus, fatisque per illam Accessit mors una ratem. » Seneca, Nat. Quæst. V, 18 : « Quid maria inquietamus? Parum videlicet ad mortes nostras terra late patet. » Tibullus, II, 3, 41 : « Præda vago jussit geminare pericula ponto, Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus. » — *Fortunæ*. Scriptura optima hæc, quam tuentur libri omnes : « *Fortunæ* miseras auximus arte vias. » Terra, inquit, funeribus nostris parum erat (*fatum* scilicet pro morte positum) : adjecimus terræ undam, atque ita fortunæ casus arte nostra stulti auximus. Vides, frustra persuasisse Broukhusium viris doctis conjecturam suam : « *Naturæ* miseras auximus arte vias ; » illud etiam vides, lectione Codicum hac *Fortunæ* distinctionem firmari, quam in superiore versu dedimus ; nam si *fatis adjecimus undas* scribimus, *fata* erunt id quod *fortuna*, et habebimus vocabulo mutato bis eumdem sensum.

34. *Quid meritum dicas*, quid non meruisse dicas eum, *cui terra sua parum est?*

36. *Fallit portus et ipse fidem.* Confer II, 25, 24.

37. *Natura.* Hoc versu Broukhusius, qui in superiore 32 *Naturæ* pro *Fortunæ* correxerat, *Fortuna* pro *Natura* reponit (« *Fortuna* insidias pontum substravit avaris »), Naturam, optimam illam omnium parentem, insidias struere mortalibus negans. Tene tu cum Lachmanno quod agnoscunt scripti omnes. Avaritia, inquit Noster, « dum per undas homines rapit, necopina mors illos obruit. » Has vult esse Naturæ insidias. Statius confirmat Thebaid. II, 501 : « *Insidias Natura* loco cæcamque latendi Struxit opem. » — *Ut tibi succedat* (res ut tibi prospere cedat), *vix semel esse potest* (vix erit, si dabit fortuna semel). *Succedere* absolute positum, quomodo Terentius, Andr. 671 : « Deceptus sum, at non defatigatus. — Scio. — Hac non *successit*, alia adgrediemur via. »

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
  Naufraga quum vasto Græcia tracta salo est.
Paullatim socium jacturam flevit Ulixes,
  In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
  Verbaque duxisset pondus habere mea;
Viveret ante suos dulcis conviva Penates,
  Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hæc Pætus, stridorem audire procellæ,

39. *Saxa triumphales*, etc. Nauplius, rex Eubœæ, filii sui Palamedis mortem ulcisci volens, qui per fraudem Ulyssis ad Trojam perierat, Græci quum victores domum redirent et noctu tempestate coorta per mare jactarentur, in vertice promontorii Capharei accensam facem extulit, quæ velut ad portum naufragantes dirigeret, quo signo decepta classis illisa scopulis magna ex parte submergitur. Meminit Ovidius, Trist. I, 1, 83 sq. Vide et Nostrum, IV, 1, 115 sq. — *Græcia quum vasto salo naufraga tracta est*, rapta naufraga. *Trahere*, ut mox versu 52. De particula *quum* vide IV, 8, 72. Burmannus classem dolo attractam in scopulos male accipit.

41. *Paullatim*, etc. Alterum exemplum positum id, quam parum tute credamus fluctibus. Nam fallitur Burmannus, quum superiores versiculos duos cum nostris his sensu conjungi opinatur, ipsa ea de causa emendationem suadens Heinsii : « *Palantum* socium jacturam flevit Ulixes. » *Paullatim*, hoc est, inter varias navigationes suas. — *Socium*, sociorum. Sic *deum*, deorum, III, 5, 39; *virum*, virorum, III, 9, 32. — *In mare*, adversus mare, *cui soliti doli non valuere*, quem nihil juverunt doli sui.

43. *Quod si contentus* (Pætus), etc. Vitium est in vocabulo *Quod si*. Ita enim junguntur ea, quæ nullum connexum habent. Scribe cum Lachmanno : « *O!* si contentus patrio bove verteret agros, Verbaque duxisset pondus habere mea! » Differentia in literis parva est, et facile ex *O* vel *Oh* fecerunt librarii *Qd'*.

46. *Pauper*, non ita dives. — *Nil ubi flere potest*. Verbum *potest* præsenti tempore lingua non admittit de Pæto mortuo; sed præteritum *poterat*, vel *posset*, vel *potuisset*, præsertim ubi præcessit jam *Viveret*. Bene igitur Lachmannus : « Viveret.... Pauper, at in terra, nil ubi flere *potis*. » Nam et *pote* et *potis* vocabula fuisse nota ævo Augusteo; illud autem in extremo versu locum non habere.

47. *Non tulit hæc Pætus*, etc. *Hæc*, nempe quæ sequuntur, audire procellam et teneras manus fune lædere. Ita Lachmannus, addicente, quantum constat, scripto Codice Neapolitano, sed vere, ne dubita, *Non tulit hæc Pætus*, pro

Et duro teneras lædere fune manus,
Sed Cnidio calamo, aut Oricia terebintho,
Et fultum pluma versicolore caput. 50

eo, quod inepte veteres impressi habent, tum nostri Regii duo, *Non tulit hic Pætus;* inepte, inquam, sive jungas *hic Pætus*, sive *hic* (in terra) *Pætus non tulit.* Broukhusius Burmannusque cum Scaligero dederant, qui non ad Pætum, sed trajectis versibus ad Ulyssem referebat: « Non tulit *huic pectus* stridorem audire procellæ. » In quibus quidem, ut de cæteris taceam, valde illud esse dubium sentis, quod observat Lachmannus, an, quemadmodum *aliquem aliquid ferre* dicimus, vel *alicui pectus esse*, ita etiam *alicui pectus ferre* dici possit.

49. *Sed Cnidio calamo*, etc. Broukhusius et Burmannus ita: « Sed *thyiæ thalamo*, aut *Oriciæ terebinthi Effulto* pluma versicolore caput. » De qua scriptura Lachmannum disputantem audi: Omnia labant in his versiculis, ut, ubi machinam admovere incipias, pæne nescias. Primum tamen constructionem laborare videbis; *Effulto* autem, quod Scaligeri commentum est, *huic*, quocum jungebatur, ex superiore disticho sublato, prorsus cadere. Tum toro quidem fulciri caput scimus: thalamo quomodo fulciatur, quis intelligat? Quis porro thalamos ex thyia (lignum pretiosum est, de quo vide Plin. Hist. Nat. XIII, 15—16) aut terebintho fabricatos umquam inaudivit? Nam quod *thalamum* pro lecto dici volunt, novum est. Vides jam ista nihili esse, *thyiæ thalamo aut Oriciæ terebinthi*, quæ et ipsa a Scaligero partim, partim a primis editoribus ita transformata sunt. Libri enim meliores hoc distichon ita fere scriptum exhibent: « Sed *Chio calamo*, aut *Oricia terebintho, Et fultum* pluma versicolore caput. » In quibus quidem præter vocabulum *Chio* nihil est quod mutemus: « Non tulit hæc Pætus, stridorem audire procellæ, Et duro teneras lædere fune manus, Sed *Cnidio* calamo aut Oricia terebintho, Et fultum pluma versicolore caput. » Hoc solum, inquit, ferre Pætus poterat, ut Cnidio calamo aut supellectile ex terebintho facta manus læderet, et caput pulvillo, in quo fultum erat, versicolore. De calamo Cnidio Plinius, Hist. Nat. XVI, 36: « chartisque serviunt *calami*, Ægyptii maxime, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen *Gnidii*, et qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur. » *Cnidiam arundinem* et *Cnidios nodos* itidem de calamo scriptorio Ausonius, epist. VII, 49, IV, 75. — Recte: « Hoc Pætus non tulit, jungere duris rudentibus manus, quas melius tulit (melius ferebat) Cnidiis calamis aut Oricia terebintho lædere. » Subjiciam nunc Barthii ingenium, ut aliquid risus abrumpat naufragium et lacrymas: « Non tulit hic Pætus stridorem audire procellæ, Et duro teneras lædere fune manus. Sed thyiæ thalamo, aut Oriciæ terebinthi *Effultum* pluma versicolore caput. » Ecce porro ingenium: « *Effultum caput; ego suppleo fuit:* ita nihil deerit. Est ellipsis paulo durior,

Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
Et miser invitam traxit hiatus aquam;
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno;
Pætus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor:
Di maris, Ægæi quos sunt penes æquora, venti,
Et quæcumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Adtulimus longas in freta vestra manus.

sed tamen obvia vel in ipso Virgilio. » Scilicet : « Hoc quidem Pætus non tulit, ut stridentem procellam audiret, sed molliter reclinavit caput pulvillis plumeis. » O virtutis Romanæ dignum judicem et custodem Barthium! — De *terebinthi* ligno nigri splendoris, Plinius Hist. Nat. XIII, 6.

51. *Ungues*; inhærentes navi, qui se Pætus tenebat fixum. *Vivos*, ad vivum, radicitus. — *Et miser... aquam.* Corruptus versiculus est. In vulgatis impressis legitur : « Et niger invitam traxit hiatus aquam; » quæ Lipsius ita concinnavit, nisi quod *invisam* male retinuit, quod in libris plurimis legitur. Sed Lipsius *nigrum hiatum* maris intelligit : quanto subtilior ille (*Kuinoel*), qui, quum videret, potius dicendum hic fuisse, « mare *Pætum* traxisse, » quam « mare *aquas*, » hæc ita interpretatus est : « *Hiatus* ps. oris, pro Pætus hians; *niger aquam invitam*, pro nigram aquam invitus. » Codices autem omnes pro *niger* exhibent *miser*. Scribe : « Et *miserum invita* traxit hiatus *aqua*. » Literæ *um* a sequentibus *inu* facile perierunt; hunc errorem alter necessario secutus est. Lachmannus. — Emendatio certa : « Maris hiatus, inquit, *miserum* juvenem rapuit ipsa aqua invita. » At porro explicationem, quam excogitavit *Kuinoel*, quo dicemus nomine?

53. *Parvo ligno ferri*, per undas volvi.

57. *Di maris*, etc. Loquitur Pætus ad usque vers. 65.

59. *Primæ lanuginis.* Sic, quantum video, libri universi. Lachmannus *teneræ lanuginis* unde sumserit, ignoro. — *Adtulimus in freta vestra longas manus. Longas manus*, nec deformatas nec mutilas, quæ scilicet me numquam fefellisse fidem (quæ sanctam egisse me vitam) indicio essent. Ita viri docti cum Scaligero capiunt, de superstitione veterum hac, servari perjuris pœnam, ut aliqua corporis parte mutili fierent, Horatii comparantes nota verba ad Barinen (Carm. II, 8) : « Ulla si juris tibi pejerati Pœna, Barine, nocuisset umquam; *Dente si nigro fieres, vel uno Turpior ungui*; Crederem. » Sed an jocus est? an serio loquuntur? Ecquis Horatium diversum, diversum Propertium

Ah! miser alcyonum scopulis adfigar acutis;
In me cæruleo fuscina sumta deo est.
At saltem Italiæ regionibus advehat æstus:
Hoc de me, sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus;
Ultima quæ Pæto voxque diesque fuit.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu materno tacta dolore Theti,
Vos decuit lasso subponere brachia mento:
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, sæve Aquilo, numquam mea vela videbis:

non sentiat? Præterea, hic si volebat quod visum Scaligero, quidni facile et aperte scribebat: « Adtulimus *puras* in freta vestra manus? » Tu igitur religionis omnem sensum rejice, epitheton *longas* intelliges ex superiore versu 51: « Haec *fluctus* vivos radicitus *abstulit unques*. » Deos crudeles Paetus incusat, et ostendens manus exprobrat esse mutilas, quas *longas* (integras) attulit. — *Adtulimus manus*. Sic *adferre crines* lib. IV, 6, 31: « Non ille *adtulerat crines* in colla solutos; » *gerere lacertos* III, 13, 57: « Tu quoque ut auratos *geres*, Eriphyla, *lacertos*; » *adportare adventum* (hoc est, *venire*) Plautus, Amphitr. III, 1, 5: « Huc autem quom extemplo *adventum adporto*, illico Amphitruo fio. »

63. *Advehat*. Ita Scaliger, quod recte Burmannus Lachmannusque defendunt, scriptis duobus addicentibus. At saltem, inquit, me maris æstus ad Italiæ regiones vehat! Libri cæteri *evehat*, quod esset *Me vehat æstus ex Italia*, absurdo sensu. — *Hoc de me*, etc. sat erit, si modo mater hoc de me habeat (hoc de me quod superavit). — Sic apud Ovidium, Heroidd. XVIII, 197, Leander, si naufragus pereat, corpus suum ad amicam ferri apprecatur: « Optabo tamen, ut partes expellar in illas, Et teneant portus naufraga membra tuos. »

66. *Ultima quæ Pæto vox fuit*; editum scilicet *matris* nomen. Statius, Theb. IX, 349, de Crenæo: « Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore, Mater! In hunc miseri ceciderunt flumina vocem. »

68. *Theti*. Bene *Kuinoel* et Lachmannus *Theti*. *Thetis*, quod habent cæteri, vocativo casu nusquam occurrit. Vide modo Stat. Achilleid. I, 80; Ovid. Metam. XI, 237. — *Materno dolore tacta*; quae, fiere natum quid sit, mater noverit.

69. *Vos decuit lasso*, etc. Ovidius, Pontic. II, 6, 13, sed figurato sensu: « Brachia da lasso potius prendenda natanti, Nec pi-

Ante fores dominæ condar oportet iners.

geat mento subposuisse manum. » 72. *Condar* (sepeliar) *oportet iners* (cui mea terra sat est; versu 34). — Carminis hujus sensum expressit Le Brun duobus suis, *Odes*, I, 13, et II, 18.

IMITATIONES GALLICÆ.

3. *Tu vitiis hominum*, etc. Le Brun, *Odes*, V, 10, ubi mortales Natura alloquens :

Et des sources de l'or jaillissent tous les crimes
Dont vous inondes l'univers.

25. *Reddite corpus humo*, etc. Marmontel, *Poésies diverses*, (*Léopold de Brunswick*) :

Ah ! que du moins les flots le rendent à la tombe.
Avec un saint respect sur le bord recueillis,
Que ses restes sacrés y soient ensevelis.

29. *Ite, rates curvas*, etc. Le Brun, *Odes*, III, 1, (*Astrée, ou les Regrets de l'age d'or*) :

Les ans seuls nous guidaient vers la fatale barque ;
Une lente vieillesse éteignait leur flambeau ;
Mais l'homme ose ajouter, plus cruel que la Parque,
Des routes au tombeau.
.....
C'était peu de la terre : on combat sur les ondes ;
L'homme embarque avec lui des orages brûlans, etc.

43. *Quod si contentus*, etc. La Fontaine, *élégie VI* (*pour M. Fouquet*) :

Ah ! si ce faux éclat n'eût pas fait ses plaisirs,
Si le séjour de Vaux eût borné ses désirs,
Qu'il pouvait doucement laisser couler son age !

63. *At saltem Italiæ regionibus*, etc. Europa apud Le Brun, *Odes*, III, 20, dum per undas præda Jovis rapitur :

Mer terrible, ah ! qu'au moins ton utile furie,
Si je n'ai pu vivante aborder ma patrie,
M'y rende pour jamais par un naufrage heureux !
Jette Europe mourante au bord qui la vit naître ;
Prompte à m'y reconnaître,
Ma mère attend de toi ce présent douloureux.

ELEGIA VIII.

AD CYNTHIAM.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis et insanæ tot maledicta tuæ.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
Projicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota;
Tu minitare oculos subjecta exurere flamma;
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.

1. *Dulcis mihi rixa fuerat ad hesternas lucernas;* rixa mihi *cum te*, ex pronomine, quod sequitur, *tuæ*. Sic eleg. 7, 63 : « At saltem Italiæ regionibus *advehat* æstus : Hoc *de me*, sat erit, si modo matris erit; » advehat *me* æstus. Confer II, 26, 25; II, 32, 47. Libro IV, 5, 35 : « Ingerat *Apriles* Iole tibi, tundat Amycle, Natalem Maiis *Idibus* esse tuum; » Apriles *Idus*. IV, 5, 45 : « In mores te verte viri : *si cantica jactat*, I comes, et voces *ebria* junge tuas; » si jactat *ebrius* cantica. Vide et IV, 2, 9. — *Hesternas. Extremas*, qualiter habet Mentelianus, editores : « Dulcis ad *extremas* fuerat mihi rixa lucernas; » *ad extremas lucernas*, sub extremam noctem, sensu laxo et incerto, ubi, quam dicat poeta noctem, frustra quærimus. Scripti plerique *externas; hesternas*, quod verum est, in recentioribus aliis. Hoc Lachmannus bene reposuit : « Dulcis ad *hesternas* fuerat mihi rixa lucernas. » *Fuerat*, fuit : vide mox eleg. 13, 35.

3. *Cur furibunda mero....? Dum* pro *Cur* scripsit Broukhusius interrogatione sublata, cum superiore disticho hoc nostrum conjungens. Sed recte, magis etiam vivide, *Cur* scripti Codices. Lachmannus probat annotans : « Felici audacia Propertius verba, quæ ipse inter rixam pronuntiaverat, ponit, eaque corrigens quasi subjicit, *Tu vero nostros*, etc. » — *Propellis* habent libri omnes : unus *procellis*, de quo Broukhusius mutavit. — *Cymbia*. Pocula sunt ad cymbæ formam.

5. *Tu vero*, etc. Sed ego quid queror? ait. Capillos et ora mea seca tu unguibus; flammam minitare tu oculis meis; scinde vestem et mihi nuda pectus : nimirum signa sunt hæc, quæ mihi das amoris tui. — *Oculos subjecta flamma exurere*. Cf. Plaut. Menæchm. V,

Nimirum veri dantur mihi signa caloris;
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quæ mulier rabida jactat convicia lingua,
Et Veneris magnæ volvitur ante pedes,
Custodum et gregibus circa se stipat euntem,
Seu sequitur medias, Mænas ut icta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet;
His ego tormentis animi sum verus aruspex:

2, 88: « Ecce Apollo mi ex oraculo inperat, Ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. — Perii, mi pater! minatur mihi oculos exurere. »

10. *Nam sine amore gravi femina nulla dolet.* Interpres Catullus, Carm. XCII, 1: « Lesbia mi dicit semper male, nec tacet umquam De me: Lesbia me dispeream nisi amat. » Vide et ejusdem carmen LXXXIII: « Lesbia mi, præsente viro, etc. » — *Gravis amor. Gravem* intellige ex II, 20, 14: « Tu modo ne dubita de *gravitate* mea. »

11. *Jactare convicia.* Vide II, 1, 77. — *Et magnæ Veneris ante pedes volvitur;* deæ ostendens injurias suas et advocans ultricem. *Volvi*, ut eleg. 17, 1: « Nunc, o Bacche, tuis humiles *advolvimur* aris. »

13. *Custodum et gregibus se euntem stipat;* et se per viam cingit, quibus amantem arceat, custodibus innumeris. Cæterum male in vulgatis editum legitur, « Custodum gregibus *seu quum* se stipat euntem; » ubi *circa* habent scripti omnes. *Circa se stipat*, quo plane modo Claudianus, de VI Consul. Honorii, 595, « ducibus *circum stipata* togatis.... curia. » Hoc solum, copula *et* (*Custodum et gregibus*) erat in Codicibus omissa, quam necessariam orationi Lachmannus inseruit. *Seu quum* primus dedit Muretus contra linguæ regulas. Rectum erat *Seu stipat se* vel *Quum se stipat*, alterutra particula posita, non duabus conjunctis, quæ ad unum verbum referrentur. — De custodibus his vide I, 11, 15. — *Seu sequitur medias vias.* Vim addit epitheton *medius* publicæ viæ significationi. Ita nos: *Courir en pleine rue, au milieu des rues.* — *Mænas ut icta* (furore icta); Bacchæ similis, quum furit.

16. *Seu miseram movet picta in tabula puella.* Cf. II, 6, 9, ubi picturæ etiam rivalis Noster: « *Me juvenum pictæ facies*, me nomina *lædunt.* »

17. *His ego tormentis animi*, etc. Notemus structuram orationis hanc: « Quæ mulier jactat..., Et volvitur..., Et se stipat..., Quæ seu sequitur..., Quam seu terrent..., Quam seu movet..., *His ego tormentis animi sum verus aruspex* (muliebris animi hæc tormenta ars mea explicat); » nimirum: « Has didici certo sæpe in amore notas » (ipsa indicia hæc in amoribus cer-

Has didici certo sæpe in amore notas.
Non est certa fides, quam non injuria versat:
Hostibus eveniat lenta puella meis!
Immorso æquales videant mea vulnera collo;
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem;
Sive meas lacrymas, sive videre tuas.
[Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua quum digitis scripta silenda notas.]
Odi ego, quos numquam pungunt suspiria, somnos:
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, quum Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suæ.

tis ac constantibus agnovi). — *Tormenta animi*, ut etiam Juvenal. est. IX, 18. — *Has didici certo.* Pro quo Broukhusius: «Has *certas didici* sæpe in amore notas.» *Has didici certas* habent quidem scripti nonnulli; sed meliores *Has didici certo.*

19. *Fides, quam non versat injuria;* quam non agitat, quam non vexat ira inter amantes. Ovidius, Art. Amat. III, 597, « Quamlibet exstinctos injuria suscitat ignes: En ego, confiteor, non nisi læsus amo. » — *Lenta puella*, quam nihil movet.

21. *Æquales*, pares mei juvenes. — *Livor*, color impressis dentibus lividus. Cf. IV, 3, 26, IV, 5, 39.

25. *Tecta superciliis*, etc. Elegantissimi versus, sed qui loco suo moti sunt, quoquo modo huc irrepserint. *Kuinoel* « sententiam versu 23 propositam exemplo illustrari vss. 25—26 » annotat. Quid vero hoc? Dolet in amore Propertius, si cum puella sua, ut maritum (vide II, 6, 26) præsentem fallant, nutu oculisque loquitur? (Ita enim accipiendum est illud, quod frustra *Kuinoel* de « Cynthiæ irato vultu et minantibus verbis » tentat exponere, *tecta superciliis verba remittere.* Helena apud Ovid. Heroidd. XVII, 81 : « Ah quoties digitis, quoties ego *tecta* notavi *Signa supercilio* pæne *loquente* dari! Et sæpe extimui, ne vir meus illa videret.») Tum verba alia hæc, *aut audire dolentem volo*, quid ad versum *Aut tua quum digitis scripta silenda notas?* Dolere eam, quæ, præsente viro, scriptas ad amantem epistolas silendas esse digitis notat? audire dolentem eam, quæ non ore, sed digitis, loquitur? Inepta et absurda, ut vides, hic omnia, si connectimus; ut nemini esse dubium possit, quin, quod modo dicebam et primus sensit Burmannus, hoc nostrum distichon casu nescio quo mutaverit locum suum.

28. *In irata pallidus.* Vide I, 13, 7.

Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt : in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est æque formosa ; doleres,
Si qua foret : nunc sis jure superba, licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer æternum, nec sine matre domus !
Cui nunc si qua data est furandæ copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica, dedit.

31. *Restat.* Vide II, 21, 17. — *Hector barbarus ;* quippe qui non Græcus.—*Maxima bella.* Epitheton *maxima* Burmannus improbat : ego, an aliud sit, quo voluerit uti Propertius, quæro. Dum sub Trojam, inquit, quam acerrime pugnatur, hoc ipso tempore Paris maxima sua bella in Helenæ gremio gerit.

35. *Gaude, quod nulla est*, etc. Idem Burmannus annotat : « Totum hoc distichon, præ cæteris satis incitatis valde languidum et frigidum, non nihil suspectum est, et, si abesset, præcedentia et sequentia non interrupto tenore cohærebunt. » Hoc posterius concedo ; neque, si abesset hoc distichon, desiderarem ; sed languere nego ita intellectum : Semper mihi aut tecum, aut cum rivalibus bella erunt : tu noli aliter, ac facis, vivere ; gaude te ab omnibus expeti ; superba esto, et omnes contemnito ; non moveor, hoc juris tibi formam dare mèmor. Lachmannus.

37. *At tibi*, etc. Imprecatio nunc in rivalem. — *Qui nostro nexisti retia lecto*, qui tendisti amori meo insidias. — *Sit tibi æternum socer, nec sine matre domus ;* quem tu durum socerum, quam tu matrem asperam semper vitæ tuæ rectores et censores feras. *Æternum.* Vide II, 28, 57.

40. *Illa ;* Cynthia.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Dulcis ad hesternas*, etc. *André* Chénier, *élégie XXIX* (quod aliter quidem conceptum carmen est), Propertii sensum, in multis verba, ita reddit :

Si j'ai loué des yeux, une bouche, un sourire,
Ou si, près d'une belle assis en un repas,
Nos lèvres, en riant, ont murmuré tout bas,

Elle a tout vu. Bientôt cris, reproches, injure;
Un mot, un geste, un rien, tout était un parjure.
.....
Que dis-je ? sa vengeance ose en venir aux coups ;
Elle me frappe : et moi je feins dans mon courroux
De la frapper aussi, mais d'une main légère ;
Et je baise sa main impuissante et colère.
.....
Ah ! je l'aime bien mieux injuste qu'indolente :
Sa colère me plaît et décèle une amante.
Si j'ai peur de la perdre, elle tremble à son tour ;
Et la crainte inquiète est fille de l'amour.
L'assurance tranquille est d'un cœur insensible :
Loin, à mes ennemis une amante paisible !
Moi, je hais le repos : quel que soit mon effroi
De voir de si beaux yeux irrités contre moi,
Je me plais à nourrir de communes alarmes :
Je veux pleurer moi-même, ou voir couler ses larmes,
Accuser un outrage, ou calmer un soupçon,
Et toujours pardonner, ou demander pardon.

5. *Tu vero nostros audax*, etc. Le Brun, *Épigrammes*, III, 58, ut Noster, provocans ad verbera puellam suam :

Graces, frappez, frappez ! j'aime ces coups
Que l'Amour donne, et que l'Amour expie.

19. *Non est certa fides*, etc. Idem Le Brun, *Odes*, II, 23, ubi plura vide :

Ces vains courroux, l'effroi des langnissantes ames,
De Vénus raniment les jeux :
Vénus aime les cœurs de flammes,
Et son jour le plus doux naît d'un ciel orageux.

ELEGIA IX.

AD MÆCENATEM.

MÆCENAS, eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.

2. *Intra fortunam tuam qui cupis esse;* qui fortunæ tuæ, quos habet, fines servare cupis. Sic Ovidius, Trist. III, 4, 25 : « Crede mihi, bene qui latuit bene vixit, et *intra Fortunam* debet quisque *manere* suam; » ubi male ab Heinsio repositum, quod et hic apud Nostrum voluit, *infra Fortunam* legitur. — Mæcenatem depingit Velleius, II, 88 : « C. Mæcenas, equestri sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, provideus, atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluens; non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus; *quippe vixit angusti clavi pæne contentus; nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit.* »

3. *Quid me scribendi*, etc. quid mihi tam magna tractanda argumenta ponis? Verbum *mittere*, ut libro II, 16, 17 : « Semper in Oceanum *mittit* me quærere gemmas. » — *Non sunt apta meæ*, etc. Vide III, 3, 22.

5. *Turpe est, quod nequeas*, etc. Interpres Horatius, Art. Poet. vers. 38 : « Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus, et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri. » — *Quod nequeas;* scilicet, capiti commissum ferre. — *Et pressum*, onere pressum, *inflexo genu dare terga*, deficientibus genibus cadere et dare conspiciendum tergum.

7. *Omnia rerum.* Græca forma : res omnes. Sic *ficta rerum* Horat. sat. II, 8, 83. — *Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo. Æquum jugum*, mons ascensu facilis, si Lachmannum interpretem sequimur : « Non omnes ad omnia nati sumus; nec quisquam, *nisi artis suæ fastigium attigit*, famam accipere potest : noli igitur hoc a me poscere (me in tam magnum scribendi æquor mittere), quod si faciam, gloriam tamen nullam adepturus sum. » Quæ quidem explicatio recta vee-

Gloria Lysippo est animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi jactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:
Parrhasius parva vindicat arte jocum.

borum est; sensus ipse non itidem verus, sed qui loco suo alienus videri possit. Sequentia enim examinanti patet, non plus minusve difficultatis inesse arti Propertium dicere, sed una ex arte non unam duci gloriam. (Ita Cicero, de Orat. III, 7: « *Una fingendi* est *ars*, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus, qui *omnes inter se dissimiles* fuerunt, sed ita tamen, ut neminem esse velis sui dissimilem. *Una* est *ars ratioque picturæ, dissimillimique* tamen *inter se* Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. ») Quod quum sentiret Lipsius, correxit persuasitque ceteris: « Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta, Fama nec ex æquo ducitur *una* jugo. » Recte, nisi quod *æquum jugum* pro *eodem* monte (nam *jugum* haud dubie hic est mons, et inepte capiunt qui de metaphora cogitant ab equis trahentibus) an Latine dici possit, jure Lachmannus dubium movet. Aut igitur ipsius Lachmanni sensum qualemqualem adoptemus necesse est, aut improprie loqui Propertium dicamus, quod quia nimis liberum judicium foret, præstiterit fortasse cum Guyeto: « Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta, Fama nec ex *uno* ducitur *æqua* jugo. »

9. *Lysippus*, statuarum celeberrimus artifex, uni cui datum, ut « duceret æra Fortis Alexandri vultum simulantia; » (Horat. epist. II, 1, 240.) — *Animosa signa*, hominum quasi animatas ac spirantes figuras. Adjectivum *vividus* in re simili posuit II, 31, 8. — *Calamis*, vir ejusdem artis decus, sed operibus diversis, in exprimendis equis sine æmulo. Plinius, Hist. Nat. XXXIV, 8. — *Exactis* (perfectis) *equis* suis; conf. III, 21, 30.

11. *In Veneris tabula* artis suæ *summam Apelles sibi ponit*, summam artis suæ positam ipse Apelles judicat. Male *Kuinoel* « summam *gloriæ* » (præcipuum decus) accipit ex illo *Gloria*, quod duobus ante versibus est. De *Venere* illa, artis miraculo, quam exeuntem mari Apelles pinxerat, vide ad Plinii Hist. Nat. XXXV, 10, interpretes. — *Jocum*. *Locum* habent scripti libri: « Parrhasius parva vindicat arte *locum*, » id est, interprete Burmanno, « Parvas Parrhasii tabulas apud multos locum sibi vindicasse in secretiore sedium cubiculo, ut Parrhasii tabulam obscenam a Tiberio in cubiculo dedicatam memorat Suetonius, cap. 44; » sed quem sensum verba manifeste non admittunt. *Locus* in illa scriptura necessario erit, quem sibi Parrhasius parva arte inter pictores vindicat; hoc autem ut probare possimus, nimis obscure et languide dicitur. Lachmannus emendatione facili, quod verum erat, reposuit: « Parrhasius parva vindicat arte *jocum*. » Picturam levem Parrhasius fecit suam, festivo et procaci penicillo regnat. De quo

Argumenta magis sunt Mentoris addita formae:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno:
Praxitelen Paria vindicat urbe lapis.
Est quibus Elees concurrit palma quadrigae:

Plinius, Hist. Nat. XXXV, 10: « Pinxit et minoribus tabellis *libidines*, eo genere petulantis *joci* se reficiens. » — *Parta arte* (arte, cujus ipse creator fuit) pro *parva* male Broukhusius et Barthius ex emendatione Scaligeri.

13. *Argumenta magis.* Vide not. ad vers. 38. *Argumenta addita formæ Mentoris;* cælaturæ argumenta, res sculptæ, quibus ornat Mentor formas suas. *Mentor* ille est, quem in cælandis vasis et poculis principem nominat Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 12. Vide not. ad Propert. I, 14, 2: *Forma* pro opere, cui dat formam artifex, ut IV, 2, 61. — *At Myos acanthus flectit exiguum iter,* at parva sinuat iter suum acanthus in poculis Myos; omnino: Ornamentum habent Myos pocula exiguam acanthum. *Myos*, cælator, de quo Plinius loco supra dicto. *Acanthus*, ut apud Virgil. eclog. III, 45: « Et molli circum est ansas amplexus *acantho.* »

15. * *Phidiacus signo....** Interpretibus nihil in his difficile est, qui Jovem, ut augustior videatur, Olympiæ imaginis suæ induere formam narrant; summam artificis laudem prædicantes, ex cujus opere ornamentum ipse quærat Jupiter. Quis autem eam sententiam his verbis indicaverit, *ornat se signo?* Et si se Jupiter ad statuæ Phidiacæ exemplum ornat, certe id *Phidiacus* ipse non facit. Non dubito, quin hic versus a librariis ita corruptus fuerit, ut de restituendo eo desperandum videatur, nisi quis hariolari velit poetam dedisse: « *Phidiaca ars* signo *te*, Juppiter, ornat eburno; » si modo totum hoc distichon Propertium ac non alium potius auctorem habet. Hæc Lachmannus. — Elidis Phidiacum Jovem laudat Quintilianus, Instit. XII, 10, 9, paucis verbis, sed vide quam magnificis: « Phidias tamen diis quam hominibus efficiendis melior artifex creditur, in ebore vero longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset; *cujus pulchritudo adjecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur*, adeo majestas operis deum æquavit. » — *Paria. Propria* habent scripti plerique, unde recte Broukhusius: « *Praxitelem Paria* vindicat urbe lapis » (nisi quod *Praxitelen* ex Cod. Neapolit. præstat); Parium marmor solum esse dignum, in quo se exerceat Praxitelis ingenium. *Lapis urbe Paria*, ut *ficus Zacyntho, vinum Lesbo*, etc. In insula Paro urbs ejusdem nominis erat, quam *Pariam urbem* dicit. Beroaldi Codices, cum quibus Burmannus: « Praxitelem *Parius* vindicat urbe lapis; » inepte, quippe sensu nullo, sed ipsa quæ scripturæ corruptæ varietas magis etiam mihi persuadet Lachmanni sententiam, totum hoc distichon ab aliena manu esse, non Propertii.

17. *Est quibus* pro *Sunt*, forma tum Græcis, tum nobis Gallis in

Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem : hic castrensibus utilis armis.
Naturæ sequitur semina quisque suæ.
At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi,
Cogor et exemplis te superare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore secures
Et liceat medio ponere jura foro ;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per astus,
Atque onerare tuam fixa per arma domum ;
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, et omni

usu : « Il *est* des hommes qui, etc. » — *Concurrit*, id est, *currit cum* : « Sunt, inquit, cum quibus Eleæ quadrigæ palma simul currit. » Sic libro IV, 1, 125 : « Scandentisque arcis *consurgit* vertice murus ; » (*surgit* murus *cum* vertice scandentis collis.) Ovidius, Pontic. III, 3, 31 : « Nec me Mæonio *consurgere* carmine, nec me Dicere magnorum passus ea acta ducum ; » (*surgere* me *cum* carmine Mæonio.) — *Quadriga* numero singulari, ut II, 34, 40. — Horatius, noto loco : « Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat. »

19. *Armis utilis*, idoneus. — *Sequitur quisque*. Broukhusius *sequimur quisque* puerili elegantiæ studio.

21. *Tua vitæ præcepta recepi* ; regulas vivendi tuas recepi, quæ fierent meæ. — *Cogor et exemplis te superare tuis. Te superare*, te vincere ac refellere, propriis exemplis tuis ; scilicet : « Ut illud, quod me suscipere jubes, scribendi onus recusem, objicio tibi ipsam modestiam tuam. » Sequuntur hujus modestiæ exempla.

23. *Quum tibi liceat secures et jura medio foro ponere* ; in foro decreta tua lictoribus adstantibus ferre, jus in foro cum securibus dicere. *Ponere jura*, ut IV, 9, 64. — *Secures in honore Romano dominæ*, imperii summum signum in magistratu Romano.

25. *Vel tibi Medorum*, etc. vel tibi quum liceat gloriam armorum quærere. *Medorum astus*. Pro quo libri omnes, « Vel tibi Medorum pugnaces ire per *hostes*, » manifesto scripturæ vitio ; nam quod *Medorum hostes* dici pro Medis hostibus vult *Kuinoel*, ut *eques Parthorum* II, 10, 13, absurdum est. *Medorum per hastas*. Marklandus Burmannusque corrigunt ; melius Lachmannus, quia non hastis suis Medi vel Parthi inclaruerunt, sed arcu et fallaci fuga : « Vel tibi Medorum pugnaces ire per *astus*. » Hoc teneo. *Medorum pugnaces astus*, fuga illa Parthorum astuta, ut loquitur Noster vs. 54, de qua jam libro II, 10, 13. — *Atque onerare fixa per arma* (affixis armis) *domum tuam*. Mos veterum in Tibulli quoque versu I, 1, 54, suspendere foribus spolia, quæ ex hoste retulerant.

27. *Et tibi ad effectum vires det*

Tempore tam faciles insinuentur opes;
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras:
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
Judicia, et venies tu quoque in ora virum,
Cæsaris et famæ vestigia juncta tenebis;
Mæcenatis erunt vera tropæa fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.

Cæsar. Vires ad effectum, quibus omne quod vis efficias.

29. *Parcis*, parcius uteris. Auctor elegiæ in Obitum Mæcen. vs. 31 : « Majus erat potuisse, tamen nec velle triumphos : Major res, magnis abstinuisse, fuit. » — *In tenues umbras te colligis*, te in tenuem et angustam vitam colligis volens. — *Velorum plenos sinus ipse subtrahis.* Horatii eadem metaphora est, Carm. II, 10, 22 : « sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela. »

31. *Ista judicia*, judicium hoc tuum, mens illa tua, quæ tibi tales mores facit. *Æquabunt judicia ista* tua *magnos Camillos*, id est, « te judicia ista magnis Camillis æquabunt. » Similia vide notata I, 9, 11, III, 22, 36. — *Virum.* Vide III, 7, 41.

34. *Fides Mæcenatis tropæa erunt.* Vide IV, 1, 14.

35. *Carina.* Vide III, 3, 22. — *Tuta sub exiguo flumine nostra mora est*, tute sub exiguis aquis moratur navis mea. De quo vocabulo *mora* vide I, 13, 6, I, 11, 10. — *Sub exiguo flumine.* Si Lachmannum audimus, proprie dicit Noster *sub flumine*, quum pars inferior navigii inter eundum sub aqua sit, quo pari modo vidimus *sub arundine* II, 27, 13 : « Jam licet et Stygia sedeat *sub arundine* remex, etc. » quibus in locis, ut aliis multis, interpretes *sub* pro *in* male accipiant positum. Res igitur quærenda, promiscua utriusque præpositionis significatio in talibus admissa necne veteribus fuerit. Sed quis dubitet ex ipsis Propertii versibus? quis non facilius ferat *sub* pro *in*, quam cymbam, quæ, dum navigat, sub aquis esse dicatur? Vide porro alia : Catullus LXIII, 71, « Ego vitam agam *sub altis* Phrygiæ *columinibus?* » *sub altis columinibus* an non clare videtur esse *in columinibus*, hoc est, montibus, Phrygiæ? quomodo apud Ovid. Metam. I, 689, « Tum deus, Arcadiæ gelidis *sub montibus*, inquit, Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas Naias una fuit, » *sub montibus* est in montibus; quomodo etiam Virgilius *sub rupe* pro *in*, eclog. I, 57, « Hinc alta *sub rupe* canet frondator ad auras; » at nihil jam mirum sit apud Nostrum II, 25, 17, « At nullo dominæ teritur *sub limine* amor, qui Restat, » puellæ nullo *in limine* teritur amor, qui patientia pugnat. (In quibus verba « *nullo* sub limine » accipies « sub limine puellæ *numquam*, »

Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi, nec semper prælia clade pari;
Nec referam Scæas et Pergama, Apollinis arces,

ut I, 16, 21 : « *Nullane* finis erit nostro concessa dolori? » hoc est, finis *numquam*. Libro I, 17, 12 : « An poteris siccis mea fata reponere ocellis, Ossaque *nulla* tuo nostra tenere sinu? » ossa nostra *plane non* tenere; carere omnino meis ossibus. II, 25, 9 : « At me ab amore tuo diducet *nulla* senectus; » senectus *numquam*.) Nihilominus tamen, quia de præpositionibus his *sub* et *in* plane aliter senserunt viri doctrina et ingenio in literis antiquis duces, Turnebus, Vossius, atque ipse, ne dubita, Heynius, quorum priores duo *sub columinibus* apud Catullum pro *in columinibus* non esse Latinum affirmant, hic ad Virgilii eclogam I, 57, satis habuit exscribere Burmannum : « *Sub rupe*, In rupe accipit Burmannus; » an fortasse conjecturam, quæ mihi se dat, sequemur, veteres inter utrumque vocabulum distinxisse ita, ut *sub* pro *in* numquam scriptori liceat, nisi fuerit locus situ inferior, quocum juncta prepositio legitur? ut apud Ovidium Art. Amat. I, 289, et Tibullum II, 3, 21, *sub vallibus*, *sub valle*, quippe campis subjectæ valles; *sub flumine* Propertius hoc versu, quum depressi et excavati fluant amnes ripis assurgentibus; *sub arundine Stygia* II, 27, 13, tum hac ipsa de causa, tum quia sub terris situm Orcum fingimus; *sub limine* II, 25, 17, quum pars ima domus limen sit. Qua servata regula in aliis his, *Sub montibus*, *Sub rupe*, etc. de propria significatione interpretabimur Subter montes, Ad imam rupem. Periti videant et judicent. — Conf. Ovid. Trist. II, 329 : « Non ideo debet pelago se credere, si qua Andet in exiguo ludere cymba lacu. »

37. *Non flebo*, etc. non referam heroico versu Thebas atroci diritas bello. Cf. I, 7, 1—2. *Non flebo sidisse*. Vide I, 7, 18; II, 27, 7. *Sidisse Cadmi arcem in cineres paternos*. Vide I, 9, 10. — *Nec semper prælia clade pari*. Vide I, 22, 2, ubi adverbium *semper* illustravimus exemplis, quibus adde ex Terentio, Andr. 175 : « Mirabar, hoc si sic abiret, et heri *semper lenitas* Verebar quorsum evaderet; » (heri perpetua lenitas); ex ipsa hac elegia, vs. 13 : « *Argumenta magis* sunt Mentoris addita formæ; » (cælaturæ argumenta majora). Contraria forma adjectivus cum adverbii sensu passim apud Nostrum : vide III, 13, 35, et quæ notavimus extra rem uncis inclusa parentheseos supra ad hujus elegiæ nostræ versum 36. — *Prælia clade pari*; in quibus nec victor nec victus exstitit. Scimus, excepto Adrasto duces omnes sub Thebas cecidisse.

39. *Scæas* Trojæ portas; de quibus Æneid. II, 612. — *Apollinis arces*. Broukhusius, quia *Cadmi arx* præcessit, viris doctis persuasit, ut *Apollinis artes* reponerent. Sed erat hoc nihili, et Propertium jam vidimus in talibus vitandis non nimis sedulum. Teneo quod habent

Et Danaum decimo vere redisse rates,
Mœnia quum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus:
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, pure poeta, tuis.

scripti, *arces*. — *Decimo*. *Undecimo vere* critici cum eodem Broukhusio corrigunt, cui, ut annus adderetur, ratio temporum postulare visa est. Noli credere. *Decimo* recte habent Codices; anno belli decimo rediisse Græcos Homerus docet. Hoc solum, *ver* Propertius non itidem recte nominat, quum Trojam vere anni esse captam (cujus excidium vulgo scriptores ad ætatem rejiciunt) ex Homero verisimile sit, nec nisi vertente anno redire Græci potuerint; melius tamen ita poeta, quam si *undecimum* annum diceret. Vide Lachmannum.

42. *Ligneus Palladiæ artis equus quum victor Neptunia mœnia aratro Graio pressit*, Græci per ligneum equum victores quum sulcos in aversa Troja duxerunt. Aratri hunc usum ex Horatio quoque meminimus, Carm. I, 16, 18: « et altis urbibus ultimæ Stetere causæ, cur perirent Funditus, *imprimeretque muris* Hostile *aratrum* exercitus insolens. » — *Artis*. Hoc versu Broukhusius *Palladiæ arcis equus* reponit, qui paulo ante *Apollinis arces* in *artes* mutaverat. Lege cum scriptis omnibus *Palladiæ artis*, quod ne quis tangeret, Virgilius monebat, Æneid. II, 15: « Instar montis *equum* divina *Palladis arte* Ædificant. »

43. *Callimachi*; de quo vide II, 1, 40. — *Pure*. Ita Scaliger, *pure poeta*, sed quod de Phileta (III, 1, 1) male explicat, oratione, ut ad Callimachum referatur, exigente. *Dure* habent scripti omnes, unde Broukhusius, Barthius, *Kuinoel*, « *Dore* poeta » cum Scriverio, Philetam ita dici volentes, « cujus patria Cos erat e regione Cariæ, ad quam pertinebat, Caria vero pars erat Doridis. » Rectius, si dixisset is quem exscribimus: *Cos erat e regione Doridis, Doris autem pars erat Cariæ*. Sed hoc nihili est; videamus cætera. Ac primum, quis non miretur artem, qua hominem Coum, si libet, tam facile mutamus in civem Doridis Carium? Equidem, ubi jam possimus hoc, vix non liceat etiam de Callimacho ipso interpretari, cui Cyrenæ patria, Cyrenis autem conditores Dores Græciæ. Præterea vero, *Dorus* an Latinum sit, ignoro: certe nusquam occurrit, nec nisi per analogiam apud Scriverium firmatur, ut *Lydum* et *Syrum* dicunt pro Lydio et Syrio. Melius igitur Burmannus auctore Beroaldo « *Coe* poeta, » quo proprio saltem nomine Philetas dicitur, sed veri species in literis nulla est; quam ut quantum in nobis est, sequamur, judicio meo teneamus *pure*; tum quia per copulam in altero versu *Et* oratio fortasse nimis languida videbitur, si quæris elegantiam, scribe cum Lachmanno: « *Sit* cecinisse modis, pure poeta, tuis! » *Sit* (detur

Hæc urant pueros, hæc urant scripta puellas; 45
Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam, cæloque minantem
Cœum et Phlegræis Oromedonta jugis;

mihi), Callimache, imitari cantus tuos!

45. *Hæc urant pueros*, etc. Ita Guyetus et Passeratius, quibus præiverat Volscus in editione sua altera anni 1488, *Hæc urant*, feliciter ac certe, ubi sinceri habuerunt libri: « Hæc *curant* pueros, hæc *curant* scripta puellas. » Vide autem in tam aperta re gratuita virorum doctorum conamina. Burmannus ex duobus tribusve libris non bonis versiculum ita cum Francio formavit: « Hæc *pueri curent*, *curent hæc* scripta *puellæ*. » Broukhusius et Barthius ita: « Hæc *curent pueri*, hæc *curent* scripta *puellæ*; » addita in hemistichio hiatus elegantia. *Kuinoel*, expressis ad verbum, quos diximus, Burmanni Codicibus: « Hæc *pueri curent*, hæc *curent* scripta *puellæ*. » — Cum versibus his 43—46 conf. Imitat. Gall. ad I, 7, 13.

47. *Te duce*, etc. Lachmannus ante hæc duos versus de sede sua retrahendos monet, quos facere elegiæ finem librarii consensu volunt: « Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis et a te est, Quod ferar in partes ipse fuisse tuas. » In quibus, inquit, sensum considera: « Hoc sibi a Mæcenate esse profitetur, hoc laudis a Mæcenate concedi, ut ejus vitæ exemplum secutus esse dicatur. » Quid vero? Hoccine concedebat Mæcenas, qui *scribendi tam vastum mittebat in æquor* (vs. 3)? quem, quum obtemperare nollet, *suis exemplis superare cogebatur* (vs. 22)? cujus *vitæ præcepta*, ipso abnuente, *receperat* (vs. 21)? Vides, illam sententiam ab hoc carmine penitus abhorrere. Tamen verba, illo loco posita, alium sensum non admittunt. Jam porro vide, quam male ista cohæreant: « Meque deum clament, et mihi sacra ferant. Te duce vel Jovis arma canam. » Tam abrupta sunt, ut vix intelligas. Hinc autem reposito disticho, nihil desiderabis: « Hæc urant pueros, hæc urant scripta puellas; Meque deum clament, et mihi sacra ferant. *Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis et a te est, Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.* Te duce vel Jovis arma canam, cæloque minantem Cœum et Phlegræis Oromedonta jugis. » Hoc laudis, hos honores mihi poetæ habendos tu solus concedis, tibi uni debeo; quod tuum exemplum secutus, res magnas non affectasse prædicabor. Quod si tu jubeas, summa argumenta carmine heroico celebranda sumam. Hæc vir doctus. — *Jovis arma*, *et Cœum et Oromedonta* utrumque *Phlegræis jugis minantem cælo*; bellum Giganteum, de quo jam Noster II, 1, 19—20 et 39. *Cœus* Gigas etiam apud Flaccum Valerium dictus III, 224, et Claudianum, Rapt. Proserp. III, 347; alterum *Oromedonta* Propertius unus hoc loco nominat. *Phlegræa juga*, Thessa-

Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordiar, et cæso mœnia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere reges;
Crescet et ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
Parthorum astutæ tela remissa fugæ,
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonique graves in sua fata manus.
Mollia tu cœptæ fautor cape lora juventæ,

liæ montes Ossa et Pelion. Vide I, 20, 9.

49. *Celsaque... Ordiar.* Lachmannus *Celsave*, « ne Græcum argumentum una cum Romano videatur tractare velle. » Ad hoc, inquit, præcesserat « Te duce *vel* Jovis arma canam. » — *Decerpta tauris Palatia.* Vide IV, 1, 3 sq.

51. *Reges pares* (fratres geminos urbis auctores) *silvestri ex ubere eductos. Educere* pro alere, educare : vide Plaut. Curcul. IV, 2, 32; Virgil. Æneid. VI, 765 et 780.

53. *Prosequar.* Vide II, 10, 19. *Currus utroque ab litore ovantes*, ab Eoo litore et Hesperio; Cæsaris triumphalem currum Oriente et Occidente subacto. — *Tela fugæ Parthorum.* Vide II, 10, 13, et II, 27, 6. *Remissa* autem (infirma) Parthorum tela, id est, remisso (laxo) arcu jam belli nescia. *Remissus*, enervis, laxus, ut IV, 8, 53 : « Pocula mi *digitos* inter cecidere *remissos;* » et figurate eodem libro IV, 4, 83: « *Mons* erat adscensu dubius, *festo*que *remissus.* » *Astutæ fugæ* interpretationem dat Justinus XLI, 2, 7 : « Pugnant (Parthi) aut procurrentibus equis, aut terga dantibus : sæpe etiam *fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant.* » Seneca in Œdipo, vs. 118 : « . . . Vidit, et versas equitis sagittas, Terga *fallacis* metuenda *Parthi.* » Noster IV, 3, 66, ubi de militia eadem : « Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ, *Subdolus* et versis increpat *arcus* equis. » — Confer Virgilium, Georg. III, 30 : « Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphaten, Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis, Et duo rapta manu diverso ex hoste tropæa, Bisque triumphatas utroque ab litore gentes. »

55. *Pelusi claustra Romano ferro subruta;* bellum Alexandrinum feliciter ab Augusto confectum, Antonio in ipsa Alexandria ad mortem adacto. Vide Sueton. Aug. 17. — *Pelusii claustra. Pelusium*, urbs, sive potius oppidum, quo se Ægyptus ad Orientem tuetur. Hirtius, de Bello Alexandr. cap. 26 : « . . . tota Ægyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, *velut claustris*, munita existimatur. »

57. *Mollia tu cœptæ*, etc. me juvenem, me poetam mollem velis ipse regere. *Lora mollia*, quali metaphora *prata mollia* dicit, quæ terat Elegia rotis suis, III, 3, 18.

Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis et a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas. 60

Cæterum *Mollis* pro *Mollia* habent scripti libri perperam; *Mollis fautor* pro *Mollia lora*, quæ reposuit Broukhusius.

59. *Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis*, etc. *Kuinoel* accipit: « Persuasissimum mihi est, te concessurum esse, ut possim tuam animi moderationem æmulari, et a carminibus gravioris argumenti abstinere, atque hoc modo gloriam laudemque mihi comparare. » Scilicet præsente tempore, quo Noster utitur, *concedis* furtim mutato in *concessurus es*. Hoc quia nec fieri potest, nec aliter tamen potest, si, quem indicant libri, versuum ordinem servamus, malo sedem hujusce distichi esse ante versum 47 cum Lachmanno credere.

IMITATIONES GALLICÆ.

7. *Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.* Le Brun, *Épîtres*, I, 1 :

Nul n'a tous les talens ; tout homme a ses limites.

35. *Non ego velifera*, etc. Bertin, *Amours*, I, *élégie* 16 :

Laissons, laissons d'un vol agile
L'ambitieux vaisseau fendre les flots amers :
D'un timide aviron ma nacelle fragile
Doit raser humblement le rivage des mers.

45. *Hæc urant pueros*, etc. *André* Chénier, *élégie XXXII* :

Ainsi, que mes écrits, enfans de ma jeunesse,
Soient un code d'amour, de plaisir, de tendresse ;
Que partout de Vénus ils dispersent les traits ; etc.

53. *Prosequar et currus*, etc. Confer Bertin, *Amours*, III, *élég.* 1 :

Ma Muse, un jour, tranquille et solitaire,
Tu traiteras de plus nobles sujets.
.....
Tu nous peindras de son triple tonnerre
Louis armé pour maintenir ses droits
Donnant la paix au reste de la terre,
Humiliant la superbe Angleterre,
Et de son joug affranchissant vingt rois.

57. *Mollia tu cœptæ*, etc. Idem Bertin, *Amours*, III, *élég.* 5 :

Et vous, soutien du trône, espoir de la patrie,
Mon protecteur, mon maître, auguste fils des rois,
Encouragez ma Muse et soutenez ma voix.

ELEGIA X.

NATALIS CYNTHIÆ.

Mirabar, quidnam misissent mane Camenæ,
  Ante meum stantes, sole rubente, torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
  Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
  Et Niobæ lacrymas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis;
  Increpet absumtum nec sua mater Ityn.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
  Surge, et poscentes justa precare deos.

1. *Mirabar, quidnam* per signum *misissent Camenæ;* signo facto quidnam vellent. *Mittere,* per signum mittere, quod ex versu 3 intelligendum est.

4. *Crepuere faustos sonos manibus. Crepare* cum casu quarto, ut *increpare* Ovidius in Ibide, 230: « Terque cruentatas *increpuere manus.* » Martialis, epigr. V, 19, 14: « Qui *crepet aureolos,* forsitan unus erit. »

5. *Stent venti aere;* quiescant, taceant. — *In sicco,* in litore.

7. *Adspiciam nullos hodierna luce dolentes.* Teneri animi votum eximium. In verbis qualis elegantia! in ipsa sententia qualis suavitas! Carmina Propertii et aliorum multa sunt, quæ vellem præ hoc uno versu non scripsisse. — *Et Niobæ lapis supprimat lacrymas.* Vide II, 20, 7.

10. *Increpet nec sua mater absumtum Ityn.* Vide notata II, 20, 5, ubi etiam de verbo *increpare* dictum.

11. *Editam* Cynthiam *pennis felicibus* dicit, natam faustis ominibus. *Pennæ* pro avibus, ex quibus auguria. Sic *præpetis pennæ omina* Virgilius, Æneid. III, 361, et *alis pernicibus addere consilium* dictus Jupiter apud Stat. Thebaid. III, 471. — *Et poscentes justa precare deos.* Recte hic, si Burmannum audimus, « *justa poscere* dicuntur dii, præsertim, ut die natali pro vita sibi servata gratias illis agat Cynthia, et preces ac vota in sequen-

Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein, qua primum oculos cepisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput;
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.

tium annorum felicitatem suscipiat. » Sed quibus respondet Lachmannus, *debita*, non *justa*, deos ab hominibus poscere, scripturæ igitur inesse vitium, quod facile tollimus ita : « Surge, et *poscendos* justa precare deos. » *Dei poscuntur justa*, inquit, ut Silius IV, 793 : « Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris, Naturam nescire deum ! *Justa* ite *precari* Ture pio, cædumque feros avertite ritus. » Ovidius, Metam. XIII, 466 : « Este procul, si *justa peto*, tactuque viriles Virgineo removete manus. »

13. *Ac primum pura*, etc. Ac primum, inquit, ocellos somno graves ablue, et nitidis capillis redde formam suam. Res habemus hic positas haud dubie leves ; sed puerilia quis puerum Amorem decere non sentiat ? In priore versu *discutere somnum lympha* male Burmannus accipit : « visa nocturna, si quid forte sinistri ea portenderant, expiare, lympha fluviali vel fontana diluere et lustrare. »

15. *Primum*. Pro quo *pridem* Broukhusius, præcedentibus his, « Ac *primum* pura. » Sed hoc erat nihili. Res gravior, *caput* bis extremo versu positum versibus 16 et 18. Lachmannus non improbat : mihi secus videtur, et repetitionis vitium noto. Cæterum ejusdem Lachmanni ad librum II, 29, 25, « non illa mihi formosior umquam Visa, neque ostrina quum fuit in tunica, Ibat ut hinc castæ narratum somnia Vestæ, Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent, » nota hæc erat : « Et tamen illo ipso tempore, quo ad Vestæ templum in tunica purpurea iverat, primum ocellis suis amatorem ceperat ; nisi forte nos conjectura fallit ex his versibus ducta, quibus puellam in eadem veste, qua se primum ceperit, precatum ire jubet : *Dein, qua primum oculos cepisti veste Properti, Indue, nec vacuum flore relinque caput ; Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis, Inque meum semper stent tua regna caput.* » Scilicet, hoc videri quærendum posse, quomodo Cynthia ipso die quo Propertium capiebat, ire ad Vestam voluerit precatum, *Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent.* Sed difficultas inanis est, in qua ludit vir doctus, et conjecturam uno verbo plane discutimus : ubinam hac elegia nostra templum Vestæ dicitur ? ubinam Cynthiæ dicitur vestis purpurea ? Vides, in utroque loco significari non unum diem, sed diversos duos : alterum fuisse, *quum ibat illa narratum Vestæ somnia sua* ; alterum esse hunc, quem dicit, « Dein, *qua primum oculos cepisti* veste *Properti*, Indue. »

Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo;
Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares myrrheus unguat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis;
Et sint nequitiæ libera verba tuæ;
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos;
Publica vicinæ perstrepat aura viæ.
Sit sors et nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Quum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus;
Annua solvamus thalamo sollemnia nostro,
Natalisque tui ter peragamus iter.

19. *Ubi ture piaveris aras*, ubi ture sacrificaveris. Vide IV, 1, 50. *Aras* intellige Larium, quod sequens versiculus indicat.

21. *Sit mensæ ratio;* ratio habeatur mensæ, convivio adsit hora sua. — *Unguat onyx crocino nares. Crines* pro *nares* vult Heinsius; Barthius ineptum sensum nescio quem dedit; nihil tamen in his difficile: *nares unctas crocino* dicit, quibus mittunt suaveolentia vasa crocini odorem. — *Onyx.* Vide II, 13, 30. *Myrrheus*, de colore lapidis fulvo; *fulva myrrha* est apud Ovidium, Metam. XV, 399. *Mellei coloris* onychen laudat Plinius, Hist. Nat. XXXVI, 8.

23. *Tibia succumbat.* Sic *defessam Calliopeam* dicit III, 2, 14: « Et *defessa choris Calliopea* meis. » — *Et sint*, neque absint, *libera verba nequitiæ tuæ*, libidinosæ tuæ linguæ sales.

26. *Aura publica vicinæ viæ perstrepat;* vocibus nostris perstrepat, et tibiis, et mensæ hilaribus jocis. *Aura vicinæ viæ publica*, vicina publica via. — Cicero, pro Rosc. Amer. 46: «...ut quotidiano cantu vocum et nervorum et tibiarum nocturnisque conviviis tota vicinitas personet. »

27. *Sit sors et nobis*, etc. tali quoque faciant sortem, ordine quo nominent convivæ vicissim amores suos. Usus veterum fuit, quem significat Horatius, Carm. I, 27, 9 sqq. — *Ille puer.* Vide similia I, 6, 23, I, 9, 21, II, 26, 52.

29. *Multis exacta trientibus hora*, tempus in poculis multis (in vino multo) consumtum. — *Noctis.* Junge *ministra noctis Venus*, et *sacra noctis.*

32. *Ter.* Pro quo *sic* in libris longe pluribus (« Natalisque tui *sic* peragamus iter »); ut videtur, parum recte. De *vitæ* et *mortis itinere* haud dubie constat; etiam

diem vel *noctem* haud dubie *peragimus;* sed fortasse non itidem *natalis* alicujus *iter,* hoc est, *iter diei,* quod officium Soli proprie an improprie tribuimus, ut Auroræ Ovidius *finiendum iter noctis,* Heroidd. XVI, 200 : « Phryx erat Auroræ conjux; tamen abstulit illum Extremum *noctis* quæ dea *finit iter.* » Hac de causa tutius erit *ter* cum Lachmanno scribere; ita Groninganus ac Mentelianus cum alio (in alio *ter sic* legitur): « Natalisque tui *ter* peragamus iter. » De vocabulo hoc *iter* vide II, 33, 22. *Natalis tui iter,* in honorem natalis tui faciendum, quo plane modo Horatius, Carm. III, 8, 13 : « Sume, Mæcenas, *cyathos amici Sospitis* centum. » — Carmen elegans, venustum, facile, ex Propertii haud dubie melioribus. Confer Ovidium, Trist. V, 5; Le Brun, *Élégies,* III, 8.

IMITATIONES GALLICÆ.

Natalis Cynthiæ. Puellæ suæ festum diem celebrat etiam Parny, sed vide quam gracili ac jejuno carmine (lib. III, *le Bouquet de l'Amour*) :

Dans ce moment, les politesses,
Les souhaits vingt fois répétés,
Et les ennuyeuses caresses,
Pleuvent sans doute à tes côtés.
Après ces complimens sans nombre,
L'Amour fidèle aura son tour;
Car dès qu'il verra la nuit sombre
Remplacer la clarté du jour,
Il s'en ira, sans autre escorte
Que le plaisir tendre et discret,
Frappant doucement à ta porte,
T'offrir ses vœux et son bouquet.
Quand l'age aura blanchi ma tête,
Réduit tristement à glaner,
J'irai te souhaiter ta fête,
Ne pouvant plus te la donner.

7. *Adspiciam nullos hodierna luce dolentes.* Trajanus apud Voltaire, *le Temple de la Gloire,* act. IV, scen. 2, captivos reges mittens liberos :

Plautine est en ces lieux; il faut qu'en sa présence
Il ne soit point d'infortunés.

ELEGIA XI.

FEMINÆ QUANTUM VALEANT.

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius præsagit navita noctem;
Vulneribus didicit miles habere metum:
Ista ego præterita jactavi verba juventa;
Tu nunc exemplo disce timere meo.

1. *Quid mirare...?* Secunda persona indefinite posita, ut IV, 2, 1. Vide et III, 5, 13. — *Versare*, agitare, turbare. Sic I, 14, 21, II, 22, 47, III, 17, 12.

3. *Fingere alicui ignavi capitis* (hoc est, ignaviæ) *crimina*. Sic *desidiæ crimen fingere* libro I, 12, 1: « Quid mihi *desidiæ* non cessas *fingere crimen?* »

5. *Noctem*. Vide I, 17, 10. Pro quo *mortem* in libris melioribus, sed *noctem* confirmat Vocabularium Nestoris, et certe magis proprie *tempestas* quam *mors* cum *navita* jungitur, sicuti *vulnera* sequentis versus cum *milite*. Cæterum in vocabulo *melius* auctore me nihil erat, quod reprehenderent critici. *Vetulus* Marklandus, *pavidus* reponit Lachmannus, quorum illud absque contemtu non dicitur, hoc veri speciem habet nullam. De timore haud dubie, quod observat Lachmannus, in utroque versu agitur; ideo, si fieri posset, epitheton *pavidus* fortasse acciperem: « Venturam *pavidus* præsagit navita noctem; » sed *melius*, ni fallor, ex ipsa re satis intelligitur: *melius* quocumque alio præsagit tempestatem navita, quia scilicet jam expertus est ac timere didicit. Vide totam sententiam: Quid me patienter ferre dominæ jugum miraris? quid mihi ignavum animum exprobras, quod libertatem recuperare nesciam? Navitæ est sentire ac nuntiare procellam; militi vulnera sua persuadent metum: et ego quoque juvenis feminarum illud imperium ridere consueveram; nunc, re melius cognita, jactantiam posui, humilitatem et patientiam doceo. — *Jactavi verba*. Vide II, 1, 77.

Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
Egit, et armigera prælia sevit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Æsonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra obpugnare sagittis
Mæotis Danaum Penthesilea rates;
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.

9. *Colchis*, Medea (vide II, 21, 11), cujus potentem artem Jason adversus tauros ignivomos sensit. Ovidius, Metam. VII, 115, ubi de tauris illis domitis: « subit ille (Jason), nec ignes Sensit anhelatos (tantum medicamina possunt), Pendulaque audaci mulcet palearia dextra, Subpositosque jugo pondus grave cogit aratri Ducere, et insuetum ferro proscindere campum. » *Adamantina juga*, pro durissimis ferreis, ut *viæ non exorato adamante*, hoc est, ferro, IV, 11, 4; *adamantina* Martis *tunica* apud Horat. Carm. I, 6, 13; *solido adamante rigens* infernæ turris *latus* apud Claudian. V, 470. — *Et prælia sevit armigera humo.* Scilicet Jasoni post tauros jugatos lex erat serpentis Cadmei dentes venenatos serere. Mandatum ille peragit; oritur ex satis dentibus seges armatorum militum; sed et hic magicæ artes vincunt, et, quod infestum Jasoni surrexerat, totum agmen cæsum propriis ictibus perit. Medea apud Ovidium, Heroidd. XII, 95: « Arva venenatis, pro semine, dentibus imples: Nascitur et gladios scutaque miles habet. Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi, Quum vidi subitos arma tenere viros; Donec terrigenæ (facinus miserabile!) fratres Inter se strictas conseruere manus. »

11. *Custodisque feros clausit*, etc. Eadem, versu 101: « Pervigil ecce draco, squammis crepitantibus horrens, Sibilat, et torto pectore verrit humum.... Flammea subduxi medicato lumina somno, Et tibi, quæ raperes, vellera tuta dedi. »

14. *Penthesilea*, Amazonum regina, quam Priamo armis junctam vicit Achillés et occidit, mortuam vero acerbe doluit, quum detracta puellæ galea venustam frontem conspexisset. Ita quidem vulgo scriptores; pro quo Noster cum aliis non occisam eam, sed captam et amatam ab Achille captivam significare videtur. Lege Servium ad Virgil. Æneid. I, 494, XI, 661. — *Mæotis Penthesilea*, Scythica, ut *Mæotis ora* apud Ovid. Pontic. III, 2, 59; *peltiferæ Mæotidæ* (Amazones) Sabino dictæ, Heroidd. II, 9; *Mæotica nix* apud Nostrum II, 3, 11. — *Contra obpugnare. Contra*, hoc est, Danais contra resistentibus. Ita amantes dicit libro II, 1, 45, *prælia lecto contra versari*, alterum contra alterum versari prælia.—*Cassida* pro *cassis* habet etiam Virgilius, Æneid. XI, 775.

Omphale et in tantum formæ processit honorem,
  Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per mœnia currus
  Ne possent tacto stringere ab axe latus;
Duxit et Euphraten medium, qua condidit arces,
  Jussit et imperio subdere Bactra caput.

18. *Lydia Gygæo tincta puella lacu. Tincta*, fontis amans, quomodo *tinctum* sæpe dicit Noster quod lavatur; vide I, 6, 32, I, 20, 8, III, 3, 32, IV, 4, 24. De *lacu Gygæo* Lydiæ, Plinius, Hist. Nat. V, 29. — Si Barthium audimus, « Præclare servit poeta causæ suæ : namque Omphale tincta, et puella, et Lydia adeoque mollissima, tamen imperavit Herculi. » Scilicet error ab omni tempore criticorum fuit, ex ejusmodi subjectis versibus accedere sententiæ fortiorem significationem velle. Error, inquam, haud dubie, quo regulas scribendi nostras ad orationem Latinam transferunt. Epitheta et alia quævis addita, si nihil aut parum rem juvant, spernimus hoc ævo et prorsus rejicimus : quid autem apud Romanos poetas his ipsis otiosis ornamentis frequentius? illorum vocabula quis ignorat, posita non ut vim et pondus faciant, sed ut oratio plenior fluat et rhythmi quæratur suavitas? Talem hic agnosco Propertii versum, quem cogit interpretatione sua premens Barthius ad reddendum sonum : orationis et prosodiæ, ut multis in locis, elegantia est, non vis et significatio nova addita sententiæ.

19. *Ut, qui pacato statuisset*, etc. Dejanira apud Ovidium, Heroidd. IX, 75 : « Non fugis, Alcide, victricem mille laborum Rasilibus calathis imposuisse manum? Crassaque robusto deducis pollice fila, Æquaque formosæ pensa rependis heræ? »

22. *Ut*, ita ut. — De *cocto aggere* vide Curtium mox citandum.

23. *Missi. Immissi* quis primus viris doctis persuaserit, non constat. Mentelianus cum antiquitus editis *misit*, hoc est, Semiramis, probante, sed frustra, Burmanno. Recte habent scripti omnes *in adversum missi currus*, plane ut *missus equus* versu 64. — Curtius, V, 1, 25 : « Murus (Babylonis) instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium XXX et duorum pedum latitudinem amplectitur : quadrigæ inter se occurrentes (*in adversum missæ*) sine periculo commeare dicuntur. »

26. *Subdere*. Codices : « Jussit et imperio *surgere* Bactra caput. » Scribe cum Burmanno patruo et Schradero *subdere*, ut historicam

Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Juppiter infamat seque suamque domum.
Quid? modo quæ nostris opprobria vexerat armis
Et famulos inter femina trita suos!
Conjugi et obscæni pretium Romana poposcit
Mœnia, et addictos in sua regna patres!
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos!
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.

fidem observet poeta. Semiramidem captis Bactris imperasse Diodorus auctor est.

27. *Nam quid ego*, etc. quid heroes, quid ipsos deos turpiter amori subjectos referam? *Nam quid*, quidnam, ut II, 32, 3, III, 19, 17.

29. *Quid? modo*, etc. Separatim editis quatuordecim prioribus distichis, novam et integram elegiam facit ab his *Kuinoel;* « si sententiarum nexum, rerum in hoc carmine obviarum varietatem, inprimisque carminis exitum respicimus, duas diversas elegias h. l. conjunctas esse facile intelligi. » Ego certe non intelligo, sed perbene connexum ita: « Quid veteres historias, quid Medeæ facta aut Semiramidis potentiam, et heroes et deos turpiter amoris servos memorem? Hac ætate nostra Cleopatram vide; Ægyptiaca mulier quid ausa sit, reputa. » Præterea, ne verba *Quid? modo quæ nostris*, etc. carmini initium darent, sensus vetabat et dictionis regulæ; scinderę igitur hos versus in partes duas falsum judicium fuit. Quamquam res stat certa et patet, aliena et extrinsecus arcessita legi nunc, quæ tam fuse Noster, ut Augusto aduletur, de fracta Cleopatræ superbia enarrat. — Sensus: « Quid? quale nuper dedecus armis nostris parabat vel regina meretrix! turpis etiam conjugii pretium Romam servam et senatum nostrum poscere illam ausam esse! » Conf. Horat. Carm. I, 37, 6: « dum Capitolio Regina dementes ruinas Funus et imperio parabat, Contaminato cum grege turpium Morbo virorum. » — *Trita inter famulos*, famulorum per manus fœde trita communis. — *Conjugi et obscæni*, etc. Florus, IV, 11, 2: « Hæc mulier Ægyptia ab ebrio imperatore (Antonio) pretium libidinum Romanum imperium petit. » *Conjugi. Conjugis obscæni pretium* libri omnes; critici emendatione certa *Conjugii obscæni*, quamquam nec satis erat. Scribe cum Lachmanno, addita particula *et: Conjugî et obscæni pretium;* aliter pronomen *quæ* versu 29 non intelligimus *quanta opprobria*, sed falso *Cleopatra quæ*.

36. *Tollet nulla dies*, etc. Diserte Lachmannus et egregie, vul-

Issent Phlegræo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine adusta nota,

garem editam lectionem ratione corrigens : Intento animo percipe hæc, ab interpretibus minore, quam fieri debebat, cura tractata. De Ægypto loquitur : « Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos ! *Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.* Issent Phlegræo melius tibi funera campo, Vel tua si socero colla daturus eras. Scilicet incesti meretrix regina Canopi, *Una Philippeo sanguine* inusta *nota*, Ausa Jovi nostro latrantem obponere *Anubin*, Et Tiberim Nili cogere ferre minas ! » Ille versus, quo Pompeium Ptolemæi dolo interfectum Romæ æterno crimini vertit, suspensos tenuit criticos, tandem delatos eo, ut Romam, perfidiæ ultione dimissa, æternam culpam meruisse contenderent. Sed cavendum erat Propertio, ne contumeliose in Augustum diceret. Id facit, *nulla die tollendam* ignominiam prædicando, quam Augustus ea ipsa die, qua Cleopatra victa erat, sustulerat. Præterea, nimia profecto licentia est, Memphim primum alloqui : « Et toties nostro *Memphi* cruenta malo ; » tum vero, Pompeio commemorato, « Tres ubi *Pompeio* detraxit arena triumphos, » ad Romam dirigere orationem : « Tollet nulla dies hanc tibi, *Roma*, notam ; » tum proximo versu, Romæ immemorem, ad Pompeium sese convertere : « Issent Phlegræo melius *tibi* funera campo, Vel *tua* si socero colla daturus *eras*. » Sed porro jam majores turbas excitat versus alter, « Una Philippeo sanguine *inusta* nota. » Miremur poetam eorum, quæ ipse dixit, oblitum. Sola Cleopatra Philippeo sanguini inusta nota est, sola ea Ptolemæorum sanguinem dedecoravit, non Auletes ille, a quo factam Pompeio injuriam non esse ultam æterno Romæ opprobrio fuit. Nonne hic pariter ac Cleopatra inter Ptolemæorum gentis dedecora numerandus ? Ad hoc *sanguine* pro casu tertio non ferre consuetudinem Propertii, ad librum IV, 8, 10, ostendemus. Sed hæc quidem Scaligeri potius, quam Propertii aut librariorum culpa est ; nam *inusta* ab illo est, scripti omnes habent *adusta*. At hoc tam sensui quam grammaticæ nocet. Sed alterum itidem, uti vidimus. Aliud igitur potius hic tentandum erat, et puto me verum vidisse, nempe duos versus in idem vocabulum desinentes loca sua commutare debere, hoc modo : « Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus, Et toties nostro Memphi cruenta malo, Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos, *Una Philippeo sanguine* adusta *notâ*. Issent Phlegræo melius tibi funera campo, Vel tua si socero colla daturus eras. Scilicet incesti meretrix regina Canopi (*Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam*) Ausa Jovi nostro latrantem obponere *Anubim*, Et Tiberim Nili

Ausa Jovi nostro latrantem obponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi;
Fœdaque Tarpeio conopia tendere saxo,
Jura dare et statuas inter et arma Mari!

cogere ferre minas!» Unam Ægyptum a Philippeo sanguine, hoc est, a progenie τῶν Διαδόχων, notam et ignominiam traxisse dicit, quum Syria et Macedonia bonis regibus insignes fuerint. *Uri nota* frequens loquendi genus est, neque *aduri*, ut opinor, ita poni non potest, quum habeat aliquoties urendi significationem : vide Lucret. IV, 330; Ovid. Heroidd. XII, 180. Hoc si nolis, superest ut scribas : « Una Philippeo sanguine *es usta* notâ; » vel etiam, « Una Philippeo sanguine *pressa* notâ; » ut apud Ovid. Fast. VI, 610. Recte vero illo versu, « Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam, » crimen acceptæ a Cleopatræ minis ignominiæ umquam deletum iri negat. Quam culpam Roma non ulciscenda Pompeii morte contraxerat, Augustus reparare potuit: hanc ignominiam ipsi urbi factam nulla ætas abolitura erat. Hæc Lachmannus. — *Tres ubi Pompeio*, etc. tres ubi triumphos Pompeius scelerato in litore cum vita posuit. Primum triumphum egit Pompeius recuperata Sicilia et subacta Africa; secundum, Hispania recepta; tertium, confecto bello piratico, post victum Mithridatem. Cicero, pro Balbo, 4 : « qui (Pompeius) tot habet triumphos, quot oræ sunt partesque terrarum. » — *Issent tibi melius Phlegræo campo funera*, melius tibi erat campis Pharsalicis cadere; *Vel si colla socero daturus eras; vel*, hoc est, *melius etiam*, socerum Cæsarem dominum pati. *Ire* de funeribus, ut *spatiari* II, 13, 19. *Phlegræus*, Thessalicus; vide III, 9, 48.—*Canopus*, urbs ad Nili Canopicum ostium, lascivia olim fœde nobilis, unde epitheton *incestus*. — *Anubis*, Osiridis filius, caniformis. *Anubim* scribe cum Neapolit. Codice, non *Anubin*; de talibus docet Huschkius, suis ad Tibullum notis.

44. *Baris*, Ægyptia lingua navigium vehendis ad sepulturam mortuis. Turpis cymbæ nomine bellicas Ægyptiorum naves poeta significat. — *Rostra Liburna*, expeditam et agilem Augusteam classem. Levitate inprimis navium vicisse Agrippam constat. *Liburna* autem *rostra* proprie, cujusmodi ratibus piratæ olim usi sunt Liburni.

45. *Conopium*. Velamen tenue et translucidum, Ægyptiis in usu, lecto circumductum adversus culices; (Gall. *une cousinière*). Hoc igitur fœdum tentorium speravisse feminam ut rupem Tarpeiam premeret. Conopium Horatius cum turpi itidem spadonum exercitu nominat epodd. IX, 16.—*Statuas inter et arma* (tropæa) *Marii*. Sylla disjecerat, Cæsar restituit et intulit Capitolio.

Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem!
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili;
Accepere tuæ Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
*Non hæc, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis adsiduo lingua sepulta mero.*
Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas!
Nunc ubi Scipiadæ classes, ubi signa Camilli,

47. *Quid nunc*, etc. Retrahe cum Lachmanno duos versus, positos, si Codices sequimur, 67—68, si vulgarem ordinem, 59—60: « *Nunc ubi Scipiadæ classes, ubi signa Camilli, Aut modo Pompeia Bospore capte manu?* Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures, etc. » et vide ad vs. 61 notata.

48. *Nomine quem simili*, etc. Tarquinium Superbum intelligis.

49. *Cape, Roma, triumphum. Capere triumphum*, pro celebrare, ut apud Virgil. Æneid. VII, 403: « Solvite crinales vittas, *capite orgia* mecum. »

51. *Timidi Nili*, territi. — *Accepere tuæ*, etc. Cleopatram, desperatis rebus, Augusti in potestatem venisse historia docet. — *Romula vincla*, vincla Romuli, ut *Remi signa* IV, 6, 80, pro Romanis. — *Romula*. Vide III, 3, 32.

53. *Brachia spectavi..... soporis iter*; hoc est, triumphum cum miseræ reginæ ducta imagine. Cf. III, 4, 18. — *Sacris colubris*. Aspides religio sacras Isidi fecerat. — *Et trahere membra* (concipere) *occultum soporis iter*, clam letale subrepens immissum venenum. Eleganter et poetice.

55. *Non hæc, Roma*, etc. Hæc lectio *Nec ducis* est a conjectura Heinsii, quam de loco suo non dejicimus, quia nihil habemus, quod certo substitui possit. Cæterum *ducis* Antonii hic, ubi de feminarum imperio agit, Propertium non meminisse plane censeo. Sed in Codicum quidem lectione nihil sani est, qui hoc distichon ita scriptum præferunt: « Non *hoc* (vel *hæc*) Roma fuit tanto tibi cive verenda, *Dixit et* adsiduo lingua sepulta mero. » *Non hoc* plerique habere videntur; in duobus *fui*. Quid autem poeta dederit, quum propter alia, tum ideo difficile dictu est, quia dubium est, Romamne an Cleopatram hic alloquatur. Lachmannus.

57. *Toto* pro toti; vide I, 20, 35.

Aut modo Pompeia Bospore capte manu? 60
Hannibalis spolia, et victi monumenta Syphacis?
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes?
Curtius expletis statuit monumenta lacunis,
Ac Decius misso prælia rupit equo;

61. *Hannibalis spolia*, etc. Ante hunc versum viri docti, Passeratio suadente, illud distichon posuerunt, quod in Codicibus medium inter versus 68 et 69 esse paulo ante dicebamus, *Nunc ubi Scipiadæ classes*, etc. Cur nos denuo in alium locum transportaverimus, toto sententiæ ambitu considerato intelliges: « Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi, Femineas *timuit* territa Marte minas! [*Nunc ubi Scipiadæ classes, ubi signa Camilli, Aut modo Pompeia Bospore capte manu?*] Hannibalis spolia, et victi *monumenta* Syphacis? Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes? Curtius expletis statuit *monumenta* lacunis, Ac Decius.... Hæc di condiderunt, hæc di quoque mœnia servant: Vix timeat, salvo Cæsare, Roma Jovem. » Primum inepte pondus orationi addit, non Bosporum modo, sed et Hannibalis spolia, et victi Syphacis monumenta, et fractam Pyrrhi gloriam alloquendo. Ejusdem autem Scipionis bis mentionem facit, *Scipiadæ classes* commemorando, et *victi monumenta Syphacis*. Tum in sensu horum carminum inest grave vitium. Illi versus *Nunc ubi* et *Hannibalis spolia* ad priorem sententiam pertinent, *Septem urbs alta jugis*, etc.; quæ sequuntur, *Curtius expletis*, etc. ad hanc referenda sunt, *Hæc di condiderunt*, etc. Nihilominus poeta ab illa sententia ad hanc ita transit, ut ne sentias quidem; ita increpat Romanos, ut Curtium quoque ac Decium et cæteros increpare videatur. Neque ulla erat tam acriter invehendi causa: si Roma victa esset, poterant omnia illa periisse dici; nunc, quum timeret tantum, frustra acta non erant, quin et juvare non nihil poterant. Quanto igitur rectius erit hoc distichon *Nunc ubi*, etc. illuc reposuisse, ubi de timore non agitur, sed de periculo urbi a Cleopatra imminente: « *Nunc ubi Scipiadæ classes, ubi signa Camilli, Aut modo Pompeia Bospore capte manu?* Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures.... Si mulier *patienda* fuit? » Jam vero hoc effecimus quidem, ut cætera omnia, uti debent, ad illum versum referri possint, « Hæc di condiderunt, hæc di quoque mœnia servant: » cæterum oratio non nimis firmo talo incedit: « Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi, Femineas timuit territa Marte minas! *Hannibalis spolia, et victi* [monumenta] *Syphacis*, Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes. Curtius expletis statuit *monumenta* lacunis, etc. » Nam quod Vulpius illa vocandi casu, exclamandi gratia, dicta censet, nugæ sunt. Sed manifestus hic est librariorum error. Nam monumenta ob Syphacem devictum nulla Scipioni posita fue-

Coclitis abscissos testatur semita pontes;
Est, cui cognomen corvus habere dedit.
Hæc di condiderunt, hæc di quoque mœnia servant:
Vix timeat, salvo Cæsare, Roma Jovem.
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
Cæsaris in toto sis memor Ionio.

runt. Et *monumenta* hic quidem iterari omnino ineptum est. Quare videtur certum, hic verum vocabulum excidisse, *monumentis* illis oscitantia in librariis Propertianis non nova ex versu posteriore in priorem illatis. Fortasse non incommodum orationi fulcrum præbebimus scribendo : « Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi, Femineas timuit territa Marte minas! Hannibalis spolia et victi *sunt parta* Syphacis, Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes; Curtius expletis statuit monumenta lacunis, Ac Decius misso prælia rupit equo; etc. » (Ex ejusdem Lachmanni notatis hæc.) — *Bospore capte. Bospora capta* in vulgg. editis, « *Et* modo Pompeia *Bospora capta* manu, » vocabulo falso *Bospora*, quum Græci πόρον neutro genere numquam dixerint; nec quia *Ismara*, *Mœnala*, *Gargara*, dicimus, licet etiam *Bospora* usurpare. Neapolitanus et Burmanni alter (item Regius noster F) habent *Bosphore capta*. Lege : « *Aut* modo Pompeia *Bospore capte* manu. » Nam *Aut*, non *Et*, exhibent libri meliores. Lachmannus. — *Curtius expletis lacunis monumenta statuit*, monumentum virtutis expletas lacunas. *Lacuna*, specus in foro ducta terra. Quod factum atinet, Curtii nomen per se loquitur. — *Ac Decius misso*. Viri docti Scaligero auctore : « *Admisso Decius* prælia rupit equo. » Veram lectionem servavit Mentelianus cum nonnullis, *Ac.... misso*, pro quo *At* scripti plerique. *Missus equus;* ita nos Galli *lancer un cheval*. — *Prælia rupit* (bellum sustulit) *Decius*, quem patriæ magnus amor devotum morti per hostes immisit.

65. *Coclitis abscissos*, etc. Coclitis quæ servat hodie nomen semita (via), pontem abscissum narrat, æternam viri gloriam; (pontem Sublicium, tempore Porsennæ.)—*Est, cui cognomen*, etc. M. Valerius Corvinus. Meminimus certamen cum Gallo, et corvi tam pulchram ac veridicam historiam.

69. *Leucadius* (Actiacus) *Apollo*, de cujus templo ad Ambracium sinum vide IV, 6, 67. Exadversum erat promontorium *Leucadis* celeberrimum. — *Tantum operis belli*, tantos belli conatus. Vide II, 27, 6. *Tantum operis*, tam magnum opus, ut III, 3, 4 : « Visus eram... *Tantum operis* nervis hiscere posse meis; » III, 5, 11 : « Nunc *maris* in *tantum* vento jactamur. »

ELEGIA XII.

AD POSTUMUM.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres, Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido prætulit arma toro!
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi;
Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ,
Ferreus aurato neu cataphractus equo;

1. *Plorantem Gallam* conjugem; Æliam Gallam; vs. 38. — *Et sequi miles Augusti signa;* Ælio Gallo duce. Vide Propertii Vitam Chronolog. ad ann. 731. Cum duce igitur conjunctio familiæ Postumo erat per uxorem suam.

4. *Multa rogante Galla* (iterum atque iterum) *ne faceres* (ne faceres hoc, ne linqueres miseram). *Facere* sic apud Tibull. 1, 8, 22.

5. *Si fas est.* Optandi formula, ut Ovidius Trist. III, 1, 81, Pontic. II, 8, 37. *Avari*, prædæ cupidi.

7. *Lacerna* pro chlamyde, ut IV, 3, 18.

9. *Interea tabescet illa inani fama* (odio suo inanis gloriæ), *hæc tua virtus ne tibi amara fiat.* Pro quo Burmannus de conjectura Livineii tribusque libris addicentibus *amara sibi.* Sed *tibi* quanto rectius in scriptis cæteris, modo teneræ Gallæ servare velimus sensus amoris suos!

12. *Cataphractus ferreus*, Parthorum eques cum equo suo totus ferro munitus. — *Aurato. Armato* Broukhusius, Burmannus, Barthius; scilicet: « Neve tuo sanguine lætetur cataphractus armato equo. » Verum est quod habent scripti omnes *aurato*, Postumi ut intelligamus equum, non cataphracti: « Neu cataphractus ferreus aurato equo tuo lætetur capto. » Ornamenta *aurea* militem mollem Postumum, epitheton *ferreus* terribilem hostem Parthum magis decet. Arethusa (hæc ipsa Galla) in epistola ad Lycotam (maritum Postumum), ut recte statuunt de fictis nominibus

Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla!
Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sit luxuriæ Roma magistra suæ?
Sed securus eas: Gallam non munera vincent,
Duritiæque tuæ non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda conjuge Ulixes.
Non illi longæ tot nocuere moræ:
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta,

his interpretes, libro IV, 3, 23: « Dic mihi, num *teneros* uris lorica *lacertos?* Num gravis *imbelles* adterit hasta *manus?* »

13. *Aliquid de te flendum*. Tectis verbis significat mortem. Conf. III, 7, 64, IV, 11, 14. — *Sic redeunt* (in urna cineres), *qui*, etc.

15. *Felix in*. Ita Ovidius, Trist. V, 5, 21. *Gaudere in* apud Nostrum passim; vide II, 4, 18. — *Moribus his*, hac inhumanitate tua. — *Alia conjuge*, quæ fidem nollet tam sancte servare.

18. *Luxuriæ suæ*. *Tuæ* libri meliores cum aliis permultis, orationis structura difficili: « Quid faciet timore nullo munita *Galla*, quum *tuæ* Roma luxuriæ magistra sit? (*tuæ*, casus tertius: uxori tuæ Gallæ.) » *Kuinoel* et Lachmannus veram lectionem ex interpolatis Codicibus nonnullis reposuerunt *luxuriæ suæ*: « Quid faciet custode nullo femina, quam Roma doceat luxuriæ vitia? » *Roma quum sit magistra luxuriæ suæ; suæ*, ejus, (puellæ scilicet) *luxuriæ magistra;* quo modo pronomen est *suus* apud Ovid. Pontic. I, 7, 48. Scaligeri pravum commentum Burmannus ipse, qui cum Broukhusio dedit, notatis suis improbat.—*Timor*. Vide III, 14, 23.

24. *Tot longæ moræ;* quas in sequentibus versibus narrat.

25. *Ciconum manus*, agmina; Cicones in Thracia victi, urbs capta Ismara. Vide Homer. Odyss. ι, 38 sqq. Cæterum *manus* et *capta* hoc versu recte Fonteinius, pro quo *mons* et *Calpe* libri tum scripti tum editi: « Castra decem annorum, et Ciconum *mons*, Ismara, *Calpe*, » (et mons Ciconum Ismara, et Calpe, et mox Polyphemus); Lachmanno *montem Ismarum*, cujus meminit Virgil. eclog. VI, 30, et Georg. II, 37, alienum hic Ulyssis in erroribus notante, sed nec Ulyssi visam esse *Calpen* Hispaniæ, aut si viderit, quod quibusdam scriptoribus placet, non ante Cyclopis oram. *Ciconum manus* etiam Tibullus, ubi de re eadem

Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ;
Et Circæ fraudes, lotosque herbæque tenaces,
Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas;
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos;
Paverat hos Phœbo filia Lampetie;
Et thalamum Æææ flentis fugisse puellæ,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies;
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum;
Sirenum surdo remige sedisse lacus;
Et veteres arcus læto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra; quia casta domi persederat uxor.
Vincet Penelopes Ælia Galla fidem.

IV, 1, 54. — *Exustæque tuæ*, etc. hoc est, Sicilia, Polyphemus. Cf. III, 22, 8. — *Gena* pro oculo, ut IV, 5, 16; Senec. Troad. 442. Vide Plin. Hist. Nat. XI, 37 (al. 56).

27. *Lotosque herbæque tenaces;* Africa, Lotophagi. *Herba tenax lotos;* quæ dissuadet hominibus reditum, patriæ elapsa per dulcem fructum memoria. Vide Homer. Odyss. ι, 92 sqq.

29. *Lampeties*, etc. In Sicilia etiam hoc. Versum 30 uncis include parentheseos: « Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos (Paverat hos Phœbo filia Lampetie), Et thalamum Æææ, etc. » Lampeties puella boves patri Phœbo sacros mugisse verubus (quos cæsos tortent Ulyssis socii); vide Apollon. Rhod. IV, 971 sqq.

31. *Æææ puellæ*, Calypso, cujus insula est apud Melam Æææ, II, 7.

34. *Sirenum lacus*, undas, mare. — *Surdi remiges*, quorum munita aures ære, ut transiret navis tuta canoras blanditias. Homer. Odyss. μ, 173 sqq.

37. *Nec frustra*, nec sine præmio, (tot expleti casus.)

IMITATIONES GALLICÆ.

9. *Illa quidem interea*, etc. Parny, *Isnel et Asléga*, lib. I, (puella ipsa ad amantem, dum quærit prælia):

Dans les combats ne sois point téméraire,
Crains d'exposer une tête si chère,
Crains pour mes jours, et du guerrier puissant
Ne brave point le glaive menaçant.
Mais il te cherche au milieu du carnage,
Tu l'attendras, je connais ton courage, etc.

ELEGIA XIII.

INTER HOMINES QUID NON AURO CORRUPTUM?

Quæritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustæ damna querantur opes.
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriæ nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo;
Et Tyrus ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,

1. *Unde avidis nox sit pretiosa puellis*, unde noctibus suis pretium puellæ faciant. *Pretiosa nox*, ut *pretiosa Thais* IV, 5, 43, et contrario sensu *viles noctes* IV, 7, 39, pro noctibus, quas aliquis emat vili ac fere nullo pretio. — Cf. Imitat. Gall. ad II, 16, 15. — *Et querantur opes* (nostræ opes) *damna exhaustæ Venere*. Vide notata II, 31, 14.

5. *Inda cavis*, etc. Fabula est de formicis Indicis, quam Plinius gravibus verbis ita, Nat. Hist. XI, 31: « Aurum ex cavernis egerunt terræ, in regione septemtrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur. Ipsis color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum hoc ab iis tempore hiberno Indi furantur æstivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis, etc. » *Metalla*, metallorum caveæ, Gall. *mines*. — *Erycina*. Epitheton non immerito corruptum visum criticis. Ideo enim quia Venus ipsa ab Erycis templo Erycina dicitur, an pariter ooncha Erycina erit, quæ sacra Veneri? *Erytræa* melius in Codicibus nonnullis, nisi quod otiose junctum cum *rubro salo* videri possit.

8. *Cinnamon multi odoris*, odoratissimum. Lachmannus tentat: « Cinnamon et *culti messor* odoris Arabs » (messor Arabs culti odoris); *multus odor*, inquit, « quum multa aromata potius indicare videatur. » Non puto, sed æque recte ita significari vim odoris persuadeor. Ovidius, in Medicaminibus vs. 97: « Tempore sis parvo molles licet illita vultus, Hærebit toto *multus* in ore *color*; » *multus color*, id est, quam lucidus.

Quæque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
Et, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur
Conjugium : pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices, et flammæ pectora præbent,

10. *Quæque* (pro *Hæcque*) *terunt fastus, Icarioti, tuos;* superbiam ipsam Penelopes domant. *Icariotis,* Icarii Penelope filia.

11. *Census induta nepotum;* liberorum ac nepotum induta rem familiarem spolium, quam profudit pater. Seneca, de Benefic. VII, 9 : « non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. » —*Nostra per ora;* palam, publice.

14. *Et, si qua est,* etc. Vulgo : « Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi; *Aut,* si qua est, pretio tollitur *ista* mora. » In quibus *ista mora* Broukhusius ex uno libro correxit, sed qui turpem amoris inferebat sensum, viris pudore nullo rogantibus, ultro se objicientibus feminis. Lege : « Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi; *Et,* si qua est, pretio tollitur *ipsa* mora : » *Et* cum Livineio, *ipsa* cum scriptis omnibus. Poscere, inquit, feminæ, dare munera viri non eessant; nec tardat quidem flagitium pudor, quum, si forte mora sit, tollatur pretio.

15. *Felix una lex funeris,* præclara et unice felix maritis Eois lex rogi.

18. *Fusis comis.* Broukhusius, Barthius, *Kuinoel,* ex uno Groningano *positis.*

21. *Ardent, et pectora præbent flammæ;* uruntur, et flammis ultro objiciunt pectora. *Ardere* proprio sensu positum, ne, si mortis impatientes feminas accipimus, in hoc et altero vocabulo *flamma* lusus sit parum dignus poeta. *Gaudent victrices* Broukhusius ex emendatione H. Stephani. — Interpres Valer. Maximus, II, 6, 14 : « Respiciantur Indorum feminæ, quæ quum more patrio complures eidem nuptæ esse soleant, mortuo marito, in certamen judiciumque veniunt, quam ex iis maxime dilexerit. Victrix gaudio exsultans, deductaque a necessariis lætum præferentibus vultum, conjugis se flammis superjacit, et cum eo tamquam felicissima crematur : supe-

Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum ; hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum messis et arbor erant !
Illis munus erat decussa Cydonia ramo
Et dare puniceis plena canistra rubis ;
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
Lilia virgineos lucida per calathos ;
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumæ versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oscula silvicolis emta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,

rata cum tristitia et mœrore in vita remanent. »

23. *Hic*, apud nos, Romæ. — *Hic nulla puella*, etc. Distinctio male posita (*Hic genus infidum nuptarum : hic nulla puella : Nec fida Evadne*, etc.) Burmannum induxerat, ut corrigeret *hic nulla pudica est*. Sed vere omnino : *hic nulla puella Nec fida Evadne, nec pia Penelope*. Feminam Romæ esse nullam, quæ aut Evadnen aut Penelopen imitari velit. Confer Imit. Gall. ad II, 32, 47. — *Nulla nec*. Vide not. II, 19, 5, et cf. Virgil. eclog. V, 25. — *Evadne*. Vide I, 15, 21.

25. *Pacata juventus*, pacis amans. Vide Lachmannum.

27. *Illis munus erat* (satis ad munus, quod facerent puellis suis) *dare Cydonia decussa ramo*, etc. Volscus anno 1488 *Illis pompa fuit* edidit, viris doctis sequentibus. Sed hoc in scriptis paucis legitur, de quorum fide cæteros meliores non deseremus.

29. *Mixta lilia*, violis mixta. — *Virginei calathi*, calathi virginum. Diximus II, 1, 67. — Blanditiæ amoris hæc omnia etiam apud Ovid. Metam. X, 259 : « modo grata puellis Munera fert illi conchas, teretesque lapillos, Et parvas volucres, et flores mille colorum, Liliaque, pictasque pilas, et ab arbore lapsas Heliadum lacrymas » (Pygmalion statuæ suæ).

35. *Totos operibat amantes*. Errasse me diu in sensu fateor, quum juvenis adhuc, et Propertii, solummodo ut legerem, carmina percurrens, *totos amantes* acciperem intento parum animo *amantes duos*. Nunc, quod præsenseram libro I, 5, 22, lætor posse verum ac certum cum Hemsterhusio dicere, vocabulum *totus* hic et innumeris locis esse vim additam et nervum

Altaque nativo creverat herba toro;
Pinus et incumbens latas circumdabat umbras,
Nec fuerat nudas pœna videre deas;
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves;
Dique deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant vestris verba benigna focis:

sententiæ. Noster I, 13, 15: « Vidi ego te *toto* vinctum languescere collo. » Libro II, 2, 5: « Fulva coma est, longæque manus, et maxima *toto* Corpore. » II, 17, 8: « Vel tu Sisyphios licet admirere labores, Difficile ut *toto* monte volutet onus. » III, 19, 14: « Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo, Quæ voluit liquido *tota* subire deo. » IV, 3, 31: « Tum queror in *toto* non sidere pallia lecto. » IV, 8, 51: « Nec mora, quum *totas* resupinat Cynthia valvas. » Eodem carmine, vs. 85: « Imperat et *totas* iterum mutare lacernas. » Ovidius, Metam. II, 537: « Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis Ales, ut æquaret *totas* sine labe columbas. » Amorr. II, 4, 34: « Tu, quia tam longa es, veteres heroidas æquas, Et potes in *toto* multa jacere toro. » Martialis, epigramm. VIII, 14, 5: « At mihi cella datur non *tota* clausa fenestra. » — *Operibat... creverat... reduxit.* Vide I, 10, 2; II, 6, 3; 9, 10; 13, 38; 28, 22; 29, 4; 31, 16; III, 7, 31; 8, 1; 13, 65. Libro IV, 1, 131: « Mox ubi bulla rudi *dimissa est* aurea collo... Tum tibi pauca suo de carmine *dictat* Apollo, Et *vetat* insano verba tonare foro. » IV, 4, 3: « Lucus *erat* felix, hederoso consitus antro, Multaque nativis *obstrepit* arbor aquis. » IV, 9, 27: « Devia puniceæ *velabant* limina vittæ; Putris odorato *luxerat* igne casa. »

38. *Nec fuerat pœna*, etc. Actæonis et Tiresiæ meminimus historias.

39. *Idæi.* Duplex vitium in lectione hac Volsci probata criticis. Nam primum, nihil *pastor Idæus* Paris cum antiquo ævo Saturni aureo; tum, posito hic Paridis aut aliusvis nomine, ea, quæ sequuntur, jam non erunt, ut esse debent, universe ad homines: « Dique deæque omnes... Præbebant *vestris* verba benigna focis. » Scripti libri: *Corniger atque dei... pastoris.* Lachmannus tentat: « Corniger *inque dies* vacuam pastoris in aulam Dux aries saturas ipse reduxit oves. » — *Aula* pro ovili. Cf. Horat. epist. I, 2, 66; Gratium, Cyneget. 167. — *Ipse*, sponte sua.

41. *Dique*, etc. Versiculus est fere Virgilii, Georg. I, 21, « Dique deæque omnes, studium quibus arva tueri. » — *Præbebant vestris*, etc. Editores, Scaligero auctore: « Præbebant *versis* verba *secunda* focis; » sensu quidem non nimis facili, etsi Broukhusius *versos focos* pertinere ad religionem docet ex Catone R. R. cap. 143: « *Focum* purum *circumversum* quotidie, (vil-

Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes,
Et si forte meo tramite quæris avem;
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petes calamo præmia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:

lica) prius quam cubitum eat, habeat.» Sed hæc omnia vana cadunt, ubi recte Codices, uno demto Scaligeri: «Præbebant *vestris* verba *benigna* focis.» (Deos illis temporibus excepisse præsentes benignis verbis pietatem hominum: cf. Catull. LXIV, 385 sqq.) — *Vestris focis. Focus*, ara, ut I, 1, 20, II, 19, 14, IV, 5, 64, IV, 6, 2 et 6. *Vestri* autem foci, personæ secundæ pronomen, verbis præcedentibus tertiæ, ut innumeris locis Propertius. Lib. II, 15, 7: «Illa meos somno labeos *patefecit* ocellos Ore suo, et *dixit*, Siccine lente jaces? Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum Oscula sunt labris nostra morata *tuis!*» II, 32, 33: «Ipsa Venus *fertur* corrupta libidine Martis... Cum quibus Idæo *legisti* poma sub antro.» II, 33, 35: «ut multo nihil *est* mutata Lyæo! Jam *bibe*; formosa *es*; nil *tibi* vina nocent.» III, 2, 15: «Fortunata, meo si qua *est* celebrata libello! Carmina erunt formæ tot monumenta *tuæ*.» III, 7, 37: «Natura insidias pontum *substravit* avaris; Ut *tibi* succedat, vix semel esse potest.» III, 11, 47: «Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures, Si mulier patienda *fuit*?... *Fugisti* tamen in timidi vaga flumina Nili; Accepere *tuæ* Romula vincla manus.» III, 18, 15: «*Occidit*, et misero steterat vigesimus annus.... *I* nunc, *tolle* animos, et *tecum finge* triumphos.» IV, 3, 1: «Hæc Arethusa *suo* mittit mandata Lycotæ, Quum toties absis, si *potes* esse meus.»

43. *Et leporem*, etc. Exemplum inter deos, Pan venantes homines bonis verbis excipit. — *Quicumque venis hospes*; huc ad me, in agros. — *Et si forte quæris avem*; hoc est: «Venaberis tramite meo leporem et avem.» Particula *si*, ut II, 25, 14. Libro etiam IV, 1, 105: «Hoc neque arenosum Libyæ Jovis explicat antrum..... Aut *si* quis motas cornicis senserit alas;» (Hoc neque Jovis oraculum explicat, *nec* cornices alis suis.) Neque aliter IV, 8, 76: «Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra, Nec *quum* lascivum sternet arena forum;» (tu neque in porticu Pompeia cultus spatiabere, neque *in* arena lascivi fori.) — *Sive petes præmia*. Viri docti *Sive petas*, ex emendatione, opinor. Quid, si magis proprie futurum scripti omnes, quam subjunctivum, agnoscunt? — *Præmia*. Vide II, 4, 15. — *Calamus* pro sagitta, ut II, 19, 24. Cæterum, imitari in his Propertium epigramma Leonidæ Tarentini septimum decimum constat; interprete Grotio: «Sis felix, seu tu leporem, sive æere prædam Quæris, ad hæc montis qui juga bina venis; Et me Pana tibi summa de rupe vocato: Et calamis opifer sum bonus et canibus.»

Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides; auro venalia jura;
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei:
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilabsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus aruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.

49. *Auro pulsa fides*, etc. Rutilius, Itiner. I, 357 : « Materies vitiis aurum letale parandis; Auri cæcus amor ducit in omne nefas. Aurea legitimas expugnant munera tædas, Virgineosque sinus aureus imber emit; Auro victa fides munitas decipit urbes, Auri flagitiis ambitus ipse furit. » — *Mox sine lege pudor;* mox, sublata lege, sequitur aurum pudor, id est, sensus intimus, quo, quid rectum, quid pravum, discernunt homines. — Sequuntur exempla, quæ sententiam illustrant.

51. *Torrida sacrilegum... in ora nives.* Vide notata II, 31, 13. — *Torrida limina*, templum percussum fulmine. De templo combusto tacent quidem auctores, sed res est apud Nostrum non nova mutare historias : vide not. III, 7, 23.

55. *Te scelus*, etc. Interpres Virgilius, Æneid. III, 49 : « Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno Infelix Priamus furtim mandarat alendum Threicio regi... Ille, ut opes fractæ Teucrum, et fortuna recessit... Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, et auro Vi potitur. »

57. *Eriphyla.* Vide not. II, 16, 29. — *Auratos lacertos*, in lacertis armillas. — *Gerere lacertos.* Vide III, 7, 60. — *Dilabsis equis* (absorptis) *Amphiaraus nusquam est* (in terra nusquam; evanuit, occidit). *Nusquam esse* ita Horatius, sat. II, 5, 102 : « Ergo nunc Dama sodalis *Nusquam est!* unde mihi tam fortem tamque fidelem! »

59. *Atque utinam patriæ sim vanus aruspex!* utinam sit vanum augurium hoc meum patriæ : *Frangitur ipsa suis*, etc.

62. *Verax non habenda;* accipe : Cujus fatum fuit, ut verax non

Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti:
Experta est veros irrita lingua deos.

haberetur; quod participium Burmannus cum aliis pro *habita* positum narrat. Monuimus jam de talibus libro I, 17, 7. — *Mænas*, Cassandra, ut apud Ovid. Amorr. I, 9, 38, Senec. Agamemn. 719. — *Ilia*. Vide III, 3, 32.

63. *Phrygiæ fatum componere;* Phrygiæ parare exitium.

65. *Furor*, hoc est, vaticinus furor, ut loquitur Ovidius, Metam. II, 640. — *Patriæ ac parenti fuit utilis. Fuit;* erat, fuisset. Conf. III, 24, 12: « Hæc ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa Naufragus Ægæa vera *fatebar* aqua; » (non confessus essem.) Virgilius, Æn. II, 55: « Et si fata deum, si mens non læva fuisset, *Impulerat* ferro Argolicas fœdare latebras; » (impulisset.) — *Experta est irrita lingua* (nemini credita) *veros deos;* habuit lingua hæc deos, qui confirmarent monita.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Quæritis, unde avidis*, etc. La Fontaine, *Contes*, (*à Femme avare Galant escroc*):

Qu'un homme soit plumé par des coquettes,
Ce n'est pour faire au miracle crier.
Gratis est mort: plus d'amour sans payer;
En beaux louis se content les fleurettes.

9. *Hæc etiam clausas*, etc. Idem La Fontaine, *Contes*, (*Belphégor*):

Car de trouver une seule rebelle
Ce n'est la mode à gens de qui la main
Par les présens s'aplanit tout chemin.

11. *Matrona incedit*, etc. Puella apud Colardeau, *Pièces fugitives*, (*Lettre de mad**** *à madame l'abbesse de* ***):

Mais moi, moi qui bravai les lois de la pudeur,
Fière de mettre au jour un brillant déshonneur,
Loin de m'envelopper dans une nuit obscure,
Des dons de mes amans je chargeai ma parure.

23. *hic nulla puella Nec fida Evadne*, etc. Voltaire, *Pucelle*, lib. I, ubi quærenti magno Dionysio, quam regni labantis columen faciat, probam unam et integram de Galliis virginem, miles ita:

Chez les Français hélas! il n'en est plus;
Tous nos moutiers sont à sec là-dessus.

25. *Felix agrestum quondam*, etc. BERTIN, *Amours*, III, *élégie* 12 :

Qu'est devenu ce tems, cet heureux age,
Où les mortels n'ayant reçu des cieux
Qu'un champ fertile, un corps laborieux,
Des fruits, des fleurs, et des bois en partage,
Près d'une eau pure, exempts de tristes soins,
A peu de frais contentaient leurs besoins ;
Et deux à deux, sous des toits de feuillage,
Goûtaient en paix de fortunés loisirs,
Pauvres d'argent, et riches de plaisirs !

LE BRUN, *Odes*, III, 1, (*Astrée, ou les Regrets de l'age d'or*) :

Nuls trésors, nuls besoins ; leur richesse était pure :
C'était l'or des moissons, et l'argent des ruisseaux ;
Ils avaient pour lambris des tentes de verdure,
Pour sujets leurs troupeaux.

33. *His tum blanditiis*, etc. COLARDEAU, *première épître à Toi*, de antiquo eodem ævo :

Un baiser quelquefois fut le prix d'une rose ;
Et d'un cœur bien épris l'amour toujours content
Payait d'une faveur le plus mince présent.

LA FARE, *ode première*, edit. 1825, (oblitum nunc fere nomen, aliquando tam laudatum), hominum itidem priscum vitæ genus respiciens :

L'ardeur de leurs plus doux souhaits
Se bornait au bonheur de plaire ;
Leurs plaisirs ne leur coûtaient guère,
Les saisons en fesaient les frais.

35. *Hinnulei pellis totos operibat amantes.* LA FONTAINE, *Contes* (*l'Ermite*), In illa, inquit, prima mundi origine,

Il ne fallait matelas ni linceul,
Même le lit n'était pas nécessaire.

37. *Pinus et incumbens latas circumdabat umbras.* GRESSET, *le Siècle pastoral* :

Leurs toits étaient d'épais feuillages,
L'ombre des saules leurs lambris.

41. *Dique deæque omnes..... verba benigna focis.* VOLTAIRE, *Contes* (*Sésostris*), de Geniis olim custodibus nostris :

Ils conversaient, vivaient avec les hommes
En bons amis, surtout avec les rois.

47. *At nunc desertis cessant sacraria lucis.* GILBERT, *satire II*, etiam ætati suæ vertit crimini

L'athéisme en déserts convertissant nos temples

ELEGIA XIV.

LUDI LACONUM.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
  Sed mage virginei tot bona gymnasii;
Quod non infames exercet corpore ludos
  Inter luctantes nuda puella viros,
Quum pila veloces fallit per brachia jactus,
  Increpat et versi clavis adunca trochi;
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,

1. *Jura*, leges, instituta, *palæstræ tuæ*. — *Mage*. Vide I, 11, 9. — *Virginei gymnasii*. Vide II, 1, 67.

3. *Quod*, etc. Structura est: Quod ludos non infames exercet corpore inter luctantes viros nuda puella, quum pila... quum pulverulenta... quum nunc ligat... quum gyrum... — Paris apud Ovidium Helenæ suæ, Heroidd. XVI, 149: « More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra Ludis, et es nudis femina mixta viris. »

5. *Quum pila*, etc. Impressi libri: « Quum pila *veloci* fallit per brachia *jactu*. » Ita Scaliger *veloci jactu*, id est, « Quum pila per brachia fallit, *quæ velociter jacta est*. » *Jactus* igitur de jaciendi effectu. Quid, si non effectum, sed actum jaciendi hoc vocabulum indicat? Propertius ipse docet II, 34, 60: « Quem tetigit *jactu* certus ad ossa deus. » Quare igitur Codices recte: « Quum pila *velocis* fallit per brachia *jactus*, » *velocis* pro *veloces* ex antiquo scribendi more; quod revocat Lachmannus et explicat: *Pila per brachia*, dum inter brachia vagatur volans, *veloces jactus fallit*, velociter nimis jactantes decipit, in aliam, quam debuit, viam delata. — *Trochus*. De trochi structura atque exercitatione vetus ævum nihil tradit, et habemus solummodo virorum doctorum conjecturas. *Trochus* igitur, ut volunt, orbis æneus cum annexis annulis, sive crepitaculis, quem virga ferrea rotare tinnientem lusus fuerit pueris. *Clavis versi trochi adunca increpat* (quartus casus *adunca*): Aduncos annulos virga increpat dispositos per trochum. Ita Schefferus, de Re Vehicul. I, 6, an satis recte, nescio. Fortasse quidem, diversa constructione, *clavis adunca* erat; sed oritur tum quæstio hæc: cur trochi aduncæ virgæ?

7. *Pulverulentaque*, etc. De cursu hic versus. *Ad extremas metas*, ad metam, absoluto spatio.

Et patitur duro vulnera pancratio;
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat;
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit ære caput:
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turba, lavatur, aquis;
Et modo Taygeti, crines adspersa pruina,
Sectatur patrios per juga longa canes.
Qualis et Eurotæ Pollux et Castor arenis,

11. *Gyrum. Circum* probat Burmannus (*Circum pulsat equis*) ex Latini Latinii variis enotatis lectionibus, qui, ut levis et parum sibi constans est, ad Anthol. Lat. III, 15, 15, *gyros* pro circi spatiis dici, hoc ipso inter exempla subjecto Propertii versu ostendit. Recte igitur libri omnes *Gyrum; pulsare* autem *gyrum equis*, quo plane modo Ovidius, Metam. VI, 486: « Jam labor exiguus Phœbo restabat, *equique Pulsabant* pedibus *spatium* declivis Olympi. » — *Protegit. Prætegit* ex uno Codice dedit Broukhusius, ex altero etiam Burmannus enotat. Sed recte *protegit* scripti cæteri boni omnes, quomodo *protegere ora dextra* apud Ovid. Amorr. I, 14, 52; *protecta capillo tempora* Metam. XII, 273. *Ære cavo*, galea.

13. *Qualis Amazonidum*, etc. Locum hic satis difficilem viri docti ingenio et arte sua magis etiam implexum tradunt. Omitto confusionis historiam nimis longam; ab aliis transpositionem primi distichi; vocabulum falsum non unum ab aliis; et versuum restituto ordine, quem agnoscunt scripti omnes, interpretor cum Lachmanno ita: Propertium de femina Spartana loqui meministi: « Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit, Virgineumque cavo protegit ære caput. » Jam alind narrat, quomodo lavetur: « Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodontiacis turba, lavatur, aquis. » Ita subdistingue. Lavatur puella, ut lavantur in Thermodonte Amazones. Ne te structura orationis moretur, par est Catulli illud, LXIV, 239: « Hæc mandata prius constanti mente tenentem Thesea, *ceu* pulsæ ventorum flamine nubes Aerium nivei montis, *liquere*, cacumen. » In altero districho de venatione agitur: « Et modo Taygeti, crines adspersa pruina, Sectatur patrios per juga longa canes. » *Et modo.* Vide I, 11, 3. *Sectari canes*, ut *sequi* et *agere* apud Ovidium, Metam. III, 228, Heroidd. V, 20. Porro quæ subjecta legimus, non comparationis causa posita sunt, sed exempli. Nam *Qualis* non dicit, sed *Qualis et*, hoc est, Talis etiam: « Qualis et Eurotæ Pollux et Castor arenis, Hic victor pugnis, ille futurus equis;

Hic victor pugnis, ille futurus equis,
Interque hos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triviis ad latus esse suæ;
Nec timor, aut ulla est clausæ tutela puellæ,
Nec gravis austeri pœna cavenda viri.
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis : longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt,

Inter quos Helene nudis capere arma papillis Fertur, nec fratres erubuisse *deos.* » (Ejusdem vitæ, quæ nunc exercet Lacones, dedisse olim Tyndaridas exemplum.) In *Eurotæ arenis Castor et Pollux*, inquit; hoc solummodo; in litore quid fecerint, non addit. Nam venari quidem, quod præcessit proxime, ad Eurotam non potuerunt. Neque hæc debuit esse summa sententiæ, Castorem et Pollucem ita institutos fuisse, sed eos una cum sorore negotia bellica tractare didicisse. Quare, ne hic pendeat constructio, laboret sententia, ita scribimus : « Qualis et Eurotæ Pollux et Castor arenis, Hic victor pugnis, ille futurus equis, *Interque hos* Helene nudis capere arma papillis Fertur, nec fratres erubuisse deos. » *Interque hos* legendum est, non, ut habent libri, *Inter quos*; neve te fallat non ignota nobis licentia pronominis improprie poni soliti in talibus : ea licentia hic omnem sermonis et structuræ vel sic satis licentiosæ ordinem penitus eversura erat. (Habes quæ Lachmannus, docte et vere, opinor.) — *Hic victor*, etc. quorum alter pugnis, alter clarus futurus equis.

22. *In triviis*, palam, publice. — *Suæ*. Vide I, 5, 3.

23. *Timor*. Positum hoc vocabulum, ut III, 12, 17 : « Quid faciet nullo munita puella *timore?* » (mariti præsidio nullo defensa femina?) et II, 23, 14, ubi magis aperto sensu : « Contra, rejecto quæ libera vadit amictu, *Custodum* et nullo sæpta *timore*, placet. » *Timor puellæ* igitur, custodum timor de puella, ut versu 24 *pœna viri*, id est, quam maritus minatur. Vide IV, 1, 116.

25. *Nullo præmisso*, qui te arte sua juvet apud amicam, *de rebus tute loquaris ipse tuis; res* pro amore. *Tute ipse*. Addit vim pronomini syllaba *te*, ut alia *met* : *Tute, tutemet loquaris ipse;* tu ipso ore tuo. — *Longæ nulla repulsa moræ;* etiam post exactas multas horas, abeundi jussum nullum, quod tibi det puella. *Mora*, commorandi actus, commoratio; vide I, 13, 6, III, 6, 26.

27. *Non Tyriæ vestes*, etc. illic non Tyriæ vestes, sub quibus dum latet femina, decipiat nostros cu-

Est neque odoratæ cura molesta comæ.
At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi,
Invenias : cæcum versat amator iter.
Quod si jura fores pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

pide circumerrantes oculos. Ex hoc intellige quod sequitur de Romanis : « *Nec quæ sint facies*, nec quæ sint verba rogandi, *Invenias*. »

29. *At nostra*, puellæ nostræ. — *Angusta via* (primus casus) *non est* (non datur; sic II, 10, 21;) *inseruisse digitum*. Confer III, 1, 14. Tam spissis custodibus incedere Romanas cinctas, ut ne digito per catervam intervallum pateat.

31. *Nec quæ sint facies*, *nec quæ sint verba rogandi*, *Invenias*; res apud nos æque difficilis, dicere quali ore femina sit et invenire quibus verbis declares amorem tuum. — Videtur, ait *Kuinoel*, « hæc elegia scripta esse in Peloponneso, quum iter Athenas Propertius faceret, adeoque post vicesimam primam collocanda, quam, ut jam Broukhusius suspicatus est, Brundusii scriptam fuisse probabile est. » Dicemus nos ad eleg. 21, 1.

IMITATIONES GALLICÆ.

21. *Lex igitur Spartana vetat*, etc. Cf. Colardeau, *première épître à Toi* :

Que vous êtes heureux, amans qui dès l'Aurore
Voyez l'objet aimé, pour le revoir encore !
.....
Libres dans vos plaisirs, libres dans vos amours,
De vos embrassemens rien n'interrompt le cours.

23. *Nec timor, aut ulla est*, etc. La Fontaine, *Contes*, *la Fiancée du roi de Garbe* :

Au reste, en ces pays on vit d'autre façon
Que parmi vous : les belles vont et viennent ;
Point d'eunuques qui les retiennent ;
Les hommes en ces lieux ont tous barbe au menton.

ELEGIA XV.

AD CYNTHIAM.

Sic ego non ullos jam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi!
Ut mihi prætextæ pudor est velatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit heu! nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, quum ducitur annus:
Vix memini nobis verba coisse decem.

1. *Sic.* Particulæ sensum evolvimus : Hoc quomodo verum ac certum est, quod tibi juro, sic ego jam possim tumultus in amore dolere nullos! Elegiæ autem summa hæc : Propertium Lycinna quædam initiavit olim fere puerum amoris gaudiis, quam servam suam Cynthia etiamnum sibi rivalem fingit. Inde iræ, ut solet; cum Propertio bellum; in miseram Lycinnam pœnæ; tum ab ipso Propertio carmen hoc, quo falsam inimicæ linguæ accusationem refutat. — *Tumultus.* Vide not. II, 10, 7. — *Nox vigilanda sine te;* nox amara vidua.

3. *Ut mihi,* etc. Broukhusius, Scaligero auctore : « Ut mihi prætextæ pudor *exvelatus* amictu, » (amictu prætextæ solutus). *Kuinoel*, ex emendatione Guyeti : *pudor est elatus*, (sepultus cum prætextæ amictu pudor). Quarum in altera forma vocabulum est novum nec Latinum *exvelatus;* in altera, *elatum pudorem*, sed et elatum *amictu*, præter Guyetum quis dixit? Lege de scriptura veteri : « Ut mihi prætextæ pudor *est velatus* amictu; » mihi ut prætextæ abiit pudor, superinduto amictu (h. e. virili toga).

5. *Illa Lycinna rudes animos imbuit*, me tironem imbuit peritia sua. *Imbuere*, docere. Plinius, Panegyr. 83 : « Mariti hoc opus, qui ita *imbuit*, ita instituit (Plotinam). » Noster IV, 10, 51 : « *Imbuis* exemplum primus tu, Romule, palmæ hujus; » *imbuis*, instituis, *exemplum*. Ovidius, Trist. III, 11, 52 : « Dixerat (Perillus); at Phalaris : Pœnæ mirandæ repertor, Ipse tuum præsens *imbue*, dixit, opus; » experientia tua tu institue opus tuum. — *Nullis datis. Data*, munera data, ut Ovidius, Metam. VI, 463.

7. *Tertius annus ducitur*, annus discidii tertius. — *Vix memini no-*

Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erat Dirce, tam vero crimine sæva,
Nycteos Antiopen adcubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros ussit regina capillos,

bis verba coisse decem ; ex quo cessavit amor, me cum ea decem locutum verba.

11. *Erat.* Codices : « Testis *erit* Dirce, tam vero crimine sæva, Nycteos Antiopen adcubuisse Lyco. » At porro cujus rei testis Dirce? Hoc sequentia non dicunt. Viri docti igitur aut aliquid excidisse judicant, aut ex elegiæ fine retrahunt distichon 43—44 ita : « At tu non meritam parcas vexare Lycinnam : Nescit vestra ruens ira referre pedem. Testis *erit* Dirce. » Recte quidem ita : « Docebit exemplum Dirces, ves in ira vestra modum etiam excedere. » Sed vide : carminis alteram partem dum transpositione hac meliorem sistere conantur, vitiari alteram non sentiunt. Nam certe sine connexu post narratam Dirces fabulam legimus : « Fabula nulla tuas de nobis concitet aures : Te solam et lignis funeris ustus amem. » Nunc si Livineium et Lachmannum sequimur, una mutata syllaba restituit sensum : « Testis *erat* Dirce, tam vero crimine sæva, Nycteos Antiopen adcubuisse Lyco. » Ne propter hoc tales pœnas sumeres (vs. 43), te Dirce monebat, in vero crimine nimis sæva, quum testis fuit Antiopen Lyco adcubuisse ; Tibi in exemplum, quo velles uti, Dirce testis erat concubuisse cum Lyco Antiopen. Supra, eleg. 7, 21 : « Sunt Agamemnonias *testantia* litora curas; » Lachmanno interprete : « Ut caveas, Agamemnonis dolorem testantur litora. » Eleg. 13, 51 : « Torrida sacrilegum *testantur* limina Brennum; » idem Lachmannus evolvit : « Ne nos auri cupidine sacrilegi esse velimus, Brennum, qui nobis exemplo esse possit, sacrilegum fuisse torrida limina testantur. » — *Antiope Nycteos*, Nyctei Antiope filia, *Lyco*, Thebanorum regi, nupserat. Repudiata mox propter violatam castitatem, filios duos Zethum et Amphionem ex Jove suscipit. Lycus interea *Dircen* habet uxorem novam, sed parum fidus clum redit ad priorem, et legitimo amori miscet criminosum: Hoc audito, Dirce rivali carcerem parat, et in miserum supplicia congerit. Tandem fallit Antiope custodiam suam, et fugit, et montem Cithæronem petit, ubi natos suos, infantes olim expositos, Zethum et Amphionem cum lacrymis implorat. Ac primum Zethus, matre non cognita, fugitivæ negat hospitium. Sed mox per senem pastorem, cujus in tutela orbati parentibus fratres adoleverant, aperit se verum ; ambos injuria matris ad ultionem concitat ; Lycum interficiunt; Dirce tauro indomito alligatur crinibus, et tracta discerpta perit. Mortua, fons in Cithærone fluxit Dircæus. Vide Heyn. ad Apollod. III, 5, 5; Hygin. fab. 7.

13. *Regina*, Dirce. — *Ah quo-*

Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere jussit humo!
Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris;
Vilem jejunæ sæpe negavit aquam.
Juppiter, Antiopæ nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam servire puellam.
Invocet Antiope quem nisi vincta Jovem?
Sola tamen, quæcumque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cithæronis timido pede currit in arces.
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominæ pone venire pedes;

ties pulchros rivalis *suæ capillos usit! Vulsit* reponebat Heinsius; sed *ussit* recte libri omnes. Elegia 8, 7 : « Tu minitare *oculos* subjecta *exurere* flamma. » Tibullus I, 9, 21 : « *Ure* meum potius flamma *caput*, et pete ferro Corpus, et in torto verbere terga seca. »

15. *Famulam*, Antiopen, quam sibi servam fecerat. — *Pensis iniquis;* gravioribus, quæ vix peragere valeret.

17. *Immundis tenebris;* fœdo, immundo carcere.

19. *Habenti tot mala.* Sic Ovidius, Metam. XIII, 497 : « En, ne perdiderim quemquam sine cæde meorum, Tu quoque *vulnus habes;* » Noster mox, vs. 40 : « tibi gloria Dirce Ducitur, in multis *mortem habitura* locis. »

21. *Servire.* Broukhusius ex Groningano Codice et aliis : « Si deus es, tibi turpe tuam *servare* puellam? » (Rem tibi turpem credis, Jupiter, servare velle puellam tuam?) Sed ita quidem inepte addit poeta *Si deus es.* Lege : « Si deus es, tibi turpe, tuam *servire* puellam, » quomodo recte libri cæteri, hos inter Neapolitanus ac Mentelianus. — *Invocet quem nisi vincta Jovem?* vincta illa quem nisi Jovem invocet?

23. *Sola tamen*, auxilio sic nullo. — *Regales manicas; regales*, suas reginæ servæ; nisi malis, Quas ferri regina Dirce jussit; quomodo IV, 7, 65 : « Hæc sua *maternis* queritur livere *catenis* Brachia; » *maternis catenis*, id est, quas matri debitas ipsa tulit (Andromede).

25. *Cithæronis arces*, juga. — *Triste cubile erat sparso gelu*, terra et gelu pro lecto.

27. *Asopus* ex monte Cithærone Thebas præterfluit. — *Dominæ*, Dirces.

Et durum Zethum, et lacrymis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac, veluti magnos quum ponunt æquora motus,
Eurus ubi adverso desinit ire Noto,
Litore sic tacito sonitus rarescit arenæ;
Sic cadit inflexo labsa puella genu.
Sera, tamen pietas, natis est cognitus error.
Digne Jovis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem; puerique trahendam

30. *Abacta mater stabulis suis. Suis*, sibi debitis, ut quæ filiorum essent.

33. *Litore sic tacito.* Scaliger, viris doctis probantibus, *Litore si tacito :* « Ac veluti magnos quum ponunt æquora motus, Eurus in adversos desinit ire Notos, Litore *si* tacito sonitus rarescit arenæ : Sic cadit inflexo labsa puella genu. » (Labitur semianimis Antiope, quomodo residunt fluctus ac sedantur Aquilones.) *Præclara comparatio*, si Barthium audimus, *quæ a re penitus diversa petita sit.* Nempe adeo diversæ res componuntur, ut ne similes quidem omnino sint; nullum, quod logici dicunt, Tertium. Longe prudentius profecto Statius hac imagine utitur Thebaid. I, 479 : « Tunc quoque mulcentem dictis corda aspera regem Jam faciles (ventis ut decertata residunt Æquora, laxatisque diu tamen aura superstes Immoritur velis,) passi subiere Penates. » Quid igitur? Num Propertium hoc Statio pejus egisse dicemus? an potius, spreta Scaligeri et Codicis Groningani auctoritate, cæterorum omnium scripturam sequemur? Ea vero ita habet : « Ac, veluti magnos quum ponunt æquora motus, Eurus in adversos desinit ire Notos. Litore *sic* tacito sonitus rarescit arenæ; Sic cadit inflexo labsa puella genu. » Antiope stabulis Zethi expulsa est. Tum, inquit, veluti solet quum ponit unda æstus suos, concurrere turbato cælo desistunt venti. Sedatis jam Asopi fluctibus, natos mater iterum supplex adit. Particula *sic* (*Sic cadit*), ut I, 22, 6, *Tali rerum statu.* Poterant hæc satis bona videri, nisi Codex noster Neapolitanus nos ad meliorem lectionem duceret, in quo versus 32 scriptus est : « Eurus *sub adverso* desinit ire *notho.* » Repone : « Ac, veluti magnos quum ponunt æquora motus, Eurus *ubi adverso* desinit ire *Noto;* Litore *sic* tacito sonitus rarescit arenæ. Sic cadit inflexo labsa puella genu. » Lachmannus. — Interpretationem nec rejicio nec sequor; hoc unum : si vera est, Propertius tam obscure expressit sententiam, ut pro lectoribus divinandi hominis peritos exspectasse sibi videatur. — *Eurum Noto adversum* intellige luctantem cum Noto. — *Labsa cadit.* Pleonasmus frequens. Vide Propert. IV, 4, 64, Ovid. Heroidd. XX, 208, Virgil. Æneid. VI, 310.

Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Jovem : tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam :
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures :
Te solam et lignis funeris ustus amem.

39. *Tibi gloria Dirce ducitur*, tibi in gloriam. *Ducere*, trahere, ut *ductus unco Sejanus* apud Juvenal. sat. X, 66. — *In multis mortem habitura locis.* Ovidius, Trist. III, 9, 27 : « Atque ita divellit (Medea Absyrtum), divulsaque membra per agros Dissipat, in multis invenienda locis. »

41. *Prata cruentantur Zethi.* Frigide dictum hoc haud dubie *prata Zethi* (Zetho solita), nec mirum, si viri docti correxerint, Heynius, Eldikius, Schraderus, cæteris melius Lachmannus ita : « Prata cruentantur *letho.* » Similis confusio versu 29, ubi *lethum* pro *Zethum* Burmannus ex interpolato libro enotat.

45. *Fabula nulla tuas*, etc. noli tam credula hominum de constantia mea excipere fabulas. — *Te solam et lignis funeris ustus* (vel ustus mortuus) *amem.* Conf. Imit. Gall. ad I, 19, 11. — *Amem*, amabo. Vide not. III, 3, 41.

ELEGIA XVI.

INTER AMOREM ET METUM PROPERTIUS DUBIUS.

Nox media, et dominæ mihi venit epistola nostræ :
Tibure me nulla jussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At, si distulero hæc nostro mandata timore,
Nocturno fletus sævior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum :
In me mansuetas non habet illa manus.

3. *Candida culmina;* intellige turrium. Culmen candidi lapidis procul demonstrat turrim colore suo. De *Tibure* vide supra, II, 32, 5. — *Lympha Aniena.* Vide ad I, 20, 8. *Lympha. Nympha* viri docti ex Codd. aliis præferunt, *lympha* dedit Lachmannus cum Groningano cæterisque complurib us. Hoc verum puto. *Nympham* ipsam fontis non magis suave erat fingere *cadentem* in lacus, quam *crepitantem* per tubos subterraneos II, 32, 15, vel *potam* Pollucis equo III, 22, 26. Statius quidem Silv. I, 3, 73 : « Illis ipse antris *Anienus* fonte relicto, Nocte sub arcana glaucos exutus amictus, Huc illuc fragili prosternit pectora musco, Aut ingens *in stagna cadit*, vitreasque natatu Plaudit aquas; » sed in quibus auctor imaginem *cadentis* dei cum cæteris descriptionis arte jungit, non, ut Noster, hac imagine nude posita significat amnis cursum. Porro *lacus* aut *stagna* sunt fossæ, quæ sive natura sive hominum manu cavatæ amnem de scopulis cadentem accipiunt (Gallice *des bassins*).

6. *In mea membra*, in me. Cf. II, 20, 10.

7. *At, si distulero hæc. At si hæc distulero* libri tum scripti tum editi omnes. Lachmanno detexit Codex suus meliores versus numeros. — *Fletus*, flenda mihi pœna, *sævior hoste nocturno* erit.

10. *In me mansuetas non habet* Cynthia *manus.* Satis discimus

Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes,
Scironis media scilicet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris;
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter; demonstrant astra salebras;
Ipse Amor accensas præcutit ante faces;
Sæva canum rabies morsus avertit hiantes:
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.

ex III, 8, 3—8; IV, 8, 63—66.

11. *Nec tamen est quisquam*, etc. Conf. Tibull. I, 2, 25: « En ego quum tenebris tota vagor anxius urbe, Securum tenebris me facit ipsa Venus; Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro Vulneret, aut rapta præmia veste petat. Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque Qualibet: insidias non timuisse decet. » — *Media scilicet ire via.* Broukhusius et Burmannus de correctione Heinsii: « Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes: Scironis *medias his licet* ire *vias.* » Barthius et *Kuinoel*, scriptis addicentibus duobus non bonis: « Scironis media *sic licet* ire via. » Lege: « Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes; Scironis *media scilicet* ire *via.* » Ita Codices, Neapolitanus, alii, rectissime. Propertium, inquit Lachmannus, « ignorat, qui ei hunc usum infinitivi non concedit. » *Scilicet* autem, ut apud Ovid. Pont. IV, 14, 6: « Ipsâ quoque est invisa salus; suntque ultima vota, Quolibet ex istis *scilicet ire* locis. » — *Scironis via;* quæ ab Isthmo in Atticam. Hac sua sede latro Sciron viatores spoliabat, spoliatos præcipitabat in mare. Victus a Theseo, pœnam scelerum habuit eosdem fluctus. Vide interpp. ad Ovid. Metam. VII, 444.

15. *Luna ministrat iter.* Scriptus liber unus probante Broukhusio: « Luna ministrat *equis;* » cæteri, quorum nos magis persuadet consensus: « Luna ministrat *iter;* demonstrant astra salebras. » *Iter*, facultas itineris. *Ministrare*, ut *præbere* Ovidius, Heroidd. XIII, 129: « Ipse suam non *præbet iter* Neptunus ad urbem. »

18. *Huic generi;* nobis amatoribus.

19. *Sanguine tam parvo*, etc. *Parvus sanguis*, vilis, pretii nullius prædonibus. Notandum erat, quia vir doctus (*Kuinoel*) retulit ad amoris indicia pallorem et maciem. — *Exclusis fit comes ipsa Venus.* Exclusionis mentio nimis inepta, ubi Propertium Cynthia, ut ad se veniat, invitat. Broukhusius corrigit: « *in cursu* fit comes ipsa Venus. » Scribe cum Lachmanno *et cursus:* « Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis Improbus? *et cursus* fit comes ipsa Venus. »

Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet hæc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.
Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit adsiduo tramite vulgus iter!
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotæ cumulis vallatus arenæ.
Non juvat in media nomen habere via.

(Causas duas esse, cur timorem ponat : sanguinem parvum suum, et tutelam Veneris.) — Ovidius, Amorr. I, 6, 9, ubi se quoque de timido virum strenuum factum narrat : « At quondam noctem simulacraque vana timebam ; Mirabar, tenebris si quis iturus erat. Risit, ut audirem, tenera cum matre Cupido, Et leviter, Fies tu quoque fortis, ait. Nec mora, venit Amor : non umbras nocte volantes, Non timeo strictas in mea fata manus. »

21. *Meos casus. Meos cursus* vult Marklandus, alii sententia subversa *Tali pretio* pro *Talis mors*. Nusquam fortasse magis aperte loquitur Noster : Quod si mihi hac nocte casum ultimum destinari mortem certus ero, tam pulchrum obitum velim, nedum pavęam, emere pretio.

23. *Hæc*. Libri tum scripti tum impressi : « Adferet *huc* unguenta mihi ; » duplici manifeste vitio. Nam primum verbo *Adferet* nominativum quærimus Cynthiam ; *huc* autem non afferet illa odores mortuo (*huc*, quo loco nunc Propertius est), sed *illuc*, ad sepulturam per iter. Guyetus bene correxit : « Adferet *hæc* unguenta mihi, sertisque sepulcrum Ornabit. » *Hæc*, Cynthia. — *Unguenta*, odores, qui solemnes in morte. Cf. II, 13, 23, IV, 7, 32. — Cum versibus his 21—24 confer I, 17, 19—24.

28. *Me tegat arborea devia terra coma*. Conf. Chénier, in Imitat. Gall. II, 13, 17. — *Coma* de frondibus arborum, ut II, 19, 12.

29. *Aut humer*, etc. Codices partim : « Aut *humet* ignotæ *tumulus* vallatus arenæ ; » *cumulus* pro *tumulus* in aliis. Sed quia res satis difficilis, *tumulus vallatus* seu *cumulus* quid sit, dicere, melius erit cum Neapolitano cæterisque ita : « Aut *humer* ignotæ *cumulis* vallatus arenæ ; » *vallatus*, protectus, terræ cumulo. — *Nomen*, inscriptum nomen lapidi.

ELEGIA XVII.

AD BACCHUM.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris:
Da mihi bacchato vela secunda, pater.
Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes:
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus ad cælum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, aut tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat utroque meum.

2. *Bacchato. Pacato* cum scriptis multis dedit *Kuinoel*, grammatica pro *mihi pacando*, *ut pacatus fiam*, non magis ferente, quam *habenda* pro *habita* III, 13, 62. Præterea, rapere et impellere *velorum* est, non pacare et moderari. Recte Groning., Mentel., alii: « Da mihi *bacchato* vela secunda, pater. »

3. *Compescere tu potes insanæ Veneris fastus;* quos ego patior, fastus insanæ Veneris.

6. *Vitium.* Vide II, 1, 65.

7. *Te non esse rudem* (amoris rudem) *Ariadna testatur*, quam raptam portarunt lynces tuæ ad cælum. Conf. Ovid. Art. Amat. I, 555 sqq. — *Ad cælum. In cælum* vulgg. impressi; male, quum paulo ante sit *in astris*. Lachmannus ex scriptis bonis omnibus correxit. Hoc autem (Bacchi mollem animum) Ariadna *in astris* docet vecta lyncibus *ad cælum;* dictionis qualia plura apud Nostrum vitia notavimus I, 11, 11. — Conf. Tibull. III, 6: « Candide Liber, ades! sic sit tibi mystica vitis Semper, sic hedera tempora vincta geras. Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem: Sæpe tuo cecidit munere victus amor, etc. »

10. *Aut. Vel* dederunt corrupte editores, *vel tua vina*. Recta lingua *aut* exigit, nec fefellit differentia librarios veteres.

11. *Nox sobria*, quæ Baccho non datur. — *Vacuos amantes*, amantes sine puella sua. — *Utroque*, in contrarias partes.

Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea;
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ, me vigilante, feræ;
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitæ, per te et tua cornua vivam,
Virtutisque tuæ, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Ætnæo fulmine partus,
Indica Nysæis arma fugata choris;
Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplices funera grata greges;
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas

15. *Pangamque ex ordine colles; vitibus* (quod vocabulum præcessit) pangam colles ex ordine.

17. *Dummodo.* Vide not. IV, 1, 49. — *Et nova pressantes inquinet uva pedes.* Quomodo *sordidum calcatis uvis Autumnum* dicit Ovidius, Fast. IV, 897.

19. *Quod superest vitæ, vivam.* Confer I, 4, 4. — *Per te et tua cornua*, per te numenque tuum.

21. *Maternos Ætnæo fulmine partus;* Semelæ matris partum, quum flagravit fulmine. Conf. Ovid. Metam. III, 308 sqq. *Ætnæum fulmen*, Cyclopum sub Ætna opus. — *Indica arma fugata Nysæis choris*, Indiam subactam. *Nysæi chori*, Satyrorum et Silenorum agmen. Ita Bacchum inducit Catullus (de Nupt. Pel. 253) volitantem « Cum thiaso Satyrorum et *Nysigenis* Silenis. » Nysa, urbs et mons apud Indos, Bacchi incunabula.

23. *Vesanumque nova*, etc. Lycurgo, Edonum regi in Thracia, Bacchus propter excisas vites, quas *novas* (munus novum) Thracibus attulerat, tantum injecit furorem, ut et filium occideret, et ipse sibi falce amputaret crura. Vide Heynium ad Apollod. III, 5. Aliter Homerus, Iliad. ζ, 130 sqq. — *Vesanum in vite*, in vitem. Virgilius, Æneid. II, 541: « At non ille.... Achilles *Talis in hoste* fuit Priamo. » Noster mox, eleg. 19, 28: « Victor erat quamvis, *æquus in hoste* fuit. » — *Pentheos in triplices*, etc. Pentheus, Cadmi nepos, quem mater furens Agave cum duabus sororibus Mænadumque turba lacerat, ausum Bacchi numen, quum deus Thebas inviseret, contemnere. Vide interpp. ad Ovid. Metam. III, 511. Meminit iterum Propertius III, 22, 33. — *Funera in triplices greges*, discerptum corpus tria per agmina (quæ ducunt tres efferæ sorores agmina). *Grata* autem *funera*, tibi grata irato deo.

25. *Curvaque Tyrrhenos*, etc. Bacchum nautæ Tyrrheni inven-

In vada pampinea desiluisse rate;
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Lævis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veste fluente pedes.

tum in litore sopitum rapiunt; captivum negant, uti rogat, Naxon devehere. Fit prodigium: per remos, per rudentes serpunt hederæ, corymbis gravantur vela, tum videri tigridum et pantherarum objectæ species, quibus nautæ territi dum se præcipitant, amittunt humanum corpus et tranformantur delphines. Vide Ovid. Metam. III, 597 sqq. — *Desiluisse nautas delphinum corpora*, in corpora delphinum.

27. *Bene olentia flumina.* Scaliger, duabus in unam coactis sententiis: « Et tibi per mediam bene *olenti flumine* Naxon (Unde tuum potant Naxia turba merum) Candida laxatis onerato colla corymbis Cinget Bassaricas Lydia mitra comas; » Te per mediam Naxon bene olenti flumine referam (adventum tuum in insulam), cui de collo pendebunt corymbi et cinget comas mitra Lydia. Sed et hic ne dubitemus, quin recte Codices consensu ferant: « Et tibi per mediam bene *olentia flumina* Naxon. » Baccho per mediam Naxon bene olentia esse flumina dicturum se promittit: vini fontes intellige, quos, quæcumque loca deus inviseret, e terra scaturientes poetæ finxerunt. — *Turba potant*, plurali numero, ut passim Ovidius; Fast. III, 582, Heroidd. XII, 143, etc. — *Comas Bassaricas;* id est, *tuas, Bassareu:* « Tibi onerato laxatis corymbis colla, Bassareu, Lydia mitra circumcinget comas. » Nomen ex epitheto; Bacchus Bassareus ex capillis ejus Bassaricis. Sic III, 22, 13: « Qua rudis *Argoa* natat inter saxa *columba* In faciem proræ *pinus* adacta novæ; » pinus Argo cum columba. IV, 6, 49: « Quodque vehunt proræ *Centaurica saxa minantes;* » minantes Centauros saxa. Βασσαρίς autem, *vulpes* lingua Thracia vel Afra, unde Bassareus dictus Liber, cui pro veste pellis etiam vulpium.

33. *Mollia tympana*, et versu 36 *cymbala rauca*. Duo vocabula inverso loco esse posita Burmannus vidit, quocum lege: « Mollia Dircææ pulsabunt *cymbala* Thebæ; » et « Tundet ad Idæos *tympana* rauca choros. » Lachmanni notata docte confirmant: Sane, inquit, et Cybelæ et Bacchi sacris cymbala pariter ac tympana conveniunt. Sed quomodo *mollia tympana*, quæ Lucretius *tonare* dicit, *reboare* et *remugire* Catullus? Quomodo *cymbala rauca*, quæ acutum edebant sonum, et, ut idem Catullus ait, *recrepabant?* Quanto igitur rectius *rauca tympana*, ut apud Ovidium in Ibide, vs. 458, et Metam. IV, 391. Quanto aptius *mollia cymbala*, de quibus Catul-

Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ;
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Hæc ego, non humili, referam, memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

lus LXIV, 263: « Aut tereti *tenues tinnitus* ære ciebant. » — *Dircææ Thebæ.* Dirces lege fabulam supra eleg. 15, 12. Thebas autem hic, Bacchi in triumpho, Propertius nominat, ejus adventum in urbem significans, quum attulit deus Thebanis sacra sua. Vide not. ad vs. 24. — *Calamus hians; hians*, de septem foratis cannis.

35. *Vertice* (capite) *turrigero Cybebe;* quæ hoc sensu est *turrita dea* IV, 11, 52. — *Juxta.* Juxta Bacchum Cybele, quippe quam eadem fere celebrarent orgia. — *Idæi chori*, Corybantes in Ida.

37. *Crater antistitis*, sacerdotis, *auro*, ex auro. — Bacchi laudes vide apud Horatium et Ovidium, Carm. II, 19, Metam. IV, 17 sqq. Conf. *André* Chénier in idyllio, cui Bacchi nomen titulus; J. B. Rousseau, *Cantate IX.*

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Nunc, o Bacche, tuis*, etc. *André* Chénier, *élégie XXII:*

Reste, reste avec nous, o père des bons vins,
Dieu propice, o Bacchus! toi, dont les flots divins
Versent le doux oubli de ces maux qu'on adore;
Toi, devant qui l'amour s'enfuit et s'évapore,
Comme de ce cristal aux mobiles éclairs
Tes esprits odorans s'exhalent dans les airs.

Parny, lib. II, *la Rechute:*

Bouteille longtems négligée,
Remplace chez moi les amours,
Et distrais mon ame affligée.
Buvons, o mes amis, buvons:
C'est le seul plaisir sans mélange,
Il est de toutes les saisons;
Lui seul nous console et nous venge
Des maîtresses que nous perdons.

ELEGIA XVIII.

MARCELLI OBITUS.

Clausus ab umbroso qua ludit pontus Averno,
  Fumida Baiarum stagna tepentis aquæ,
Qua jacet et Trojæ tubicen Misenus arena,
  Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi, mortalis dextra quum quæreret urbes,
  Cymbala Thebano concrepuere deo;
At nunc invisæ magno cum crimine Baiæ,
  Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas,

1. *Ludit.* Errorem Burmanni ante omnia notabimus, quo *pontum ludere* (alludere) *Baiarum stagna* accipit. Oram aliquam recte alluunt fluctus, non fluctus stagna, hoc est, fluctus undam. Scilicet virum doctum decepit loci structura, quæ si restituitur, res in altero versu diversa erit, diversa in altero: « Pontus qua ludit ab Averno clausus, stagna vos Baiarum tepida, Misenus tubicen qua jacet sepultus, qua sonat Herculea via, hic ubi Thebano deo concrepuere cymbala; Baiæ, sed vos invisæ nunc, quis deus hostis aqua vestra constitit? » — *Clausus ab Averno pontus*, immissum mare in Lucrinum et Avernum lacum, de quo Augusti opere vide Heyn. ad Virgil. Georg. II, 161. *Avernus* autem *umbrosus*, cum umbrosis arboribus. — *Baiarum stagna tepentis aquæ... Misenus... Herculeo labore structa via.* Conf. I, 11, 1 sqq. — *Sonat via;* non, ut viris doctis placet, *equorum pedibus*, neque enim omittere talia scriptores solent (vide modo Nostrum IV, 8, 60: « Omnis et *insana semita nocte sonat* »); sed *structa sonat Herculeo labore*, hoc est, sonuit; conf. III, 22, 13. — *Hic, ubi*, etc. hic, ubi ejusdem Herculis res gestas celebrarunt cymbala; (debellatas Campaniæ gentes et captum oppidum, cui nomen a victore inditum Herculanii, significat; vide Servium ad Virgil. Æneid. VII, 662, Cluver. Ital. Ant. IV, 3.) *Thebanus deus*, Hercules, magno in honore apud Thebanos. *Mortalis dextra quum quæreret urbes. Mortalis*, qui mortalis adhuc, nondum erat deus. *Mortales urbes* habent scripti Codices perperam; Guyetus correxit. *Urbes dextra quærere*, vi petere. Sic *quæsitas* bis sibi *boves* suas dicit ipse Hercules IV, 9, 18.

9. *His pressus; his* Baianis aquis.

Errat et in vestro, spiritus, Ille, lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, et amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus:
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.

— *Ille.* Marcelli expressum nomen quum nusquam elegia referat, Guyetus lacunam notat hic esse. Scilicet versiculum olim viri docti sine distinctione legebant: *Errat et in vestro spiritus ille lacu.* Sed scribe nunc cum Lachmanno, *spiritus, Ille; Ille* Marcellus ipse erit, qui supervolat spiritus Baianum sinum. Quamquam fortasse, vel si omittatur distinctio, participium *pressus* non nimis incommode accipiemus *ille pressus* ex sequentibus vocabulis *spiritus ille.* Vide quæ de talibus notavimus III, 8, 1. — *Pressus* Baianis aquis Marcellus, *submersus* Baiano in sinu. Scaligero interprete, unum quidem ex auctoribus esse Propertium, qui de re tam gravi ita scripserit; sed in hoc docere nos aulam Dionem, quum (lib. LIII, 30) sublatum Marcellum ægrotantem narrat, cui præscripserit medicus Augusti Antonius Musa frigidas post balneum lotiones. Scilicet de publico rumore jussisse Liviam hoc scelus; inde igitur, ut solet, silentium aut mendacium adulatio in aulam; inde Propertius falsus, ut suo se dignum poetæ nomine gereret. Haud dubie prima specie ita placet, nec miror, si viri docti consensu admiserint. Sed ubi nunc magis attendo, parum mihi probabile videtur, Propertium, vel poetam, tam impudenter ausum esse fidem facti fallere, qui raptum fingeret Marcellum morte, de qua nihil omnino apud scriptores alios, ne vagus rumor quidem; ideo *pressum aquis* interpretor non *submersum dum lavatur*, sed *interemtum, necatum* frigidis lotionibus sive poculis, quæ de consilio necne sceleris Musa præscripserat, nam suspiciones in Liviam ubi refert Dio (LIII, 33), non confirmat.

11. *Quid genus*, etc. Ovidius, Amorr. III, 9, 19, de Tibullo mortuo: « Scilicet omne sacrum Mors importuna profanat; Omnibus obscuras injicit illa manus. Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo? Carmine quid victas obstupuisse feras? » — *Amplexum.* Scaliger ex libri sui corrupta scriptura, in quo erat *amplexos focos:* « et *amplexo* Cæsaris esse focos; » eleganti, quem vocant, Græcismo. Nos rectum et satis elegans habebimus id, quod universi tuentur Codices, *amplexum.* Quod factum ipsum attinet, Marcellum adoptatum ab Augusto intelligis, et desponsatum Juliæ.

13. *Vela theatro fluitantia;* quibus theatra contra solis ardorem obumbrari Marcellus ædilis jusserat. De velis theatri vide interpp. ad Plin. Hist. Nat. XIX, 1 (al. 6). — *Et omnia gesta* (quæ gessit) *per maternas manus.* Octaviæ matri Marcellum, quum valetudo eum a

I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent;
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis : ignibus usta dabis.
Sed tamen hoc omnes; hoc primus et ultimus ordo :
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla;
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et ære :
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

rebus publicis abstraheret, administrandum tradidisse munus suum Plutarchus docet.

18. *Stantia in plausum theatra;* spectatores consurgentes in plausum et adstantes tibi.

19. *Attalicas vestes.* Vide II, 32, 12. In magnis ludis, inquit, suspensa aulæa fastum regalem superent, et omnia sint gemmea (*gemmea*, lauta et splendida, sensu quo *aureus* II, 31, 1; sed et *gemmeum* ita Martialis usurpat, epigr. VI, 47, 2 : « Nympha, mei Stellæ quæ fonte domestica puro Laberis, et domini *gemmea tecta* subis. » *Rumor gemmeus* pro felici, epigr. X, 3, 10 : « Procul a libellis nigra sit meis fama, Quos *rumor* alba *gemmeus* vehit penna. ») : hæc omnia, sint quantacumque, *dabis usta ignibus.*

21. *Hoc. Huc* habent impressi, « Sed tamen *huc* omnes, *huc* primus et ultimus ordo » (*huc*, ad mortem, tendimus omne humanum genus, ellipsi satis libera); *hoc* priore in hemistichio scripti, si non omnes, plerique, certe Groninganus et Neapolitanus, quos sequimur : « Sed tamen *hoc* omnes » (*hoc* omnes facimus; nostra damus omnes rogalibus flammis); porro, sequentia ut coeant, iterum *hoc* cum Lachmanno scribimus : « *hoc* primus et ultimus ordo. » — *Primus et ultimus ordo*, patricius et plebeius; potentes ac tenues. — *Ista via.* Vide II, 13, 40. — *Terenda via est.* Omissum *est* in impressis Codices fere consensu agnoscunt. Vide not. II, 6, 15. Objici poterit repetitio substantivi verbi; sed vide Nostrum II, 22, 38—40, II, 24, 17—20, II, 26, 55—58, II, 28, 48—51, IV, 11, 43—45. — Horatius ita, Carm. II, 3, 21 : « Divesne prisco natus ab Inacho, Nil interest, an pauper et infima De gente sub divo moreris, Victima nil miserantis Orci. »

24. *Scandenda est*, etc. Ovidius, Consol. ad Liv. 357 : « Fata manent omnes; omnes exspectat avarus Portitor, et turbæ vix satis una ratis. Tendimus huc omnes; metam properamus ad unam; Omnia sub leges Mors vocat atra suas. » Cf. Imit. Gall. II, 28, 58.

25. *Ille* (ille, quemcumque voles) *ferro et ære se condat, licet:* (respicit ad cataphractos, de quibus eleg. 12, 12) : *Mors tamen inde protrahit inclusum caput.* Sic Lepidus consul in orat. apud Sal-

Nirea non facies, non vis exemit Achillen,
Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridæ magno quum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,

lustium (Fragm. pag. 353 ed. *Burnouf*) : « Estne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam aut mori per virtutem, quoniam quidem unum omnibus finem natura, vel ferro sæptis, statuit...? »

27. *Nirea non exemit facies;* Nirea Naxium, tam venusto ore inter Græcos. Vide Homer. Il. β, 673. — *Crœsum aut, Pactoli*, etc. Conf. Imitat. Gall. III, 5, 13.

29. *Hic olim*, etc. Structuram viris doctis non intellectam recte aperit Lachmannus : « Hic luctus Achivos olim *luctûs* ignaros populavit (repetito vocabulo), quum iis (Achivis ipsis) Atridæ amor magno stetit (tanto damno fuit). » *Atridæ alter amor*, Chryseis, Achivis pestilentiæ causa apud Homer. Il. α, 8 sqq. *Altera* hæc; non post Argynnum puerum memoratum eleg. 7, 22 (quæ nimis levis res in vita Agamemnonis), sed magis, quam præcessit Clytæmnestra; nisi fortasse videbitur ineptum sic referre amores per numeros, primum Clytæmnestram, alterum Chryseida, tertium Cassandram, etc. quod Lachmannus quidem rejicit, versiculum corrigens : « Atridæ magno quum stetit *altus* amor. » *Altum amorem* ita Catullus, Carm. LXVIII, 117.

31. *At tibi*, etc. Confusa et absurda hic omnia apud Codices : « At *tibi*, nauta, pias hominum qui trajicis umbras, *Huc animæ portent* corpus inane *tuæ*, *Qua* Siculæ victor telluris Claudius, et *qua* Cæsar ab humana cessit *in astra* via; » (Tibi, nauta, huc animæ tuæ corpus inane portent, qua Claudius et Cæsar in astra cesserunt.) Scilicet *animæ tuæ*, spiritus hominum post mortem. Recte : sed animæ istæ quomodo corpus ad Charontem portabunt? nam agere illas quidem remis infernam cymbam discimus (vide II, 27, 13), non transferre ex superis locis corpora. Tum vide : Marcellum defunctum portabunt Charonti *huc, qua Claudius et Cæsar in astra conscenderunt?* Non miraris novum iter, ire ad astra per inferos? Hoc certe viri docti, ut animo sunt facili, rem probatam et receptam judicant, dum cætera varie conantur ingenio meliora sistere; *Kuinoel* ita : « At *tibi*, nauta,... Huc animæ *portes* corpus inane *suæ*, Qua Siculæ victor telluris Claudius, et qua Cæsar ab humana cessit in astra via; » (cælum commixtum inferis; pronomen *tibi* redundare interpretatio docet, nos, quod orationis leges exigunt, cum *portes* jungimus, sensu nullo aut absurdo); Marklandus : « At *tu*, nauta,.... Huc animæ *portes* corpus inane *suæ*, Qua Siculæ victor telluris Claudius...; » et Burmannus, quem partim hujus ipsius Marklandi, partim Heinsii temeritas divagantem abripit : « At *tu*, nauta,... *Duc* animæ, *Porthmeu*, corpus inane *suæ*, Qua... » Tria

Hoc animæ portent corpus inane suæ :
Qua Siculæ victor telluris Claudius, et qua
Cæsar, ab humana cessit in astra via.

commenta, ut vides, si veri speciem quærimus, pariter rejicienda. Porro, quæ cæteros deserit, ratio Lachmannum sequitur scribentem : « At tibi, nauta,.... *Hoc* animæ portent corpus inane *suæ*. Qua Siculæ victor telluris Claudius, et qua Cæsar, ab humana cessit in astra via. » *Animæ suæ* pro *tuæ* diu est, quum viri docti scribendum intellexere ; sed *Hoc corpus* lege pro *Huc portent*, tum interpunctione disjunge posterius distichon. Lachmanni ipsius verbis utor : « Hoc animæ inane Marcelli corpus inferis mandari jubet : cæterum, ipsum vel animam ejus pariter, ac veterem illum Marcellum avum et Cæsarem, in astra abiisse. Corpus lecto funebri ad Charontem portari vult, familiari sibi, ut IV, 11, 8, videbimus, sepulcri cum inferis confusione. *Corpus inane animæ* habes apud Ovid. Metam. II, 611, XIII, 488. » — *Portent tibi.* Vide IV, 11, 102. — *Anima sua*, ejus (Marcelli) anima ; *suus*, ut III, 12, 18. — *Claudius ;* M. Claudius Marcellus, cui Syracusæ captæ totam Siciliam tradiderunt.

IMITATIONES GALLICÆ.

11. *Quid genus, aut virtus*, etc. Lyricus Rousseau, *Odes*, II, 10 :

Conti n'est plus, ô ciel ! Ses vertus, son courage,
La sublime valeur, le zèle pour son roi,
N'ont pu le garantir, au milieu de son age,
De la commune loi.

16. *Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.... At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras, Hoc animæ portent corpus inane suæ* (vss. 31—32). Idem Rousseau :

Il n'est plus ; et les dieux, en des tems si funestes,
N'ont fait que le montrer aux regards des mortels.
Soumettons-nous : allons porter ces tristes restes
Au pied de leurs autels.

21. *Sed tamen hoc omnes*, etc. Voltaire, *Discours premier*, (*de l'Égalité des conditions*) :

Et le riche et le pauvre, et le faible et le fort,
Vont tous également des douleurs à la mort.

Quinault, *tragédie lyrique d'Alceste*, act. IV, sc. 3, ubi chorus infernus :

Tout mortel doit ici paraître ;
On ne peut naître
Que pour mourir, etc.

ELEGIA XIX.

AD CYNTHIAM.

Objicitur toties a te mihi nostra libido :
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contemti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput;
Et placidum Syrtes portum, et bona litora nautis
Præbeat hospitio sæva Malea suo;
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.
Testis, Cretæi fastus quæ passa juvenci
Induit abiegnæ cornua falsa bovis;
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,

1. *Nostra libido.* Viros poeta adversus Cynthiam ac feminas defendit. — Confer Ovidium, Art. Amat. I : « Parcior in nobis nec tam furiosa libido; Legitimum finem flamma virilis habet. Byblida quid referam, etc. » (verss. 281—342.)

4. *Habere captæ mentis modum;* hoc est, modum in capta mente (insania).

5. *Sedetur.* Libri consensu agnoscunt. Unus *sedaret* (sedaretur) ex quo Broukhusius correxit. — *Sedetur.... Præbeat.* Vide notata III, 3, 41.

7. *Syrtes.* Vide II, 9, 33. — *Malea*, Laconiæ promontorium, undis sequacibus, ut cum Virgilio loquar, Æneid. V, 193. — Seneca, Hippol. vs. 568 : « Ignibus junges aquas, Et amica ratibus ante promittet vada Incerta Syrtis, ... Quam, etc. »

9. *Cursus vestros reprehendere*, retrahere impetum vestrum. Sic *reprehendere elabsa verba* Ovidius, Heroidd. XI, 53. Noster III, 15, 44 : « Nescit vestra ruens ira *referre pedem.* » — *Rapidæ nequitiæ.* Dousa mutavit in *rabidæ.* Sed fortasse, uti Lachmannus notat, nimis hoc loco vehemens est.

11. *Testis, Cretæi*, etc. Pasiphae testis, quæ vacca lignea tauro suo fruitur. — *Induit bovis cornua.* Vide I, 3, 20.

13. *Salmonis*, Tyro, Salmonei

Quæ voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novæ.
Nam quid Medeæ referam quo tempore matris
Iram natorum cæde piavit Amor?
Quidve Clytæmnestra, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus;

filia, de qua I, 13, 21. — *Tota.* Vide III, 13, 35.

16. *Myrrha;* quæ, ut nefandum amorem expleat, Cinyræ patris lectum incesto polluit. Mutata in arborem myrrham. Cf. Ovid. Metam. X, 298 sqq. — *Crimen et illa fuit* (scelesta et illa). Substantivus adjective positus, ut I, 13, 9 : « *Hæc erit* illarum contemti *pœna* doloris; » (hæc puella tibi pœna.) I, 18, 15 : « Non ita sæva tamen venerit ira mea, Ut tibi *sim* merito semper *furor;* » (ut, quod mereris, in te semper cum furore invehar.) III, 7, 28 : « Et quoties Pæti transibit nauta sepulcrum, Dicat, Et audaci *tu timor esse* potes! » (timoris causa.) III, 25, 1 : « *Risus eram* positis inter convivia mensis; » (risus ego, hoc est, qui moverem risum.) IV, 1, 81 : « Nunc *pretium* fecere *deos*, et fallitur auro Juppiter; » (ad quem versum notata vide.) IV, 4, 69 : « Nam *Vesta*, Iliacæ felix *tutela* favillæ, Culpam alit; » (Vesta custos.) IV, 8, 3 : « *Lanuvium* annosi vetus *est tutela* draconis; » (in custodia draconis; nam *tutela* pariter activo et passivo sensu; id, quod custodit, aut custoditur : vide Burmannum.) IV, 11, 43 : « Non *fuit* exuviis tantis *Cornelia damnum;* » (damno tantis exuviis.)

17. *Nam quid*, etc. Locus vulgo scriptus ita : « Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris Iram natorum cæde piavit amor? Quidve *Clytæmnestræ*, propter quam tota Mycenis Infamis stupro stat Pelopea domus? Tuque o Minoa venum data, Scylla, figura, Tondens purpurea regna paterna coma. » Hoc est, Medeæ et Clytæmnestræ crimen, si, quod fieri nullo modo potest, vocabulum *crimen* retrahimus ex versu 15. Præterea sequentia non coeunt : « Quid Medeæ facinus aut Clytæmnestræ referam? *Tuque, o Scylla, Minois figura capta es.* » Sed viri docti numquam de se desperant, et quia præcessit *infamis stupro domus*, *infamem* hic Scyllam *Kuinoel* iterum subintelligit. Scribe, sublata post *referam* distinctione, pro *Clytæmnestræ*, quod præcedens *Medeæ* suadere librariis potuit, *Clytæmnestra* cum Lachmanno; orationi structura sua redit et facilis sensus : « Quid referam, quo tempore Amor Medeam in cædem natorum impulit? Quidve Clytæmnestra dicatur, quid tu, o Scylla, narreris? — *Nam quid.* Vide III, 11, 27. — *Natorum cædes;* quos ex Jasone tulerat, Medea, perfidus Jason quum nupsisset Creusæ, interfecit. Ovidius, Trist. II, 387 : « Tingeret ut

Tuque o Minoa venum data, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma?
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptæ, felicius urite tædas:
Pendet Cretæa tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.
Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.

ferrum natorum sanguine mater,
Concitus a læso fecit amore dolor. »
— *Stat.* Vide II, 9, 30. — *Scylla.* Hæc apud Megarenses, dum Minos instat bello, turpiter capta hostis facie, ad illum fugit cum patris Nisi secto capillo purpureo, in quo sors regni posita. Vide Ovid. Metam. VIII, 1 sqq. — *Tondere regnum purpurea coma*, excidere, crine secto purpureo.

26. *Pendet Cretæa rate tracta puella.* Proditionis tantum crimen Minos ipse non tulit, et quum in patriam rediret, Scyllam navi suspensam perire tractam per undas jussit. Post mortem avis facta ciris. Vide Heynium ad Cirin Virgilii.

28. *Æquus in hoste fuit.* Quomodo Tatius libro IV, 4, 89, Tarpeiæ *sceleri, non dedisse honorem* dicitur. — *Æquus in hoste.* Vide III, 17, 23.

ELEGIA XX.

AD CYNTHIAM.

Credis eum jam posse tuæ meminisse figuræ,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
Tantisne in lacrymis Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba.

1. *Eum.* Siccine speras credula? fidem servare volet ingratus, qui lecto tuo navem et mare prætulit?

3. *Lucro mutare puellam;* posthabita puella lucrum sequi. — Tibullus I, 2, 67: « Ferreus ille fuit, qui, te quum posset habere, Maluerit prædas stultus et arma sequi. » — * *Tantisne...?* * In hoc, quid poeta voluerit, facile percipimus; quid vere scripserit, incertissimum est. Gronovius corrigit: « *Tantine* in *lucris* Africa tota fuit? » Broukhusius et Marklandus: « *Tantine, ut lacrymes,* Africa tota fuit? » sed quorum ille dum frigide et insuaviter *lucrum* iterat ex versu tertio, aliorum in se profecto mens erat facilis, quibus nihil afferret incommodi barbara vox *lacrymes.* Vide, an magis probare velis id, quod Lachmannus conjectura libera: « Tantisne in lacrymis Africa *grata* fuit? » (grata infido amatori Africa;) an mecum scribere ita: « Durus, qui lucro potuit mutare puellam! *Tantine* in lacrymis Africa tota *tuis?* » (Tanti fuisse in lacrymis tuis, quas habet opes omnis Africa?)

5. *At tu*, etc. Interpretes, ut cum cæteris hic versus coeat, *fingis deos* ita capiunt: Persuades tibi, illum deos timere, quos fallere numquam audeat; vel ita: Deos tu tibi fingis, perfidiæ ultores, servaturos tibi illum constantem et fidelem. Mire profecto loquitur Propertius, si pro his dixit *tu fingis deos.* At quid tum porro illud alterum erit, *tu fingis inania verba?* Broukhusius exponit: Tu inania ejus verba pondus aliquod habitura reputas. Sed id quidem *verba fingere* non dicimus, quod est mentiri. Infidus amator *verba finxerat,* non puella simplex et stulta. Vir doctus (*Kuinoel*), non monito lectore, distinctionem mutavit: « At tu, stulta, deos tu fingis, inania verba; » ut dii, puto, inania verba esse dicerentur. Sed illud duplex *tu* quidem, præter cætera, quid sibi velit, non percipio. Repone: « At tu, stulta, deos, tu fingis inania *vera?* Forsitan ille alio pectus amore terit. » Sensus: Tune fingis tibi veros deos esse, quos ille amoris testes fecerit? tune illa inania promissa vera esse tibi persuades? Forsitan ille

Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo:
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero: in nostros curre, puella, toros.

* * *

Tu quoque, qui æstivos spatiosius exigis ignes,
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.

jam alius puellæ amplexu fruitur. *Deos* fingis veros esse, hoc est, ea quæ diis testibus pollicitus est. Ovidius, Rem. Amor. 687: « At tu nec voces (quid enim fallacias illis?) Crede, nec æternos *pondus habere deos.* » Lachmannus. — Egregie ac certe; *vera* ego pro *verba* cur non admiserim in contextu, nescio. Cæterum locutionem hanc *veros deos* poterat Lachmannus ex ipso Propertio firmare III, 13, 66, ubi de Cassandra diu non credita: « Experta est *veros* irrita lingua *deos.* » — *Pectus alio amore terit*, apud aliam pectus premit pectore. *Terere pectus*, ut *ossa* amantis post mortem vult Cynthia *terere ossibus* suis IV, 7, 94.

7. *Est tibi forma potens. Cynthiam* ipsam *potentem formam* dicit II, 5, 28. — *Sunt castæ Palladis artes.* Conf. I, 2, 27—30. — *Avo. Avum* Cynthiæ dicit Hostium, de quo vide I, 1, 1.

9. *Amicus.* Vide I, 13, 12. — *Toros. Sinus* dedit ex libris duobus Broukhusius; recte haud dubie; sed itidem rectum id, quod habent cæteri meliores consensu, *in nostros toros.*

11. *Tu quoque*, etc. Etsi veteres librarios differentia fefellit, nullum hic vestigium indolis, qua scripta erant quinque priora disticha. Scaligero auctore, quæ male in unum cohærentia attulerant Codices, editores disjunxere; sed ne sic quidem confusio plane discussa. Quid enim hoc, « Tu *quoque*, Phœbe, » initio carminis? Lege, partim cum eodem Scaligero, partim cum Lachmanno transpositis inter se distichis: « Nox mihi prima venit: primæ *date* tempora noctis; Longius in primo, Luna, morare toro, *Tuque o*, qui æstivos spatiosius exigis ignes, Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter. Quam multæ ante meis *cedent* sermonibus horæ, Dulcia quam nobis concitet arma Venus! Fœdera sunt ponenda prius, signandaque jura, Et scribenda mihi lex in amore novo. Hæc Amor ipse suo constringet pignora signo; Testis sidereæ tota corona deæ. Namque, ubi non certo, etc. » — *Date.* Otiosa repetitio in vulgatis: « Nox mihi prima venit, primæ *data* tempora noctis; » (tempora primæ noctis sunt data; ne quis accipiat duobus commixtis versibus: *Longius morare, Luna, primæ noctis tempora.*) Ve-

Nox mihi prima venit : primæ date tempora noctis ;
Longius in primo, Luna, morare toro.
Fœdera sunt ponenda prius, signandaque jura,
Et scribenda mihi lex in amore novo.
Hæc Amor ipse suo constringet pignora signo ;
Testis sidereæ tota corona deæ.
Quam multæ ante meis cedent sermonibus horæ,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus !
Namque, ubi non certo vincitur fœdere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda deos,

rum est, quod Lachmannus reposuit, *date* ex Neapolitano et aliis multis. *Date*, vos Lunâ et Sol, *primæ noctis tempora*, ut apud Valer. Flacc. II, 324 : « *Venus* ipsa volens *dat tempora jungi*, Dum vires utero, maternaque sufficit ætas. » — *Tu quoque qui* ferri non poterat. *Tuque o* dedit idem Lachmannus, quod vix differt in libris. Confusio similis II, 33, 31, ubi *Tuque o* alii, alii *Tu quoque* vel *Tu quoque o*. — *Moraturæ lucis iter*, quæ mihi tardius ire videbitur. — *Quam multæ horæ cedent sermonibus meis !* Scilicet apud Cynthiam hoc scribere carmen Propertius videtur. Sermones autem suos, quibus horas et impatientiam amoris fallat, statim subjicit : *Fœdera sunt ponenda prius*, etc. — *Arma*. Vide I, 3, 16. — *Signandaque jura. Signare*, sigillare, ut mox Amoris *signum*. — *Corona* (cœtus) *sidereæ deæ. Sideream deam* pro Luna male accipiunt, quæ Nox est in cœtu siderum. Tibullus II, 1, 87 : « jam *Nox* jungit equos, currumque *sequuntur* Matris lascivo *sidera* fulva *choro*. » — Scilicet, in posterioribus his distichon *Quam multæ ante meis* Lachmannus trajiciendum esse vidit, quod ut sentias quam recte, dabimus ex versuum vulgari ordine cum viris doctis orationis compositionem : « Fœdera sunt ponenda prius, signandaque jura, Et scribenda mihi lex in amore novo (Hæc Amor ipse suo constringet pignora signo ; *Testes* sidereæ tota corona deæ), Quam multæ ante meis *cedant* sermonibus horæ, Dulcia quam nobis concitet arma Venus. » Audin? velle eum ponere cum puella legem, quæ definiat, in quot horas trahentur sermones ante lecti gaudia ; hujus fœderis Amorem deum fore testem et sidera. Porro, non audis ita frigidam ineptiam? Sed alia res est, præter sententiæ vitium, quæ refellit interpretes : scriptura ipsa Codicum, in quibus *cedent* futuro tempore, non *cedant*, legitur. *Testis* autem *corona* habent iidem scripti veteres ; impressi *Testes*, quod postea repositum elegantiæ studio.

22. *Non habet ultores deos nox vigilanda ;* hoc est, amor, cui flenda aliqua perfidia per amaras no-

Et quibus imposuit, solvit mox vincla, libido :
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo, qui pactas in fœdera ruperit aras,
Pollueritque novo sacra marita toro,
Illi sint, quicumque solent, in amore dolores,
Et caput argutæ præbeat historiæ :
Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ;
Semper amet, fructu semper amoris egens.

ctes. — *Et quibus*, etc. et quos libido conjunxit, non sanctus amor, eadem illos brevi disjungit. — *Omina prima*. Res nota, cum auspiciis celebrari nuptias. Hinc *omen* pro conjugio (vide Claudianum, in Rufin. II, 96 : « Hic domus, hic thalamis *primum* genialibus *omen*, Hic tibi felices erexit regia tædas. » Vide etiam Virgil. Æneid. I, 346.), apud Nostrum pro amore, confusione non nova legitimæ tædæ cum illegitima : sic *marita sacra* dicit versu 26, *nubere* II, 6, 26.

25. *Pactas*. Corrigunt editores *tactas* : « Ergo, qui *tactas* in fœdera ruperit aras. » Scilicet, non viderunt *aras* hoc versu figurate dici. *Pactæ aræ in fœdera* sunt quasi *aræ pacti fœderis; rumpere* autem *aras pacti fœderis*, hoc est, pactum fœdus ante aras, quo fere modo *percutere lyræ carmen* II, 1, 9, quod est *lyram carminis* (vide interpretationem ad II, 10, 23).

28. *Et præbeat caput argutæ historiæ*, risum se factum vulgi sentiat cum suis novis ignibus. *Arguta historia*, ut *argutus dolor* I, 18, 26.

29. *Nec flenti*, misero flenti et excluso, etc. — *Amoris fructus*. Vide II, 1, 48. — Ut sequamur ordinem, quem sensus indicat, ponemus elegiam hanc inter primas ad Cynthiam; sed disce et hic puellæ mores, disce, quam sibi fecerat, constantiæ famam, vide Propertium amatum et amantem : *Nox mihi prima venit*, exclamat victor; et in ipsa victoriæ hora, quum possidet quod omni modo quæsivit, quod iucassum rogavit diu; de sua aut amicæ dubia fide cogitat! jam timet, jam indicit leges, ne pactum amorem alteruter lædat! Vide, quam diverso spiritu juvenis apud Rousseau primæ noctis adventum celebrat, *Nouvelle Héloïse, première partie, lettre* 54.

IMITATIONES GALLICÆ.

1. *Credis eum jam posse*, etc. Cf. Bertin, *Amours*, II, *élég.* 4 :

Peux-tu me préférer ce rival orgueilleux,
Vil suivant de Plutus que l'intérêt dévore,
Et dont l'instinct grossier préfère à tes beaux yeux
Ces trésors criminels qu'aux bornes de l'Aurore

A cachés vainement la prudence des dieux ?
.....
Penses-tu qu'amoureux de son doux esclavage,
Désormais il renonce à quitter le rivage ?
On dit que l'inhumain méprisant tes appas,
Déjà prêt à partir sur la foi d'une étoile,
Redemande des vents, fait déployer la voile,
Et de ton lit oiseux veut courir au trépas.
Que je plains ta douleur, amante infortunée !
Combien tu pleureras ton fol égarement ! etc.

7. *Est tibi forma potens.... Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.* La Fontaine, *Contes* (*le Cocu battu et content*) :

La dame était de gracieux maintien,
De doux regard, jeune, fringante et belle ;
Somme qu'enfin il ne lui manquait rien
Fors que d'avoir un ami digne d'elle.

11. *Tu quoque, qui æstivos*, etc. Quinault, *tragédie lyrique de Roland*, act. IV, scen. 2 :

Ah ! j'attendrai longtems, la nuit est loin encore.
Quoi ! le soleil veut-il luire toujours ?
Jaloux de mon bonheur, il prolonge son cours,
Pour retarder la beauté que j'adore.
O nuit ! favorisez mes désirs amoureux,
Presses l'astre du jour de descendre dans l'onde,
Déployez dans les airs vos voiles ténébreux.
.....
O nuit, favorisez mes désirs amoureux !

Bertin, *Amours*, III, *élégie* 3 :

Ciel ! que ce tems si léger
Paraît long, quand on espère !
Le soleil sous l'hémisphère
Ne veut donc pas se plonger ?
Accourez, humides heures,
Qui présidez à la nuit ;
Répandez sur nos demeures
Ce calme heureux qui vous suit.

14. *Longius in primo, Luna, morare toro.* Tissot, *Poésies érotiques, première partie*, (*l'Amant à l'étoile du soir*) :

Astre du soir, astre de Cythérée,
De la nuit sombre aimable précurseur,
Reste longtems sur la voute azurée,
Et fais durer les éclairs du bonheur.

ELEGIA XXI.

FUGERE CYNTHIAM PARAT.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim adsidue spectando cura puellæ;
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, quum sæpe negavit;
Seu venit, extremo dormit amicta toro.
Unum erit auxilium: mutatis Cynthia terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in æquora navem,

1. *Proficisci iter.* Vide II, 13, 40. Cæterum, Propertius an iter Athenas propositum vere susceperit, nec carmen nostrum hoc, nec alterum hujusce libri quartum decimum de Laconum gymnasio satis clare demonstrant. Elegiam quoque libri primi septimam decimam, qua jactatus ventis et fluctibus Cynthiam absentem, quam reliquit, desiderat, indicium rei non nisi vagum et incertum reputabimus. Quid enim? ut de procella poeta narret, necesse erit adiisse illum maris pericula?

6. *At ex omni*, ex omni parte. Sic Catullus LXIV, 252: « At pater *ex alia* florens volitabat Iacchus; » (alia ex parte.) Virgilius, Æneid. IX, 64: « collecta fatigat edendi *Ex longo* rabies; » (longo ex tempore.)

7. *Vix tamen aut semel admittit;* Cynthia me. Verbum absque nominativo positum, ut II, 14, 13. — *Seu venit*, ad me seu venit. Vix tamen aut semel demum admittor, quem diu repulit; seu forte iterum atque iterum orata ipsa ad me veniet, extremo toro vestita cubat. *Extremus torus*, lecti pars extrema interior.

9. *Cynthia.* Distinctionem Lachmannus correxit vulgo male positam: « *mutatis, Cynthia, terris,* Quantum oculis, animo tam procul ibit amor. » Præstat haud dubie: « Mutatis terris, quantum procul ibit *oculis* meis *Cynthia*, *animo* tam procul ibit *amor.* »

Remorumque pares ducite sorte vices,
Jungiteque extremo felicia lintea malo:
Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanæ turres, et vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar æquoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus quum fessa Lechæo
Sedarit placida vela phaselus aqua;
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piræi capient me litora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
[Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis;]

12. *Ducere sorte vices remorum pares;* implere, peragere, sortitas vices. *Remos sortiri* apud Virgil. Æn. III, 510.

16. *Qualiscumque mihi;* qualem te cumque tulerim, perfidam et ingratam.

17. *Ergo.* Nihil aliud, quam *Igitur, Itaque.* Male *Kuinoel* particulam indignandi esse notaverat. — *Rudis hospes Hadriaci,* ut *rudis Argo* II, 26, 39, quæ *rudis* est *pinus* III, 22, 13. *Hadriaci* autem *hospes,* ut *hospitium fluminis* I, 20, 10.

20. *Phaselus quum Lechæo, placida aqua, vela sedarit fessa;* navem remissis velis quum acceperit Lechæus (portus et promontorium in sinu Corinthiaco); *quod superest viæ, sufferte* vos *pedes, properate laborem, qua,* etc. Scilicet, Isthmum superabit pedibus, tum rursus conscendet navem, qua tendet ad Piræum.

23. *Litora portûs.* Vide IV, 6, 15. — *Brachia longa Theseæ viæ.* Muros intellige, Themistoclis opus, quadraginta stadiorum in longitudinem, quibus, veluti brachiis, junctæ Athenæ erant cum Piræo. Vide interprett. ad Justin. V, 8. *Thesea* autem *via,* Theseus quum Atticæ vias a latronibus purgaverit; cf. eleg. 16, 12. — *Thesea.* Vide not. III, 3, 32.

25. *Illic vel studiis,* etc. Distichon tot vitiis tamque gravibus compactum, ut auctorem poetam ipsum non habeat, sed imperitum aliquem de librariorum grege, si Lachmannum audimus: In his, inquit vir doctus, critici primum eorumdem vocabulorum repetitionem vituperant, *studiis Platonis, studium linguæ, docte Epicure, docte Menandre:* jure, ut mihi videtur; nempe in enumeratione. Alii igitur, doctum Epicurum ne-

Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorumque, tuos, docte Menandre, sales;
Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,

gantes, *dux Epicure* reponunt (sic Broukhusius), vel *note;* alius *Incipiam, hortis aut, Epicure, tuis,* hiante versu; alii, eruditionem Epicuro vindicantes, volunt *culte Menandre*, vel *comte*, vel *munde.* Sed hoc periculosum conjectandi genus est. Certior res, *studia Platonis,* quo sensu hic dicuntur (pro doctrina, cui studetur, Platonis), Latine dici non posse; nec Broukhusii *stadiis* (stadia gymnasii translata ad philosophiam) locum esse; sed rectius habere, quod idem excogitavit, *spatiis* (Academiæ scholam vagam per hortos meministi), a Fonteinio Huschkioque erudite confirmatum. Nihilominus egregiam horum disputationem digniore loco positam mallem. Nam hic, etiamsi de repetitionibus concedamus, tam gravibus laborat vitiis, ut facile credam ita potius interpungi debuisse, vitato illo pravo loquendi genere *Platonis studia* : « Illic vel studiis animum emendare, Platonis Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis; » ut suo errore dixerit *Platonis hortos*, non librariorum vitio. Jam enim reliqua peccata perpende. Scilicet præcesserat : « Scandam ego Theseæ brachia longa viæ. » Pergit : *Illic vel studiis*, etc. Belle! *Illic*, in muro Piræi Academia erit, in muro horti Epicuri, in muro animum studiis emendabit. Porro *Persequar aut* habes in proximo distícho, in priore *Illic vel*, variatione iis, qui hodie Latine scribere putantur, familiari, ignota veteribus, qui *vel* sequente *aut* numquam dixerunt (non magis, quam nos Galli, *soit... ou*). Repetito *aut* vel certe pluribus membris disjunctivis antecedentibus *vel* poni potest, et aliquoties ita positum reperimus. Scilicet particula *aut* prorsus excludit alterum, *vel* admittit. *Aut hoc aut illud*, alterutrum certe est : *Vel hoc vel illud*, possit hoc esse, possit et illud. (Sequuntur exempla, quibus firmat Lachmannus sententiam suam, positaque regula : « Ad hæc, inquit, si distichon *Illic vel studiis* exigas, non amplius, ut opinor, tueberis, sed concedes fictum a sciolo, qui Athenis non philosophari Propertium non pateretur. » Pergit vir doctus) : Nihilominus haud multum abfuit, quin critici alterum distichon potius impugnarent, *Persequar aut*, etc. in quo Huschkius etiam, cætera sibi obscura esse fassus, Burmanno *tuos librorum sales* (*Librorumque tuos, docte Menandre, sales*, quomodo vulgo distinguitur) pro *sales tuorum librorum* corruptum esse concedit; præterea observans, *libros* vel *libellos* pro comœdiis dici. Quid, si una interpunctionis nota addita, omnia clara fiunt? Sic distingue : « Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma, Librorumque, tuos, docte Menandre, sales. » Hoc dicit : « Aut linguæ et librorum studium persequar, Demosthenis arma tuosque, docte Menandre, sales. » Hoc loquendi

Sive ebore exactæ, seu magis ære manus.
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

genus (appositionis figura) non animadversum quoties viros doctos transversos egerit, dici non potest. — Recte omnino, sed unum verbum subjiciam tam doctis observationibus. An conjunxisse Nostrum sententias tam abrupte dispares opinabimur, *Scandam Theseæ viæ brachia*, et *Persequar linguæ studium?* an non credemus potius, distichon olim exstitisse inter hosce duos versus positum, quod quum excidisset vacuo relicto spatio, ut implerētur lacuna, pseudo-Propertium invenisse Platonis et Epicuri nomina?

30. *Manus.* Intellige manus artificum, dictas pro manuum operibus, hoc versu pro statuis. Martialis, epigr. IV, 39, 3 : « Argenti genus omne comparasti, Et solus veteres Myronis artes, Solus Praxitelis *manus* Scopæque,... Solus Mentoreos habes labores. » Statius, Silv. I, 3, 47 : « Vidi artes, veterumque *manus*, variisque metalla Viva modis. » *Exactæ manus*, ut *exacti equi* III, 9, 10, et apud Ovidium, Metam. I, 406 : « sed uti de marmore cœpto Non *exacta* satis (*forma*), rudibusque simillima signis. »

32. *Sinu.* Rectum Huschkii judicium, quærere ab iis, qui *situ* reponunt (« *situm* dici de omnibus, quæ tractu annorum paulatim minuuntur vel deteruntur »), an satis pertineat ad hunc sensum *tacitus*. Quod quia valde dubium est, sequemur tutius hic quoque librorum omnium scripturam *sinu; tacitus sinus*, ipso interprete Huschkio, *locus ab omni turba vacuus et remotus.* Valer. Flaccus II, 423 : « I memor, i, terræ, quæ vos amplexa *quieto* Prima *sinu.* » Tacitus, Mor. Germ. 29 : « Mox limite acto, promotisque præsidiis, *sinus* imperii et pars provinciæ habentur; » (pars ultima et extrema velut lacinia.)

33. *Seu moriar, fato* moriar *fractus, non turpi amore. — Atque erit illa mihi mortis honesta dies.* Similis versus contrario sensu II, 26, 58, ubi, si propter puellam et cum ea moriatur : « Exitus hic nobis non inhonestus erit. »

IMITATIONES GALLICÆ.

5. *Omnia sunt tentata mihi*, etc. Nympha apud Quinault, *tragédie lyrique d'Atys*, act. I, sc. 4 :

Pour vaincre mon amour je mets tout en usage,
J'appelle ma raison, j'anime mon courage,

Mais à quoi servent tous mes soins ?
Mon cœur en souffre davantage,
Et n'en aime pas moins.

Cf. CHAULIEU, tom. II, pag. 89 (ed. 1825), *à mademoiselle Delaunay* :

Mais que n'ai-je point fait pour vaincre ma tendresse,
Et combattre un penchant qui n'est plus de saison !
Il n'en était plus tems, etc.

RONSARD, *Églogues*, pag. 238 (ed. 1828) :

C'est grand cas que d'aimer ! vne amoureuse playe
Ne se guarist iamais pour chose qu'on essaye :
Plus on la veut guarir, et plus le souuenir
La fait tousiours plus viue en nos cœurs reuenir.

9. *Unum erit auxilium*, etc. Apud QUINAULT, *tragédie lyrique d'Alceste*, act. I, sc. I, Hercules ita :

Je ne puis me sauver de l'ardeur qui me presse
Qu'en quittant ce fatal séjour.
Contre d'aimables charmes
La valeur est sans armes,
Et ce n'est qu'en fuyant qu'on peut vaincre l'amour.

Vide nunc BERTIN, *Amours*, II, *élégie* II, Propertii fere interpretem ad verbum :

Que n'ai-je point tenté ? Dieux ! qu'il est difficile
D'abjurer promptement de si longues amours !
Tant que le même mur nous servira d'asile,
Tant que le même ciel éclairera nos jours,
Hélas ! je le sens bien, je l'aimerai toujours.
Si vous voulez que je l'oublie,
O mes amis, partons, ôtez-moi de ses yeux :
Pour de lointains climats abandonnons ces lieux ;
Courons interroger les champs de l'Italie,
Et lui redemander ses héros et ses dieux.
Fuyons. Adieu, remparts, superbe promenade
Dont les ormes touffus environnent Paris ;
Adieu, bronze adoré du plus grand des Henris ;
Adieu, Louvre immortel, pompeuse colonnade ;
Adieu surtout, adieu, trop ingrate Eucharis !
.....
Nos vaisseaux sont-ils prêts ? poussez-nous loin du bord ;
Compagnons, courbez-vous sur des rames pareilles ;
Fendez légèrement le dos des flots amers ;
Abandonnez la voile au souffle qui l'entraîne :
Le zéphyr règne dans les airs ;
Et mollement porté sur la mer de Tyrrhène,
Je découvre déjà la ville des Césars,
Rome, en guerriers fameux autrefois si féconde,

Rome, encore aujourd'hui l'empire des beaux-arts,
L'oracle de vingt rois, et le temple du monde.
.....
O qui me nommera tous ces marbres épars,
Et ces grands monumens dont mon ame est frappée?
Montons au Vatican, courons au champ de Mars,
Au portique d'Auguste, à celui de Pompée.
.....
Avec quel doux saisissement,
Ton livre en main, voluptueux Horace,
Je parcourrai ces bois et ce côteau charmant
Que ta Muse a décrits dans des vers pleins de grace,
De ton goût délicat éternel monument!
.....
Là peut-être l'étude, et l'absence, et le tems,
Pourront bannir de ma mémoire
Un amour insensé qui ternit trop ma gloire,
Et dont le vain délire abrégea mes instans.

Conf. *André* Chénier, *Fragmens d'élégies:*

Partons, la voile est prête, et Byzance m'appelle.
Je suis vaincu; je suis au joug d'une cruelle.
Le tems, les longues mers peuvent seuls m'arracher
Ses traits, que malgré moi je vais toujours chercher.
Son image partout à mes yeux répandue,
Et les lieux qu'elle habite, et ceux où je l'ai vue,
Son nom qui me poursuit, tout offre à tout moment
Au feu qui me consume un funeste aliment.
Ma chère liberté, mon unique héritage,
Trésor qu'on méconnaît tant qu'on en a l'usage,
Si doux à perdre, hélas! et sitôt regretté,
M'attends-tu sur ces bords, ma chère liberté?

Ronsard, *Élégies*, pag. 269, qui sibi quoque longum iter fore remedium sperans:

Heureux celuy qui ses peines oublie!
Va-t'en trois ans courir par l'Italie:
Ainsi pourras de ton col deslier
Ce lacs coulant qui te tient prisonnier.
Autres citez, autres villes et fleuues,
Autres desseins, autres volontes neuues,
Autre contree, autre air et autres cieux,
D'vn seul regard t'esbloüiront les yeux,
Et te feront sortir de la pensee
Plustost que vent celle qui t'a blessee.

ELEGIA XXII.

AD TULLUM.

FRIGIDA tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua;
Dindymus, et sacræ fabricata juvenca Cybebes,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos,
Si te forte juvant, Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, movère meo.

1. *Frigida tam multos*, etc. Invitatio ad amicum Tullum, ut Romam redeat.

4. *Tulit qua via Ditis equos.* Diu est, quum viri docti reposuerunt *quæ via* : « Cyzicus... Dindymus... Raptorisque tulit *quæ* via Ditis equos ; Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes, etc. » Sed nihil opus, modo ista omnia recte distinguas in hanc sententiam : Diu tibi Cyzicus placuit, si te Dindymus forte juvat et Hellesponti urbes, qua Ditis raptoris equos via tulit. Lachmannus. — *Tam multos.* Vide I, 12, 3. — *Cyzicus*, insula et urbs Propontidis, de qua Plinius Hist. Nat. V, 32. — *Frigida*, quippe quæ sita in mari. — *Qua fluit Isthmos aqua Propontiaca.* Nihil hic nisi falsum et ineptum ab interpretibus, quorum alii Isthmum Cimmerium, alii angustum maris spatium inter Cyzicum et continentem accipiunt. Haud dubie *fluidus Isthmus* est mare, significatione vocabuli inversa ; sed ne cum plerisque interpretando faciamus tot Isthmos, quot sunt insulæ ad terram, aliud nos quæremus fretum magis dignum scriptoris memoria, atque inveniemus Europam inter et Asiam Bosporum. — *Tulle.* Vide Propertii Vitam Chronolog. sub ann. 724. — *Dindymus*, mons in insula. — *Et sacræ fabricata juvenca Cybebes.* Libri veteres corrupte : *et sacra fabricata inventa Cybelæ.* Versum feliciter restituit Vossius, de juvenca marmorea explicans, in antro posita Lobrinæ, Cyziceni montis, quo magna dea culta atque puer Atys taurorum sanguine. Vide Burmann. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 32 sq. Picturas Cyzici nobiles memorat Cicero, in Verr. IV, 60. — *Raptoris Ditis equos ;* Plutonis equos rapta Proserpina, quam avectam curru super mare ad usque Cyzicum pars auctorum perhibent, his oris diducta terra abiisse per profundum ex oculis puellam cum deo. Vide in Anthol. Lat. tom. II, pag. 550, epigramma LXXVII. — *Helles Athamantidos.* Vide II, 26, 5.

Tu licet adspicias cælum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonæ stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis Antæique, Hesperidumque choros;
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,
Peliacæque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem proræ pinus adacta novæ;
Et si, qua Ortygiæ visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias:

8. *Phorcidos* (Medusæ) *ora secta Persea manu.* Quæsitis et obscuris verbis significat Gorgonum insulas. Similis forma III, 12, 26: « Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ; » pro Sicilia, ad quam delatus ventis Ulysses.

9. *Geryonæ stabula;* insulam Erythiam ad Hispaniæ litus, Gadibus proximam, regnum olim Geryonis, cujus armenta rapta Hercules in Italiam traduxit. Cf. IV, 9, 2. — *Herculis Antæique luctantum signa in pulvere;* impressa, tamquam etiamnum visenda, signa in pulvere. Africam Tingitanam dicit, ubi ad Atlantem, in colonia Claudii Cæsaris Lixo, *regia Antæi certamenque cum Hercule, et Hesperidum horti*, Plinio auctore Hist. Nat. V, 1.

11. *Tuque tuo remige propellas Phasin;* translato verbo ad amnem, quod proprie de nave ponitur, ut *propellere navem in æquora* eleg. 21, 11. — *Colchum*, Colchicum, *Phasin*. Barthius vitiose *Colchon*. — *Trabs Peliaca;* pinus ex Pelione, *adacta in faciem proræ novæ*, ut mox dicit, id est, Argo. — *Qua rudis natat* illa pinus *inter saxa*, *Argoa columba* duce; vide II, 26, 39. — *Qua natat*, natavit olim. Sic III, 3, 44: « Aut quibus in campis Mariano prælia signo *Stent*, et Teutonicas Roma *refringat* opes; » (steterint, refregerit.) Libro III, 18, 4: « Qua jacet et Trojæ tubicen Misenus arena, Et *sonat* Herculeo structa labore via. » IV, 1, 77: « Me *creat* Archytæ soboles Babylonius Horops Horon. » In eodem carmine, vs. 121: « Umbria te notis antiqua Penatibus *edit.* » — *Rudis pinus.* Confer III, 21, 17. — *Argoa.* Vide not. III, 17, 30.

15. *Et si, qua Ortygiæ*, etc. Veram hic scripturam, verum sensum, unus Lachmannus detexit: « Et si, qua *Ortygiæ* visenda est ora Caystri; » (libri meliores *Et si qua origæ* vel *origæ*). Scilicet, ad illam particulam *si* supplendum ex antecedentibus *sis* vel *eas* (vide mox vs. 37), *Et si eas, qua*: Etiam si te accipiat Ortygia, cui ostendit oram Cayster proximus. *Ortygia*, vetus Ephesi nomen; vide Plin. Hist. Nat. V, 29. — *Et qua*, etc. et qua fluit Nilus unda septemplici.

Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ,
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ:
Nam, quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus; victrices temperat ira manus.
Hic, Anio Tiburne, fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et æternum Marcius humor opus.
Albanus lacus et socia Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis lympha salubris equo.

19. *Tellus magis apta armis, quam noxæ commoda;* quæ magis armis suis quærit victoriam, quam victis nocere cogitat. — *Famam non pudet, Roma, historiæ tuæ;* famam, quum dicit res tuas, non pudet.

22. *Stamus.* Vide II, 9, 30. — *Victrices temperat ira manus.* Alteram lectionem, multis ante probatam, Burmannus et *Kuinoel* ex aliquot libris admiserunt: « victrices temperat *illa* manus; » *illa*, quam dixit, *pietas.* Prima specie blanditur, sed falsum est. Victrices manus pietas temperare non potest, quæ nulla est in hostes. Recte libri cæteri (nostri quoque Regii E, F) illis meliores universi: « victrices temperat *ira* manus. » Ira suas manus victrices temperat; ira in hostem, simul ac victum vidimus, cessat, et manus a sæviendo retrahit. Lachmannus.

23. *Anio Tiburne.* Vide I, 20, 8. — *Clitumnus;* II, 19, 25. — *Marcius humor;* III, 2, 12.

25. *Albanus lacus;* de quo Virgilius, Æn. IX, 387; *et Nemorensis* (sive Aricinus), dictus ab Aricino Dianæ nemore: vide II, 32, 10. Cæterum emendatio Francii certa hæc, quam firmat apud Barthium exemplar Venetum anni 1500: « Albanus lacus *et socia* Nemorensis ab unda; » quum antea legeretur ex illo, quem novimus, Scaligeri Codice fidei nullius: « *Albanusque* lacus *socii* Nemorensis ab unda. » Male *Albanus lacus ab unda socii Nemorensis;* immo, *ab unda socia* (sociis aquis) uterque lacus fluens, quippe quibus unum eumdemque fontem esse constat. Scripti nonnulli *Albanusque lacus socia*, itidem corrupte; cæteri *Albanus lacus et socii.* — *Pota lympha salubris Pollucis equo;* fons Juturnæ. Valerius Maxim. I, 8, 1: « Castorem vero et Pollucem etiam illo tempore (tempore belli Latini) pro imperio populi Romani excubuisse cognitum est, quo ad lacum Juturnæ suum equorumque sudorem abluere visi sunt; junctaque fonti ædes eorum nullius hominum manu reserata patuit. » — *Lympha. Nympha* dederant ex emendatione critici. Vide notata III, 16, 4. — *Salubris lympha* Juturnæ; ægris utilis. Vide Varron. de Ling. Lat. IV.

At non squammoso labuntur ventre cerastæ,
Itala portentis nec furit unda novis;
Non hic Andromedæ resonant pro matre catenæ,
Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes;
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo;
Penthea non sævæ venantur in arbore Bacchæ,
Nec solvit Danaas subdita cerva rates;
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove;
Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis

27. *Labi* de serpentibus. Cf. Virgil. Æn. V, 86, VII, 349. — *Nec furit*, turbata furit, *Itala unda portentis novis* (inauditis); *portenta*, monstra.

29. *Andromedæ*. Scribe *Andromedes*. — *Andromedes catenæ pro matre*. Vide I, 3, 4. — *Nec tremis, Phœbe fugate, Ausonias dapes*. Meminimus Thyestæ mensam, et horrore fugatum Solem.

31. *Nec cuiquam absentes*, etc. Meleagri vita juncta, quum nasceretur, ligno foci torrido, et mater Althæa facinoris novi exemplum. Occiso apro Calydonio, exuvias Meleager Atalantæ puellæ facit donum amoris sui; Althææ fratres Phlexippus et Toxeus audaci manu rapiunt; hos ille ardens ira interficit; scelus Althæa scelere ulciscitur, stipitem servatum diu frigidum accendit, eadem hora mittit impia mater absenti nato supplicium flammæ. Vide Gierig. ad Ovid. Metam. VIII, 260. *Arserunt* illi *in caput* (in exitium) *absentes ignes;* absens concipit miser ignem, quem accendit Althæa.

33. *Penthea non venantur Bacchæ*. Vide III, 17, 24. — *In arbore*. Vide III, 3, 13. — *Subdita cerva*, in locum Iphigeniæ subdita.

35. *Cornua nec valuit*, etc. Io, Jovis pellex, in vaccam a Junone conversa: vide II, 28, 17. — *Aut dedecorare faciem* (puellæ faciem) *turpi bove;* hoc est, turpi bovis (vaccæ) facie. Sic IV, 5, 14, lenam Acanthidem dicit *audacem fallere nocturno lupo terga sua*, hoc est, formam suam, assumta lupi forma. Vide similia II, 3, 21, III, 9, 31, IV, 9, 32.

37. *Sinis*. Latro Scironis æmulus in Isthmo, qui, si miserum rapuerat per viam, alligabat duabus ad terram inflexis arboribus, quibus dimissis, pendebat fœde laceratum corpus de truncis summis in partes duas. Eodem supplicio periit a Theseo victus. Conf. Ovid. Metam. VII, 440 sqq. Cæterum scribe cum Lachmanno *Arboreasve cruces Sinis*, qualia multa vir doctus in hoc poeta correxit; tum accipe per verbum suppletum *habere* vel ejusdem sensus aliud: « Nec *habere* apud

Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Hæc tibi, Tulle, parens, hæc est pulcherrima sedes;
Hic tibi pro digna gente petendus honos;
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, et venturæ conjugis aptus amor.

nos Sinis valuit arboreas cruces, saxa Graiis non hospita, trabes in sua fata curvatas;» nam *curvare* ex versu 35 si retrahas, habebis illud, curvari etiam a latrone saxa. Orationis forma similis supra versu 15, et II, 27, 9. Libro IV, 6, 31: «Non ille (Phœbus) *adtulerat* crines in colla solutos, Aut testudineæ carmen inerme lyræ; Sed *quali* adspexit Pelopeum Agamemnona *vultu*, Egessitque avidis Dorica castra rogis;» (sed *erat* ille quali vultu apparuit Agamemnoni.) Confer III, 6, 13. — *Arboreas cruces*, arbores patibula. — *Saxa Graiis non hospita*; viam Scironis dictam eleg. 16, 12. — *Curvatas trabes in sua fata*, suum ipsius in supplicium. *In sua fata*, quomodo etiam loquitur III, 9, 56.

40. *Honos*, honores, magistratus.

41. *Hic tibi ad eloquium cives*; quos intelligas, quibuscum saltem loquaris, si libet. *Eloquium* pro sermone familiari, ut *eloqui* passim est *loqui*, *dicere*; vide Forcellinii Lexicon. — Laudes Italiæ vide etiam apud Virgil. Georg. II, 136—176. Conf. *André* Chénier, *Poésies diverses*, *Hymne à la France*.

IMITATIONES GALLICÆ.

21. *Nam, quantum ferro*, etc. Conf. Le Brun, *Odes*, II, 20:

O peuple que Cybèle enfanta pour la guerre,
Peuple amant de l'honneur, des arts et des vertus,
O Français, tes destins sont de vaincre la terre,
Et la foudre à la main tu souris aux vaincus.

30. *Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes; Nec cuiquam absentes*, etc. Idem Le Brun, *Odes*, III, 14, in laudibus etiam felicis terræ:

Jamais l'horrible Mégère
N'y vint d'un fatal tison
Armer la coupable mère
Du héros de Calydon;
Jamais la main égarée
D'une sœur dénaturée
Du sang n'y rompit les nœuds;
Là, soleil, tes feux augustes
N'éclairent que des cœurs justes,
Des cœurs purs comme tes feux.

ELEGIA XXIII.

DE TABELLIS PERDITIS.

Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ,
  Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
  Qui non signatas jussit habere fidem.
Illæ jam sine me norant placare puellam,
  Et quædam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum earas effecerat aurum:
  Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
  Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan hæc illis fuerant mandata tabellis:
  Irascor, quoniam es, lente, monatus heri.
An tibi nescio quæ visa est formosior? an tu
  Non bene de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit, *Venies hodie, cessabimus una;*
  Hospitium tota nocte paravit Amor.

1. *Tabellæ.* Tabellæ Propertio in amore solitæ, quæ missæ ad Cynthiam periere dum redeunt.—*Scripta tot bona*, res scriptæ tot bonæ; (Cynthiæ respondentis verba, quæ sibi fingit Noster vers. 12—16.)

4. *Non signatas*, vel non signatas. *Signare*, ut III, 20, 15, IV, 1, 145.

5. *Puellam*, Cynthiam. Burmannus recte dedit ex libris duobus pro *puellas*.

8. *Sordida* (vilis) *cera fuit* in *vulgari buxo*.

14. *An de nobis crimina ficta jacis?* an imputas mihi ficta crimina? *Jacere*, ut II, 1, 77.

15. *Venies.* Ita scribe cum Groningano, Neapolitano, Menteliano, aliis innumeris, pro vulgari lectione, cujus auctor incertus, *Venias*. Sed præter Codicum consensum, tenenda etiam Lachmanni ratio, spirare in hac forma suavitatem, quam non habet altera. — *Cessare*, cum languore tradere se amori.

Et quæcumque volens reperit non stulta puella,
Garrula quum blandis dicitur hora dolis.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I, puer, et citus hæc aliqua propone columna;
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

18. *Dicitur.* Sic de conjectura Schraderus, quæ Codicis Groningani lectio inventa est; *dicere*, condicere : Scripsisse Cynthiam in tabellis quæcumque suggerit puellæ ingenium suum, quum blandis dolis horam significat. Nimis erat ineptum ex Codicibus cæteris *ducitur*; feminam, teneri colloquii in hora, amator dum blanditias suspirat, hoc ipso momento cogitare de tabellis ac scribere amoris epistolam. — *Dolis.* Frustra sensit idem Schraderus ex libris aliquot *jocis*; *dolos* hic et *furta* II, 30, 28, IV, 7, 15, IV, 8, 34, ita dicit Noster, quomodo nos *les malices*, *les friponneries*, *les larcins de l'amour.*

19. *Ratio*, computatio, acceptum et expensum. — *Duræ ephemeridæ*, libelli fœnoris. — Ovidius, Amorr. I, 12, 23, in tabellas, quæ remissæ ab amica negari noctem attulerant : « Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ, Quas aliquis duro cognitor ore legat; Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent, In quibus absumtas fleret avarus opes. »

22. *Ligna*, buxum (vs. 8).

23. *Et citus hæc* (*hæc*, quibus obligat se præmio) *propone aliqua columna*; per urbem publice. Usus etiamnum apud nos similis est. — *Esquiliis.* In Esquiliis habuisse se domum, etiam libro IV, 8, 1, docet Propertius.

ELEGIA XXIV.

AD CYNTHIAM.

Falsa est ista tuæ, mulier, fiducia formæ,
  Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes.
  Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi sæpe figura,
  Ut, quod non esses, esse putaret amor;
Et color est toties roseo collatus Eoo,
  Quum tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
  Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Hæc ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
  Naufragus Ægæa vera fatebar aqua.
Correptus sævo Veneris torrebar aheno;
  Vinctus eram versas in mea terga manus.

2. *Facta nimium superba oculis meis; oculis meis*, visu meo, quum te ego viderem tam pulchram.

4. *Pudet*, me pudet, *te insignem esse meis versibus*. Tibullus I, 9, 47 : « Quin etiam adtonita laudes tibi mente canebam : At me nunc nostri Pieridumque pudet. Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma Torreat, et liquida deleat amnis aqua. »

5. *Mixtam*. Vide I, 13, 21. — *Ut*, ita ut, quod vere non esses, te putarem esse.

7. *Roseus color Eous*, Auroræ color. — *Quæsitus candor*, fictus, quæsitus arte, ut *quæsita facies* I, 15, 6. *Candor* autem, venustas oris, ut I, 2, 19, et *candida* ora II, 9, 10, *candida* forma II, 29, 30, III, 11, 16.

9. *Quod;* amoris vitium hoc. — *Eluere aut vasto mari saga Thessala; vasto mari*, aqua tota magica. *Aquas magicas* habes IV, 1, 106.

11. *Hæc ego*, etc. Antea, inquit, potius ignem, ferrum, naufragium pati, quam fateri vera quæ nunc de te loquor liber. Scilicet, *Correptus sævo Veneris torrebar aheno; Vinctus eram versas*, etc. — *Fatebar*. Vide III, 13, 65. — *Veneris aheno torrebar*. Cf. III, 6, 39. — *Vinctus eram*, etc. Tibullus

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Trajectæ Syrtes, ancora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.
Exciderint surdo tot mea vota Jovi.

ELEGIA XXV.

Risus eram positis inter convivia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:

I, 8, 5, figura simili: « Ipsa Venus magico religatum brachia nodo Perdocuit multis non sine verberibus. » — *Vinctus eram manus;* syntaxis Græca.

15. *Coronatæ carinæ.* Sertis ornata navis feliciter peracto cursu etiam apud Virgil. Georg. I, 304, Ovid. Amorr. III, 11, 29, qui figurato sensu, ut Noster: « Jam mea votiva *puppis redimita corona* Lenta tumescentes æquoris audit aquas. » — *Syrtes.* Vide II, 9, 33.

19. *Dono. Condo* reposuit Heinsius, *pono* vult Marklandus, sed teneamus nos cum scriptis *tua me in sacraria dono*, ut ipse se tradat donum Bonæ Menti, quomodo Malæ puer Amor Ovidium in his (Amorr. I, 3, 12): « At Phœbus, comitesque novem, vitisque repertor Hoc faciant, et, *me* qui *tibi donat*, Amor. » — *Bonam Mentem deam* idem Ovidius in pompa Amoris triumphali memorat, Amorr. I, 2, 31: « *Mens Bona* ducetur manibus post terga retortis, Et Pudor, et castris quidquid Amoris obest. » Venuste Seneca, epistola XXVII extrema: « *Bona mens* nec commodatur nec emitur; et, puto, si venalis esset, non haberet emtorem: at *mala* quotidie emitur. » — *Exciderint tot mea vota!* exciderint licet (parum curo nunc) quæ surdum Jovem orabam!

Eleg. XXV. 1. *Risus eram positis*, etc. Plane accedo ego hic criticis, ut in unam elegiam jungantur quas duas quartam quintamque vicesimam exhibent Codices: sensus utriusque fragmenti persimilis indicat; præterea distichon *Risus eram* non intelligimus, si legitur positum initio carminis. Sed oratio nunc quam sine connexu ferat *Exciderint surdo*, *Risus eram*, *Quinque tibi*, recurramus ad lacunæ primam originem, et inveniemus fortasse mutili carminis fuisse signum, non disjunctionem inter elegias duas. — *Risus eram* (ludibrium), quomodo *rumorem*, et *sermonem*, et *fabulam* esse aliquem dicit I, 5, 26, II, 21, 7, II, 24, 1. Vide III,

Ungue meam morso sæpe querere fidem.
Nil moveor lacrymis; ista sum captus ab arte:
Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit:
Tu bene conveniens non sinis ire jugum.
Limina jam nostris valeant lacrymantia verbis,
Nec tamen irata janua fracta manu.
At te celatis ætas gravis urgeat annis,
Et veniat formæ ruga sinistra tuæ;
Vellere tum cupias albos a stirpe capillos,
Ah! speculo rugas increpitante tibi,

19, 15. — *Risus eram..... esse loquax.* Conf. II, 9, 21—22.

4. *Fidem meam*, amissam tibi, *sæpe querere.* — *Ungue morso.* Vidimus esse amii animi signum II, 4, 3.

5. *Ista sum captus ab arte.* Præpositio *ab*, ut sequente versu: « Semper *ab insidiis*, Cynthia, *flere* soles; » II, 27, 11: « Solus amans novit, quando *periturus*, et *a qua Morte*; » IV, 3, 39: « Quæ *tellus* sit lenta gelu, quæ *putris ab æstu*; » IV, 10, 32: « Colloquiumque sua *fretus ab urbe* dedit. » — *Semper ab insidiis flere soles.* Ovidius, Rem. Amor. 689: « Neve puellarum lacrymis moveare, caveto: Ut flerent, oculos erudiere suos. » Art. Amat. III, 291: « Quo non ars penetrat? discunt lacrymare decenter; Quoque volunt plorant tempore, quoque modo. »

9. *Limina*; quæ, quum excluderetur, inter *verba*, querelas, fletibus suis ita spargebat, ut collacrymari viderentur. Confer libri primi elegiam 16. — *Nec tamen irata janua fracta manu*; hoc est, *Et janua tamen non fracta* (*tamen*, tametsi viderat lacrymas meas). Similis forma I, 10, 26.

11. *Celatis annis*, dissimulatis, tectis. Nam « Tempora labuntur, *tacitisque* senescimus *annis*; » (Ovidius, Fast. VI, 771.)

13. *Capillos albos a stirpe vellere.* Tibullus iisdem verbis I, 8, 45, puellæ objiciens venturam senectam: « Tollere tum cura est albos a stirpe capillos, Et faciem demta pelle referre novam. » *Cupias* hoc versu et mox *patiare*, *queraris*, scripti sinceri, ut videtur, consensu, cum quibus Lachmannus. Recte pro *cupies*, *patiere*, *quereris*: vaticinium esset per futuri formam, non diræ, quas indicat versus 17. — *Ah! speculo.* Ita Lachmannus, sive potius ipsi Codices, in quibus longe plerisque *A speculo* legitur. Impressi vulgo *Et*, *At* suadente Burmanno. — *Increpitante tibi speculo rugas. Increpitare alicui* (exprobrare), forma nova, qua deinceps Valerius Maximus usus est III, 3, 2 (ext.): « *increpitansque* (Zeno philosophus) *Agrigentinis ignaviam* ac timiditatem effecit, ut, etc. » — Ovidius, Medic.

Exclusa inque vicem fastus patiare superbos,
Et quæ fecisti, facta queraris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras :
Eventum formæ disce timere tuæ.

Fac. 47 : « Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit, Et veniet rugis altera causa dolor. »

15. *Exclusa inque vicem*, etc. Idem Ovidius, Art. Amat. III, 69 : « Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantem, Frigida deserta nocte jacebis anus; Nec tua nocturna frangetur janua rixa, Sparsa nec invenies limina mane rosa. »

17. *Pagina*, scriptum, carmen, ut II, 21, 1; II, 34, 89. — *Diras fatales*, certas, prænuntias fati. — Cum Nostro confer Parny (ed. 1784), lib. II, *Dépit*.

IMITATIONES GALLICÆ.

Eleg. XXIV. 1. *Falsa est ista tuæ*, etc. Chénier ab amica proditus *élégie XXXVIII*, (utcumque fallendos alios sperare sibi possit perfida) :

Toutefois, songes-y, fuyez la vanité.
Vous me devez un peu cette beauté nouvelle ;
Vos attraits sont à moi ; c'est moi qui vous fis belle.
.....
Je vins à vos genoux en soupirs caressans
D'un vers adulateur vous prodiguer l'encens.
De vos regards éteints la tristesse chagrine
Fut bientôt dans mes vers une langueur divine ;
Ce corps fluet, débile, et presque inanimé,
En un corps tout nouveau dans mes vers transformé,
S'élançait léger, souple : ils vous portaient la vie :
Des Nymphes, dans mes vers, vous excitiez l'envie.
Que de fois sur vos traits, par ma Muse polis,
Ils ont mêlé la rose au pur éclat des lis,
Tandis qu'au doux réveil de l'Aurore fleurie,
Vos traits n'offraient aux yeux qu'une pâleur flétrie,
Et le soir, embellis de tout l'art du matin,
N'avaient de rose, hélas ! qu'un peu trop de carmin !
Ces folles visions, des flammes dévorées,
Ont péri, grace aux dieux, pour jamais ignorées.
Sur la foi de mes vers, mes amis transportés
Cherchaient partout vos pas, vos attraits si vantés ;
Vous voyaient ; et soudain, dans leur surprise extrême,
Se demandaient tout bas si c'était bien vous-même ;
Et de mes yeux séduits plaignant la trahison,
M'indiquaient l'ellébore, ami de la raison.

15. *Ecce coronatæ portum*, etc. PARNY, *Mélanges*, (*à M. de P... du S...*):

Mon vaisseau battu par l'orage
A regagné le port, et n'en sortira plus.

Libro IV, eleg. 5 (ed. 1784):

Toi que ma voix implorait chaque jour,
Tranquillité, si longtems attendue,
Des cieux enfin te voilà descendue,
Pour remplacer l'impitoyable amour.
J'allais périr : au milieu de l'orage,
Un sûr abri me sauve du naufrage :
De l'Aquilon j'ai trompé la fureur ;
Et je contemple, assis sur le rivage,
Des flots grondans la vaste profondeur.

17. *Nunc demum vasto*, etc. Idem PARNY, libro IV, eleg. 4 (edit., quæ nobis solita, 1781):

Assez longtems tu tourmentas ma vie,
Amour, amour, séduisante folie !
Je t'abandonne, et même sans regret.
Loin de Paphos la raison me rappelle :
Je veux la suivre, et ne plus suivre qu'elle.

In eodem hoc libro, eleg. 10:

Il est donc vrai, l'amour n'est qu'un délire !
Le mien fut long : mais enfin je respire,
Je vais renaître ; et mes chagrins passés,
Mon fol amour, les pleurs que j'ai versés,
Seront pour moi comme un songe pénible
Et douloureux à nos sens éperdus,
Mais qui, suivi d'un réveil plus paisible,
Nous laisse à peine un souvenir confus.

19. *Mens bona, si qua dea es*, etc. QUINAULT, *tragédie lyrique d'Atys*, act. IV, sc. 1 :

Revenez, ma raison, revenez pour jamais ;
Joignez-vous au dépit pour étouffer ma flamme :
Réparez, s'il se peut, les maux qu'Amour m'a faits ;
Venez rétablir dans mon ame
Les douceurs d'une heureuse paix.
Revenez, ma raison, revenez pour jamais.

ELEG. XXV. 1. *Risus eram positis*, etc. *André* CHÉNIER, *élégie XXII* :

Que m'importe qu'un autre adore ses attraits ;
Qu'un autre soit le roi de ses festins secrets ;
Que tous deux en riant ils me nomment peut-être ? etc.

3. *Quinque tibi potui servire fideliter annos.* Bertin, *Amours*, II, *élégie* 10 :

Sept ans entiers j'ai chanté sur ma lyre
Et ta constance et ma félicité.

Colardeau, *Pièces fugitives*, *Églogue :*

Depuis quatre printems je ne vis que pour elle ;
J'ai tout fait, tout tenté pour plaire à la cruelle.

Ronsard, tom. II, pag. 77 (ed. 1828), *Poésies pour Hélène :*

Maintenant que voicy l'an septieme venir,
Ne pensez plus, Helene, en vos laqs me tenir ;
La raison m'en deliure et vostre rigueur dure.

4. *Ungue meam morso sæpe querere fidem.* Le Brun, *Odes*, III, 9 :

Beauté capricieuse et vaine,
Tu sauras quel amant ton cœur a pu trahir.

Bertin, *Amours*, II, *élégie* 7 :

Tu pleureras un jour ta rigueur imprudente ;
De mon amour trop tard tu connaîtras le prix.

7. *Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit.* Parny, lib. IV, eleg. 5, (ed. 1784) :

Je sens pour toi mon ame se fermer ;
Je pleure encor, mais j'ai cessé d'aimer.

11. *At te celatis ætas gravis urgeat annis.* Parny, *Mélanges* (*Demain, à Aglaé*) :

Mais le Tems du bout de son aile
Touchera vos traits en passant.

Malherbe, lib. II, *Stances* (1586) :

Le Tems à mes douleurs promet une allégeance,
Et de voir vos beautés se passer quelque jour :
Lors je serai vengé, etc.

15. *Exclusa inque vicem fastus*, etc. Parny, *Mélanges*, (*Courroux d'un amant*) :

Qu'elle tombe aux pieds d'un amant,
Et qu'il soit sourd à sa prière ;
Qu'elle éprouve enfin le tourment
D'aimer et de cesser de plaire.

FINIS LIBRI TERTII.

SEXTI AURELII

PROPERTII

LIBER QUARTUS.

CARMINA.

LIBER QUARTUS.

CARMINA.

CARMEN I.

ROMA.

Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Ænean collis et herba fuit;

1. *Hoc, quodcumque vides*, etc. Hunc, quem ingredimur, librum Lachmannus QUINTUM facit (vide notata II, 10, 1), qui sententiam suam, partim a Barthio jam ante positam (vide not. ad Propertii Vitam Chronolog. pag. 13 sqq.), confirmans, plura hoc in libro esse carmina, non ab ipso poeta elaborata, sed quæ ab ejus amicis ita, ut in ceras temere conjecta, rudia quidem illa et indigesta (quod in hoc poeta non mirum, quem durum ad verba numeris includenda in prioribus libris jam perspexeris), invenerant, edita fuerint: « De hoc ne dubitares, inquit, versus Propertii, quoties rupto sententiarum filo non bene cohærebant, spatiis intermediis relictis distinximus; id quod quum sæpissime debuerit fieri (et poteramus id sæpius facere, nisi multa tolerassemus), et præterea tam multa minus polita et inculta et imperfecta nemo non possit agnoscere, non speramus inventum iri, qui hæc fragmenta potius, quam primas lineas et formas quasi carminum, dicere velint. Sed de primo carmine ita statuo, priorem ejus partem (vss. 1—70) alio, ac posteriorem (vss. 71—150), tempore scriptam esse. Tam enim serio agit a principio, ut omnia risus causa conficta esse non possim credere. Et voluisse sane Propertium Fastos condere ex aliis hujus libri carminibus satis constare videtur; secundo, quarto, nono, decimo, et, nisi fallor, etiam sexto. Cæterum, an primus ejusmodi opus susceperit, ignoro. Simile poema Aulus Sabinus, qui tamen quando obierit incertum est, non absolutum reliquit, Ovidio teste, Pontic. IV, 16, 15—16. Sed quem Plutarchus in Romulo commemorat, uno etiam disticho allato, quocumque tempore vixerit, Græce scripsit, uti et Simulus poeta, cujus quatuor disticha Plutarchus ibidem ponit, cap. 17. » — De qua re

Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phœbo,
Evandri profugæ concubuere boves.

Fictilibus crevere deis hæc aurea templa;
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa;
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat....

Et Tiberis nostris advena bubus erat....

Qua Gradibus domus ista Remi se sustulit, olim

quum nobis etiam manifeste pateat, in multis hujusce libri nihil aliud, quam primas carminum lineas ac formas, quærendum esse, adeo concisum et brevem statim factum eumdem poetam comperimus, quem, ut sententiæ suæ aliena ornamenta contraheret, veteres miscentem fabulas, sineret non sineret compositio carminis, priores libri prodiderant; in multis deprehendi formas scribendi novas, quæ Propertium nec decent nec certe habent auctorem, sed additamenta sunt ab amicis, quum primitus liber editus est; jam igitur suaderi interpreti cum diligentia festinationem; æquus et bonus quicumque animus accipiat, si mutata parumper annotandi ratione nostra negligimus hic demum quæ facilius omitti possunt, inprimis Gallicas ex auctoribus nostris, quas appellare nobis solitum, Imitationes, et, quoties tuto licebit, recensum et disquisitionem omnem de Codicum scriptura varia, scilicet, ut accedant plura lectionis novæ scriptis addicentibus, sed iisdem in interpretatione non relatis, qui correctionis originem significent.— Cum primo disticho cf. Ovid. Fast. V, 93: « Hic, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor et herbæ Et pauca pecudes et casa rara fuit. »

3. *Navali Phœbo sacra Palatia;* templum in Palatio Apollini *Navali* (Actio) ab Augusto positum, de quo Noster II, 31, et IV, 6, 11. — *Evandri.* Evander Arcas, satis notus ex Virgilio. Vide Heynii Excursum I ad Æneid. VIII. — *Concubuere*, concumbere solitæ erant. — Ovidius, Art. Amat. III, 119: « Quæ nunc sub Phœbo ducibusque Palatia fulgent, Quid nisi arvatis pascua bubus erant? »

5. *Fictilibus*, etc. Dii, inquit, quum primitus essent fictiles, hæc habuerunt demum templa aurea. — *Aurea.* Vide II, 31, 1. — *Nec fuit opprobrio*, illis diis opprobrio, etc. — Ovidius, Fast. I, 201: « Juppiter angusta vix totus stabat in æde, Inque Jovis dextra fictile fulmen erat. » — *Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat;* Jupiter Tarpeia de rupe nuda ante Capitolium conditum.

8. *Advena Tiberis erat bubus nostris*, extra regni fines longinquus, quem adirent nostræ boves.

9. *Qua Gradibus*, etc. Broukhusius, ubi cæteri pessime distin-

Unus erat fratrum maxima regna focus.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites;
Centum illi in prato sæpe senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro;
Pulpita sollemnes non oluere crocos.

guunt, « *Quo gradibus* domus ista Remi se sustulit olim, etc. » Broukhusius, inquam, unus reposuit: « Quo gradibus domus ista Remi se sustulit! Olim Unus erat fratrum maxima regna focus. » Sed ne sic quidem vitio caret sententia. Romuli enim casa post ejus tempora altior facta non fuit: hoc tantum, in latius spatium tota urbe extenta est. Neque *gradibus* recte explicare videntur *gradatim*, quum aliter poni soleat, uti apud Virgil. Æneid. I, 448, « Ærea cui *gradibus* surgebant limina, nexæque Ære trabes. » Tu scribe cum Heinsio: « *Qua* Gradibus domus ista Remi se sustulit, olim Unus erat fratrum maxima regna focus; » quod libri duo confirmant. Illa parvula domus, inquit, olim Romuli regia fuit. *Sustulit se* non ἐκορέσατο, sed propria perfecti temporis significatione dicit: alte exstat, quæ superius aliis exstitit posita. Virgilius, eclog. I, 25: « Verum hæc tantum alias inter caput *extulit* urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi. » *Gradibus* autem, quod adjectum est, Plutarchus illustrat in Romulo, cap. 20: « Tatius domum habuit ubi nunc Monetæ est ædes; Romulus ad *pulchri litoris* quos vocant *Gradus*, circa descensum ex Palatio in circum Maximum. » Lachmannus. — Romuli hæc est domus, quam in urbe per annos monumentum servatam, Romanis assidue reparantibus ad antiquam formam, culmis et stramine, scribit Vitruvius II, 1.

11. *Prætexto.* Vide III, 3, 32.

13. *Ad verba*, ad concionem. — *Centum illi sæpe senatus erat. Erant* habent impressi, scripti omnes *erat*; hoc et illud rectum. Propertius I, 20, 33: « Hic *erat* Arganthi *Pegæ* sub vertice montis Grata domus Nymphis humida Thyniasin » (ubi vide not.); IV, 9, 20: « Nobile *erit* Romæ *pascua* vestra forum; » II, 14, 23: « Hæc mihi devictis potior *victoria* Parthis, *Hæc* spolia, *hæc* reges, *hæc* mihi currus *erunt*; » III, 9, 34: « Mæcenatis *erunt* vera tropæa *fides*. » Libro II, 25, 48: « Quum... Una *sit* et cuivis *femina* multa mala; » IV, 1, 10: « Unus *erat* fratrum maxima regna *focus*; » IV, 4, 13: « Murus *erant montes*. »

15. *Vela*; de quibus dictum III, 18, 13. — *Pulpita non oluere crocos. Pulpitum* pro theatro. *Crocos* hic intellige odoratam aquam compressam fistulis, quæ tenuis et quasi nimbus erumpens spectatores per theatri gradus amœno fri-

Nulli cura fuit externos quærere divos,
Quum tremeret patrio pendula turba sacro....

Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis;
Ducebant macræ vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci;

gore recrearet. Romanorum ad quem usum alludens Seneca, epist. XC, 12 : « Hodie utrum tandem sapientiorem putas : qui invenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat; qui...? » Martialis, epigr. V, 25, 7 : « Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo Spargere, et effuso permaduisse croco? » — *Sollemnes* (in usu nunc) *croci*. — Cum Nostro confer Ovidium, Art. Amat. I, 103 : « Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro, Nec fuerant liquido pulpita rubra croco. »

18. *Quum tremeret*, etc. religio ipsa patriæ quum vulgo satis injiceret metum.

19. *Annuaque accenso*, etc. Non cohæret, nisi *celebrare* pro *celebravere* positum velis, qualia nusquam inveniri satis constat. Nam *properare* apud Catullum LXVI, 45, corruptum est. Itaque scriberem : « Nulli cura fuit externos quærere divos.... Annua *at* accenso celebrare Palilia fœno, » nisi in hoc carmine vel potius in his carminis rudimentis nihil cohærere scirem. Lachmannus. — Mihi ad lib. II, 26, 12, de verbo hoc *celebrare*, item de altero *vocas* sententia diversa fuerat; sed agnosco hic esse falsum quod conjeceram, præsertim quum nostro hoc carmine, id est, non elaboratis versibus alterum occurrat, alterum, ut vidimus, loco suo de tempore præsente rectum sit. — *Palilia* erant XI Kal. Mai. (die Aprilis 21), quo ipso die prima urbis fundamenta a Romulo jacta. Vide Gierig. ad Ovid. Fast. IV, 721. — *Curtus equus*, equus cauda secta. Scilicet quinto quoque anno equum in campo Martio Marti cædebant; sanguinem exceptum, qui de cauda secta stillaverat, cremabant Palili sacro, religiose servatum Vestæ in æde; (Ovid. vs. 731 sqq.). Vide Festum in *Equus October*.

21. *Vesta coronatis asellis gaudebat*. Vesta dormiens, quum ad illam furtim accederet Priapus, excita ab asino rudente fefellit spem impuram libidinis; cujus rei memoria exstat asinus coronatus mola apud Ovid. Fast. VI, 311 sqq.

23. *Lustrabant porci compita*. Sacra Compitalia, in quibus cæsi porci Laribus. — *Parva*. In qua re antiquorum temporum differentiam ponat, perpende. Non qui-

Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus sætosa movebat arator,
Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.

Nec rudis infestis miles radiabat in armis :
Miscebant usta prælia nuda sude.
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo....

Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves....

Hinc Tities Ramnesque viri, Luceresque coloni;

dem in *saginatis porcis;* nam auctam fuisse postea Compitalium religionem nihil constat. *Parva* igitur *compita* illis temporibus videtur adscribere, quæ nunc majora esse. At num majora in magna urbe compita sunt, quam in parva? Nequaquam : quin et sæpe minora fiunt, quum ædificia extra muros amplius extendi non possunt. Quo igitur hic *parva compita?* Scilicet, si Passeratium audimus, sues altiles mactabantur lustrandis compitis, *sine sumtu et magnificentia.* Ita interpretando, poetam id, quod nos volumus, dicere cogimus. Repone : « *Pauca* saginati lustrabant compita porci. » Lachmannus. — *Ovis exta litare,* mactare ovem diis. Sed forma poetica usus est. *Litare exta*, ut *litare sacra* Ovidius Fast. IV, 630, Statius Silv. III, 3, 212.

25. *Verbera pellitus*, etc. Lupercalia. Aratores, inquit, per urbem currebant *moventes sætosa verbera*, sætosis scuticis (victimarum sectis pellibus) verberantes turbam obviam, mulieres præsertim, in quibus ita sterilitatis vitium corrigerent; *unde sacra habet Lupercus*, unde instituta Lupercalia. — *Fabius Lupercus*, Lupercorum Fabia gens, pro Lupercis universis, quorum erant collegia duo, Fabianum et Quintilianum, dicta ab antiquis præfectis suis Fabio et Quintilio.

28. *Prælia nuda* sunt, quæ non instructa aptis armis. Silius Ital. VI, 46 : « non hasta viro, non ensis; in artis Abstulerat fors arma : tamen *certamine nudo* Invenit Marti telum dolor. » — *Lucmo*, Lucumo sive *Lucumonius*, Tuscus, quem habuit Romulus socium in bello Sabino. Vide Propert. IV, 2, 51—52. — *Galeritus Lucmo*, caput ferina pelle tectus pro galea. — *Prima prætoria posuit;* castra quomodo ponenda essent, primus docuit.

30. *Res*, opes, fortunæ.

31. *Tities*, *Ramnes*, *Luceres.* Varro, de Ling. Lat. IV, 9 : « Ager Romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatæ *Tatiensium*, *Ramnensium*, *Lucerum;* nominatæ, ut ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed hæc omnia vocabula Tusca, ut Volumnius, qui

Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanæ parva eminus urbe Bovillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi,
Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata,
Hac, ubi Fidenas longe erat ire vias.

Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
Sanguinis altricem non pudet esse lupam.

Huc melius profugos misisti, Troja, Penates.
O quali vecta est Dardana puppis ave!

tragœdias Tuscas scripsit, dicebat. » Quos Varro *Tatienses*, Livius I, 13, cum Nostro *Titienses* vocat ab Tito Tatio; cæterum « *Lucerum* nominis et originis causam incertam esse. » — *Tities*. Vide III, 3, 32. — *Hinc quattuor albos equos egit Romulus*. Romuli triumphus de Cæninensibus, et prima suspensa Jovi opima spolia. Vide Livium I, 10. Cæterum pedibus Romulum victorem triumphasse Plutarchus auctor est, Dionysius Halicarn. cum Nostro quadriga.

33. *Parva eminus*. Vulgarem lectionem Codicum, « Quippe suburbanæ parva *minus* urbe Bovillæ, » viri docti frustra conantur exponere *Bovillas tum, parva quum adhuc Roma esset, minus suburbanas* (*magis ab ipsa Roma distantes*), trajecto vocabulo *minus* ad *suburbanas Bovillas*, quod jungi cum *parva urbe* orationis compositio aperte docet. Recte Lachmannus una addita litera correxit : « Quippe suburbanæ parva *eminus* urbe Bovillæ; » Bovillas, quæ nunc suburbanæ, eminus fuisse tum, modica adhuc exstante Roma. Scripti apud Burmannum alii confirmant, in quibus *parvæ minus*. — *Et, qui nunc nulli* sunt, *Gabios* tum exstitisse *turbam maximam* (urbem civibus innumeris). — *Alba nata albæ suis omine*. Varro, de Re Rust. II, 4; Virgil. Æneid. III, 389 sqq. — *Hac, ubi Fidenas*, etc. Bovillæ, inquit, et Gabii et Alba stetit *hac* (Italiæ hac parte, in Latio), *ubi longe erat ire Fidenas vias* (ubi longum erat iter ire ad Sabinos, Fidenas). — *Ire vias*. Vide I, 1, 18, II, 13, 40. — *Fidenæ viæ* pro Fidenatibus, quomodo *Fidenam urbem* Virgilius, Æneid. VI, 773.

37. *Nil patrium*, etc. Nobis, inquit, de tam parvis Romæ initiis, nihil, quod a patribus nostris acceperimus, præter nomen superest, sed nec pudet gentem referre ad lupam originem suam.

40. *Quali ave*, quali auspicio. Sic *avis* mox vers. 68, et carm. 6, 20; confer III, 10, 11. Sed et *mala avis* Noster cum indignatione ad lenam IV, 6, 6 : « Concordique toro *pessima* semper *avis*; » (quo plane modo nos *un oiseau de mauvais augure*.) — *Dardana puppis*, navis Æneæ. — *Vecta*. Vide III, 21, 19. Cæterum *Heu quali* scripti

Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Læserat abiegni venter apertus equi,
Quum pater in gnati trepidus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
  Vexit et ipsa sui Cæsaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojæ,
  Felix terra tuos cepit, Iule, deos;
Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
  Dixit Aventino rura pianda Remo,

habent Codices perperam : lege cum impressis *O quali ave!*

41. *Illam.* Quid *illam?* An *Trojam* quæ præcessit, aut *avem*, aut *puppim?* an *cervicem*, quæ sequitur? Alterutrum tentes, æque repugnat oratio. Recte Schraderus : « Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil *illos* Læserat abiegni venter apertus equi. » *Illos*, Penates. — *Venter apertus abiegni equi*, Græcorum agmen ex equo ligneo.

43. *Pater*, Anchises. — *Flamma*, Trojæ incendium.

45. *Animi Deci* (Decii), Deciorum virtus. *Decius* adjective, ut *Curius, Horatius, Æmilius*, etc. de quo vide III, 3, 32. — *Vexit et ipsa Venus arma sui Cæsaris.* Venerem, hoc est, Æneam et Iulum Venere auspice, attulisse secum in Italiam magnorum virorum animos et Juliæ gentis fortunam.

47. *Portans.* Quintus casus : *Iule portans arma resurgentis Trojæ.*

49. *Si modo.* Affirmatio per dubium; hoc est, per dubitandi formam id, quod præcessit, confirmatum : « Felix terra, inquit, accepit, Iule, deos tuos; *nam* de Roma, ante quam exstaret, Sibyllæ et Cassandræ vaticiniis fuisse prædictum. » Sic II, 30, 35 : « Hic quoque non nescit, quid *hit* amare chorus, *Si tamen* Œagri quædam compressa figura Bistoniis olim rupibus adcubuit; » (Musas ipsas haud rudes amoris esse, *quippe* quarum Calliope ex Œagro Linum et Orpheum suscepit.) Libro III, 17, 17 : « Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,.... *Dummodo* purpureo spument mihi dolia musto; » (Ipse vites seram, *et* spumabunt mihi purpureo musto dolia.) Hoc nostro carmine, vs. 75 : « Certa feram certis auctoribus; *aut* ego vates Nescius ærata signa movere pila; » (Certa certis ex auctoribus proloquar; *neque enim* sum vates nescius signa movere ærata pila.) — *Si modo Avernalis cortina rura dixit pianda Aventino Remo;* id est, rura, quibus aliquando Remus litaret sanguine suo. *Piare*, sacrificare. Ovidius, Fast. I, 318 : « Quattuor adde dies ductis ex ordine Nonis; Janus Agolani luce *piandus* erit. » Horatius, epist. II, 1, 143 : « Agricolæ prisci, fortes parvoque beati,...

Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis
Longævum ad Priami vera fuere caput:
Vertite equum, Danai! male vincitis; Ilia tellus
Vivet, et huic cineri Juppiter arma dabit.

Optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!
Mœnia namque pio conor disponere versu.
Hei mihi, quod nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ serviet omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:

Tellurem porco, Silvanum lacte *piabant.* » Propertius III, 10, 19: « Inde coronatas ubi ture *piaveris* aras. » Quin et *piare sacra*, id est, patrare, I, 1, 20: « At vos deductæ quibus est fallacia lunæ, Et labor in magicis *sacra piare* focis. » — *Avernalis cortina*, ab Averno lacu. — *Tremula Sibylla*, annosa tremula. — *Aventinus Remus*, qui in Aventino monte ad inaugurandum stetit. — *Aut si Pergameæ vatis* (Cassandræ) *carmina ad Priami caput* (Priami ad aures), quamquam *sero rata*, *vera fuere* demum: « *Vertite equum*, *Danai!* (reducite in castra vestra equum ligneum!) *male vincitis* (frustra et adversantibus fatis); *Ilia tellus* (urbs) *vivet* (resurget victrix), *et huic cineri Juppiter arma dabit* (ultores aliquando incensis mœnibus nostris). »

57. *Mœnia pio versu conor disponere;* ædificare pius auctor Romam his meis versibus. Non multo magis mirum hoc, quam II, 1, 18: « Quod mihi si tantum, Mæcenas, fata dedissent, Ut possem *heroas ducere in arma manus.* »

59. *Quodcumque rivi e pectore exiguo fluxerit. Rivum fluere* ingenium, locutio apud veteres exemplis innumeris. Horatius, sat. I, 4, 11: « Quum *flueret* lutulentus (*Lucilius*), erat quod tollere velles. » Sat. I, 10, 62: « Etrusci Quale fuit Cassi rapido *ferventius amni Ingenium.* » Et Carm. IV, 2, 5: « Monte decurrens *velut amnis*,... *Fervet immensusque ruit* profundo Pindarus ore. » Ovidius, Fast. I, 24: « Scimus et, ad nostras quum se tulit impetus artes, *Ingenii currant flumina* quanta tui. » Idem, Pontic. II, 5, 21, Salano gratias agens, quem non pigeat amici exsulis versus legere: « *Ingenioque* meo, vena quod paupere *manat*, Plaudis, et *e rivo flumina* magna *facis.* » Juvenalis, sat. X, 119: « Eloquio sed uterque perit orator (Demosthenes et Cicero); utrumque Largus et *exundans* leto dedit *ingenii fons.* » — *Exiguo pectore.* Vide II, 1, 40.

61. *Ennius;* de quo vide III, 3, 6. — *Dicta sua* (carmina) *cingat hirsuta corona* (lauri duris foliis;

Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua;
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma, fave, tibi surgit opus: date candida, cives,
Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra diesque canam, et cognomina prisca locorum:
Has meus ad metas sudet oportet equus.

Quo ruis imprudens, vage, dicere fata, Properti?

sic *dura corona* III, 1, 20): *hederam* sibi, *Romano Callimacho*, satis esse. De *Callimacho*, II, 1, 40.

65. *Scandentes arces de vallibus.* Vide Propertii Vitam Chronolog. pag. 7 sq. *Æstimet ille muros ingenio meo*, assignet ille muris ex ingenio meo pretium. Sic Ovidius, Amorr. III, 15, 11: « Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi Mœnia, qua campi jugera pauca tenent: Quæ tantum, dicet, potuistis ferre poetam, Quantulacumque estis, vos ego magna voco. »

68. *Avis.* Vide vs. 40.

70. *Equus meus.* Ovidius quoque, Fast. II, 360: « Adde peregrinæ causam, mea Musa, Latinam, Inque suo *noster* pulvere currat *equus*. » Fast. IV, 10: « Quæ decuit, primis sine crimine lusimus annis: Nunc teritur *nostris* area major *equis*. »

71. *Quo ruis*, etc. Horus mathematicus, qui mox, qui sit, narrat (vss. 77—78), intervenit reprimens tam magnos et incautos ambitiosæ Musæ spiritus; astrologiæ artem et divinandi peritiam suam prædicat; Propertii anteactam vitam exponit, futuram vaticinatur. Sed hæc omnia, ut recte Lachmannus observat, tam parum cum superioribus coeunt, quantum distat ab jocis severitas epica. — *Vage Properti.* Impressi libri *vaga facta;* ut videtur, ex emendatione Heinsii: « Quo ruis imprudens *vaga* dicere *facta* Properti? » Lachmanno *vaga facta*, vel, quod habent Codices multi, *fata* intelligere se negante, *vaga* enim pro *variis* Latine non dici. Neque ego certe velim pro *variis*, hoc est, *diversis*, accipere, sed quomodo apud Ovidium, Metam. XI, 667: « non hæc tibi nuntiat auctor *Ambiguus*, non ista *vagis* rumoribus audis. » Nihilominus *vaga fata* hoc ipso sensu quia fortasse nullus alius auctor præter Nostrum dixit, nec libris, in quibus exstat, magnam tribuese fidem solemus, idem Lachmannus recte, opinor, certe tutius, ex Neapolitano et alio (nam de Groningano nihil constat, Mentelianus inepte *vaga verba*): « Quo ruis imprudens, *vage*, dicere *fata*, Pro-

Non sunt ah! dextro condita fila colo.
*Arcessis lacrymis cantus: aversus Apollo;
Poscis ab invita verba pigenda lyra.*
Certa feram certis auctoribus; aut ego vates
Nescius ærata signa movere pila.
Me creat Archytæ soboles Babylonius Horops
Horon, et a proavo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos,
Inque meis libris nil prius esse fide.

perti? Non sunt ah! dextro condita fila colo. » *Fata*, Romanorum fata evolvenda, per quæ vagus rueret Propertius. *Imprudens* autem junge cum *dicere* (*imprudens fata dicere*), ne triplex vocativus sit *imprudens vage Properti*. — *Non sunt fila* tua *dextro colo condita*, non dextro filo deduces tam grave carminis opus. Horatius simili metaphora, epist. II, 1, 225: « Quum lamentamur, non adparere labores Nostros et tenui *deducta poemata filo*. » Columella citatus in notis his III, 3, 21: « ... Et secum gracili *connectere carmina filo*. » — *Dexter colus* pro *dextra*, quomodo etiam Catullus in hoc vocabulo vulgarem usum mutavit (Carm. LXIV, 312). Vide not. IV, 5, 72.

73. *Arcessis.... lyra.* Nihil hic in Codicibus, præter scripturæ corruptæ turpem variationem. Heinsius correxit, quocum Broukhusius, Burmannus, cæteri: « *Aversis Charisin cantas*; aversus Apollo *Poscitur* invita verba pigenda lyra; » (*Aversis Charisin*, aversis Gratiis, *cantas*; recte; sequentia non intelligo, *aversum Apollinem posci invita verba pigenda lyra*); post Heinsium Lachmannus melius haud dubie ita: « Arcessis *Latium*; *cantas*: aversus Apollo; Poscis ab invita verba pigenda lyra; » (Tu omne Latium, ut tuo carmini adsit, convocas; canere jam incipis: nihil agis; aversus Apollo est; lyra invita carmen pigendum edere cogitur.) Scilicet, ut ad ea respiciat, quæ Propertius vs. 67 dixerat: « *Roma*, *fave*, tibi surgit opus: *date candida*, *cives*, *Omina*.... Sacra diesque *canam*, et cognomina prisca locorum. » Astrologi irridentis similis est jocus vs. 126, cum quo confer 66.

75. *Aut.* Vide supra vs. 49. — *Pila* (sphæra) *ærata*, in qua circumagit astrologus fixa signa cælestia.

77. *Me creat*, etc. Horus sum; mihi pater Horops, Archytæ soboles. — *Me creat*, me genuit. Vide III, 22, 13. — *Horops Babylonius*, artis Babyloniæ peritus, quomodo Tiberii mathematicos *gregem Chaldæum* appellat Juvenalis sat. X, 94. — *Archytas* et *Conon*, astrologi apud Horat. Carm. I, 28, 2, et Catull. LXVI, 7.

79. *Non degenerasse* me *propinquos* meos. *Degenerare* cum casu quarto; sic Ovidius Metam. VII, 543, Pontic. III, 1, 45. — *In libris meis nil prius fide esse*, rem summam in libris meis esse fidem (verum).

Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
Juppiter, obliquæ signa iterata rotæ....

Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput;
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua.

[Dicam : Troja, cades, et Troia Roma resurges;
Et maris et terræ longa sepulcra canam.]

Dixi ego, quum geminos produceret Arria natos,
Illa dabat natis arma vetante deo,
Non posse ad patrios sua pila referre Penates :
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.

81. *Nunc pretium fecere deos* astrologi; hoc est, rem venalem deos; lucri cupidine artem suam fallunt, adulterant; *et fallitur auro Juppiter*, atque auro infidi mentiuntur Jovem : in explicanda genesi, quo majus præmium ferant, non pudet illos mentiri Jovis fortunatum sidus. — *Deos pretium*. Vide III, 19, 15. — *Obliqua rota*, zodiacus, cum *iteratis signis* suis, quæ sex ad Boream, sex ad Austrum posita.

83. *Felicesque*, etc. Siderum natura triplex in superstitionibus his : alia reputata *felicia*, ut Jupiter, Venus; alia *tristia*, ut Saturnus (qui *in omne caput gravis*), Mars (qui *rapax*, violentus), Scorpio, Capricornus; alia *communia* erant, ut Mercurius.

85. *Quid moveant Pisces*, quid secum vehant, afferant nascenti homini. — *Capricornus lotus aqua Hesperia*; quem lavat mersum Hesperia unda. Occasum Capricornus regit; vide Manilium IV, 789, Horat. Carm. II, 17, 18.

87. *Et Troia Roma resurges. Troia Roma*, primus casus : « Et resurges, Troja, Roma Troia. » — *Et maris et terræ longa sepulcra canam*; Trojanorum tot mari clades, tot terra, donec Æneæ fortuna vicerit. *Maris sepulcrum*, ut Æschylus ἅδην πόντου dixit in Agamemn. vers. 660. Vide I, 22, 3.

89. *Dixi ego*, etc. Hori peritia probata exemplis. Versiculus 90 per trajectionem ita : « Dixi ego, quum geminos produceret Arria natos (Illa dabat natis arma vetante deo), Non posse ad patrios sua pila referre Penates. » — *Arria quum geminos natos* (Lupercum et Gallum, vss. 93, 95) *produceret*, missos ad bellum prosequeretur abeuntes. — *Natos... natis*. Affectatio in verbis, quam ubique prodit astrologus. Sic versu 75 *certa.... certis*; vss. 93—94 *equi.... equo*; vss. 95—96 *signa... signa*. — *Pila*, arma, ut III, 3, 7.

Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu! sibi prolabso non bene cavit equo;
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilæ signa cruenta suæ:
Fatales pueri, duo funera, matris avaræ.
Vera, sed invito, contigit ista fides.
Idem ego, quum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junoni votum facite impetrabile, dixi:
Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyæ Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbrave quæ magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda via est cæli, verusque per astra

96. *Aquilæ signa;* plane ut *aquilæ signiferum* dixit Ovidius, Fast. V, 586.

97. *Matris avaræ;* quæ natis militiam indixit, ut prædam facerent.

99. *Cinaræ.* Puellæ fictum nomen etiam apud Horatium, Carm. IV, 1, 4.

101. *Junoni (dixi) votum facite;* vos facite, quos habet secum, dum parit, misera.

103. *Hoc neque*, etc. Hæc ego quæ doceo, inquit, nec Jovis oraculum explicat, nec inspecta victimarum fibra, nec volantes aves, nec saga docta evocare umbras; sed *adspicienda via est cæli*, etc. — *Antrum Jovis Libyæ.* Vide II, 27, 6. Oraculum est Hammonis, de quo præter cæteros Curtius IV, 7. — *Aut fibra locuta commissos sibi deos;* aut exta conscia, quæ declarant deos. — *Aut si quis senserit* intellexerit) *motas cornicis alas;* aut quicumque peritus divinationis per aves. De forma hac *Aut si* vide III, 13, 44. — *Umbrave quæ.* Si Codices addicerent, ferrem quod vulgo legitur editum: « Umbra *neque hæc* magicis mortua prodit aquis; » (hoc neque evocatam umbram revelare magicis aquis, sagarum arti prodere). Nunc ubi scriptura diversa Groninganus *Umbra neque in magicis*, Mentelianus cum aliis *Umbraque ne magicis*, nonnulli *Umbra neque a* vel *neque e magicis;* haud dubitanter repono cum melioribus criticis: « Umbra*ve quæ* magicis mortua prodit aquis » (hoc umbra non explicat, quam trahit ex Orco vis magicæ aquæ), quod fere habet Neapolitanus ita: *Umbrane quæ magicis.*

107. *Via cæli*, astrorum cursus. *Cæli vias et sidera* Virgilius ita Georg. II, 477. — *Verusque per astra Trames. Trames per astra*, zodiacus; *verus*, cujus indicia certa sunt; rectissime. Pro quo impressi

Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates;
Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit:
Nec rediere tamen Danai. Tu diruta fletum
Supprime, et Euboicos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa suis.

Victor Oilide, rape nunc et dilige vatem,

ante Lachmannum: « Adspicienda via est cæli, *versusque* per astra Trames. » Hoc quidem nolim præferre, ubi Neapolitanus, Mentelianus, undecim alii *verusque* consensu exhibent. Nihilominus, ut quod sentio loquar, an, quantum Lachmanno videtur, diversus est locus ille notus Georgic. I, 238: « via secta per ambas, Obliquus qua se signorum verteret ordo? » In via zodiaci, inquit Virgilius, se vertit obliquus signorum ordo; via igitur ipsa versa, aut, quod Noster, *trames versus*. — *Et ab zonis quinque petenda fides.* Zonæ quia astrologiæ artem nil quidquam juvant, Dousa planetarum orbes, hoc est, planetas ipsos, accipit, quos non septem, sed quinque, vetus ævum numerat, solis ac lunæ distinctione facta; *stellis* hoc sensu vult Scaliger; nos de solita astrologi magniloquentia reddimus: *Et ab zonis quinque* (ex cæli quibuscumque partibus) *petenda fides.*

109. *Exemplum grave erit Calchas;* qui nos doceat, quam vana sint auguris verba. Scilicet ex Aulide classem ventis tradidit, *nec rediere tamen* (quamvis promisisset) *Danai.* — *Rates bene hærentes ad pia saxa;* ad saxa, quæ, quum facerent navibus moram, pie obstabant hominum stragi. — *Fletum, Troja, supprime. Lacrymas supprimere* etiam III, 10, 8. — *Nauplius ultores*, etc. Vide III, 7, 39. — *Pressa* (oppressa) *exuviis suis* (suis de Troja exuviis). Sed miror, Lachmanno raram appellari hanc formam *spolia mea*, pro *spoliis, quæ feci mea ex alio.* Nam præter versum Nostri III, 13, 12, « Et *spolia opprobrii* nostra per ora trahit » (sua de nobis opprobrii spolia), et Virgilii, Æneid. XII, 94, « validam vi corripit hastam, *Actoris* Aurunci *spolium* » (detractum Actori), idem Virgilius simili plane modo, Æneid. XI, 4: « *Vota deum* primo victor solvebat Eoo; » (sua deorum vota, quæ debentur diis;) Propertius I, 3, 37: « Namque ubi longa *meæ* consumsti tempora *noctis?* » (*noctis meæ*, tuæ, quæ mihi debita erat;) libro III, 14, 23: « Nec *timor*, aut ulla est clausæ tutela *puellæ*, (ubi vide notata;) IV, 3, 38: « Qualis et hæc docti sit *positura dei;* » (ubi vide not.;) IV, 11, 62: « Nec *mea* de sterili facta *rapina* domo; » (*rapina mea* passive.)

117. *Oilides*, Ajax, cujus amor

Quam vetat avelli veste Minerva sua.

Hactenus historiæ : nunc ad tua devehar astra.
Incipe tu lacrymis æquus adesse novis.
Umbria te notis antiqua Penatibus edit;
Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,

sive potius impura vis in Cassandram, quum Troja caderet, Minervæ templum fœdavit. — *Oilide.* Miror et hic et in Sabini epist. I, 101, viros doctos *Oiliden* facere, qui Græcis Ὀϊλιάδης est. Sed apud Sabinum Codices fortasse habeant consentientes : hic omnes literam *a* agnoscunt, *Victor o iliade* fere exhibentes. Nihilominus aliud quid dedisse Propertium persuadent mihi optimæ membranæ Groninganæ, e queis Livineius *Oilade victor* enotat, *Oliade victor* Burmannus. Repono : « *Iliade victor*, rape nunc et dilige vatem. » De rara hac forma, quam et Græci usurparunt, Ἰλιάδης, quæ vel doctis librariis fraudi esse potuit, post alios disputantem audi et grammaticorum annotata examinantem Hermannum, de Emendanda ratione Græcæ grammaticæ, pag. 41. Cæterum fieri potest, ut Propertius scripserit *Oiliade victor*, Ὀϊλιάδη, quod et librarius Groninganus voluisse videtur : sed nos grammaticos Græcos tutius, quam rationem et Codicem Latinum, sequemur in hoc docto poeta, qui Græcas elegantias probe et nimis accurate didicerat. Lachmannus.

119. *Hactenus historiæ;* de prisco tempore satis hæc. — *Incipe tu adesse æquus* (patienter) *lacrymis novis* (infortuniis hujus ævi tui recentibus). — *Incipe.* Vide II, 1, 31.

122. *Mentior*, etc. Lege ita : « Umbria te notis antiqua Penatibus edit (Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?) Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo, etc. » — *Umbria te edit*, edidit. Cf. III, 22, 13. — *Notis Penatibus.* Adjectivo *notus* frustra quærit Barthius reconditum sensum; vide Propertii Vitam Chronolog. pag. 9. Nec melius *Kuinoel* ita : « *Notos Penates* patriam Propertii horoscopus vocat, quoniam eam poetæ ingenium nobilitaverat. » Sed applicanda hic nostra de otiosis epithetis regula, posita III, 11, 18. — *Qua*, etc. Scilicet : « Umbriæ ea parte, qua nebulosa rorat Mevania, et Clitumnus æstivis aquis intepet, et cum vertice scandentis arcis assurgit murus, qui patriæ tuæ murus est. » Non ipsa urbs Mevania igitur Propertii patria, ut præter alios scripsit etiam nuperus editor (ann. 1825) *F. G. Pottier;* sed urbs Mevaniæ contermina (Hispellum), colli imposita eminens. *Mevania* autem, tractus Umbriæ qui Mevania dicitur (*la Mévanie*), in valle Spoletina, unde *cavus* aut *subpositus* (I, 22, 9) *campus*, et *valles* hoc nostro carmine vs. 65. Statius, Silv. I, 4, 128 : « Qua nunc tibi pauper acerra Digna litem? Nec si vacuet Mevania *valles*, Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros, Sufficiam. » — *Nebulosa rorans* hæc terra, quæ pariter apud

Et lacus æstivis intepet Umber aquis,
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, et in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua quum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris et ante deos libera sumta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

At tu finge elegos, fallax opus, hæc tua castra,
Scribat ut exemplo cætera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,

Silium Ital. VI, 646, *nebulas exhalat inertes.* — *Lacus Umber*, Clitumnus; vide II, 19, 25. — *Arx*, ut sæpe, mons, collis. — *Consurgit.* Vide III, 9, 17. — Cf. Propertii Vitam Chronolog. ad ann. 702, pag. 7 sqq.

127. *Ossa patris legisti, non illa tua ætate legenda.* Vide Propertii Vitam Chronol. ad ann. 711. — *Et in tenues cogeris Lares.* Ipse Propertius de se II, 34, 55 : « Adspice me, *cui parva domi fortuna relicta est.* » Eodem libro II, 24, 38, ubi loquentem fingit Cynthiam : « Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito Nobilis, et *quamvis non ita dives eras.* » — *Abstulit* tibi *excultas opes tristis pertica;* in illa agrorum tam iniqua partitione, veteranis concessa ann. 713.

131. *Bulla.* Figura cordis suspensa collo, ornamentum primis annis, donec ætatis anno 16 virilem togam sumerent. *Aurea* pueris nobilibus erat, plebi scortea. — *Libera toga*, quæ et *virilis* et *pura* dicta. De hac Ovidius, Fast. III, 771 sqq. — *Matris ante deos;* Lares, Penates. — *Dimissa est*, et mox *dictat, vetat.* Vide not. III, 13, 35. — *Insanum*, clamosum, *forum.*

135. *Finge elegos, fallax opus;* elegias, insidiarum opus, id est, quod nunc puellam trahit, nunc decipit maritum, (*hæc tua* sunt *castra*); *scribat ut exemplo cætera turba tuo*, a te edocti amantes ut tendant retia sua; cf. III, 3, 47—50.

138. *Et Veneris pueris utilis hostis eris*, præda grata Cupidinibus. Versus non meliore sono erit IV,

Eludet palmas una puella tuas;
Et bene quum fixum mento decusseris uncum,
Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis;
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina: persuasæ fallere rima sat est.

Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

10, 20: *Et galea hirsuta comta lupina juba.*

140. *Eludet* (fallet) *palmas victrices quascumque tuas* (tuas amoris quascumque palmas).

141. *Et bene quum fixum mento decusseris uncum, Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo;* excusso unco, ansæ rostrum senties; excusseris catenam, te premet jugum. Forma quædam est proverbii. — *Uncus* est proprie, quo trahebat carnifex ad Gemonias damnatorum corpora: vide Sueton. Tiber. cap. 61; Ovid. in Ibide, vs. 167 sq. — *Nil erit hoc*, parum tibi proderit. — *Ansa*; ansa ferrea; dens, hamus.

143. *Videre noctem*, hoc est, dormire, ut *videre somnum* Ovidius, Heroidd. XVIII, 27: « His ego si *vidi* mulcentem pectora *somnum* Noctibus, insani sit mora longa freti. » Contrarium est *videre lucem*. — *Gutta*, lacryma. Sic Ovidius, Trist. I, 3, 4; Virgil. Æn. XI, 90.

145. *Nec mille excubiæ*, etc. Nec spera tibi, inquit, per custodes appositos et *signata* (clausa obsignata) *limina* fidum ac certum puellæ tuæ amorem: cui persuasum fallere, rima satis est. Confer II, 6, 37—40.

147. *Nunc tua*, etc. nunc maris et belli cæterisque periculis caput objicias impavidus, licet: vera et unica tibi causa timoris Cancer. An igitur nos ita mathematicus doceat Propertium ortum infausto Cancri sidere? — *Fre hostis inermis armativ* hostibus; in hostes. Supra III, 1, 26: « Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces, Fluminaque *Hæmonio* cominus *isse viro?* » (isse in virum Hæmonium cominus.) — *Diducat*. Vide mox carm. 2, 36.

CARMEN II.

VERTUMNUS.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, et Tuscis orior; nec pœnitet inter
Prælia Volsanos deseruisse focos.
Hæc me turba juvat; nec templo lætor eburno:
Romanum satis est posse videre Forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat; et aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos:
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,

1. *Quid mirare...?* Cf. III, 11, 1. — *Accipe Vertumni signa paterna dei;* Vertumni disce naturam atque originem. Confer distichon 47—48 : « At mihi, *quod formas* unus *vertebar in omnes*, Nomen ab eventu *patria lingua* dedit. » *Paternus* igitur, patrius, ut *paterni cineres*, hoc est, patriæ, III, 9, 37.

4. *Deseruisse inter prælia Volsanos focos*, ex Tuscis migrasse Romam Sabino bello. Vide versus 49—52. — *Volsinii*, Etruriæ oppidum opulentissimum, quod totum fulmine concrematum est. Plinius, Hist. Nat. II, 52.

5. *Hæc me turba juvat; nec templo lætor eburno;* ante meos pedes Romana hæc turba (conf. vss. 55—56), non templum eburneum meum (de quo Festus in *Picta*). Scilicet, in regione urbis XIII templum erat positum; signum autem, quod hic intelligendum, Tuscus vicus habuit, qui Velabri pars erat, in regione VIII, unde prospectus in forum.

7. *Hac* (Velabrum ostendens) *quondam Tiberinus iter faciebat*, etc. Tibullus II, 5, 33 : « At qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua. » *Tiberinus* pro Tiberi; sic Ovidius et Virgilius, Fast. VI, 105, Georg. IV, 369. Vide Livium I, 3.

9. *At postquam ille alumnis suis* (nobis Romanis) *tantum concessit* (*tantum*, id est, *ut versus recederet*), *ab amne verso Vertumnus dicor* (dictus sum). In priore versu igitur supplendum est *vertere* ex participio *versus amnis*. Vide III, 8, 1. — Ovidius, Fast. VI, 405 : « Qua Velabra solent in circum

Vertumnus verso dicor ab amne deus.

Seu, quia vertentis fructum præcepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic auctumnalia pruna
Cernis, et æstivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Quum pirus invito stipite mala tulit.

Mendax fama, noces : alius mihi nominis index.
De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris :

ducere pompas, Nil præter salices cassaque canna fuit; Sæpe suburbanas rediens conviva per undas Cantat, et ad nautas ebria verba jacit. Nondum conveniens diversis iste figuris Nomen ab averso ceperat amne deus » (Vertumnus).

12. *Credidit.* Verbum absque nominativo; sententia non constat. Quare *creditur*, ex libris duobus, quorum fides est nulla, reponunt : « Seu, quia vertentis fructum præcepimus anni, Vertumni rursus *creditur* esse sacrum. » Sed ita quidem *præcepimus* (primi cepimus), temporum concordia poscente, mutandum erit cum Fea in *præcerpimus;* neque porro satis hoc, si cohærentiam quærimus : « nam versu 19 mendacia appellat, quæ antea ut probabilia posuerat. Præstat igitur, ut totum locum non elaboratum esse fateamur; *præcepimus* autem et *credidit* optimorum librorum auctoritate retineamus. » Lachmannus.

13. *Variat.* Proprie *variat uva*, quæ maturescens ducere *lividum* (subnigrum) colorem incipit. — Horatius, Carm. II, 5, 10 : « Jam tibi *lividos* Distinguet autumnus *racemos* Purpureo varius colore. » — *Spicea coma;* spica ipsa, cui velut addita coma. *Lactenti fruge* spica *tumens;* quomodo Virgilius Georg. I, 315, « *Frumenta* in viridi stipula *lactentia turgent.* »

15. *Hic*, apud me.

18. *Quum pirus invito stipite mala tulit.* Virgil. Georg. II, 82, etiam de insita arbore : « Miraturque novas frondes et non sua poma. »

19. *Alius mihi nominis index.* Quis ille alius index? Ipse Vertumnus scilicet. Cur igitur tam mire loquitur? Suspicio est primitus scriptum fuisse : « Mendax Fama, noces; *falsa es* mihi nominis index : De se narranti tu modo crede deo; » ut litera *s* sequentem *f* absorbuerit. Lachmannus.

In quamcumque voles, verte : decorus ero.
Indue me Cois : fiam non dura puella :
Meque virum sumta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime fœno :
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis :
Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites : at quum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra : speciem furabor Iacchi :
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor : sed arundine sumta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus,
Trajicit alterno qui, leve pondus, equo.

23. *Non dura puella.* Vide IV, 9, 50.

25. *Da falcem, et torto*, etc. Ovidius, Metam. XIV, 643, ubi pariter Vertumnum enarrat : « O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit, verique fuit messoris imago! Tempora sæpe gerens fœno religata recenti Desectum poterat gramen versasse videri... Miles erat gladio, piscator arundine sumta. »

29. *Sobrius ad lites*, aversus ego a discordiis; de locutione ipsa vide II, 10, 3; *at quum est imposta corona, Clamabis capiti vina subisse meo*, jurabis me convivam æstuantem vino. — *Corona* quippe bibentis. Vide I, 3, 21; II, 15, 51; II, 33, 37; III, 5, 22. — *Vina.* Vide IV, 6, 86.

31. *Speciem furabor Iacchi*, Bacchi furentis imitabor figuram.

33. *Cassibus impositis;* humero cassibus impositis. — *Arundine*, viscato calamo. — *Plumosum aucupium.* Dictionis similis audacia IV, 1, 25 : « *Verbera* pellitus *setosa* movebat arator. »

35. *Est etiam*, etc. Auriga etiam est et desultor Vertumnus. In minore versu distingue cum Lachmanno : *qui, leve pondus*, levis eques, *alterno equo trajicit.* Cæteri male : « et ejus, *Trajicit* alterno qui *leve pondus* equo. » *Trajicere*, trajicere se. Verbum neutra passiva forma, ut II, 15, 26. Hoc libro IV, 1, 149 : « Vel tremefacta cavo tellus *diducat* hiatu. » Virgilius Æneid. I, 104 : « Franguntur remi; tum prora *avertit*, et undis Dat latus. » Æneid. I, 587 : « Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente Scindit se nubes, et in æthera *purgat apertum.* » Plautus, Amphitr. I, 1, 77 : « Pro se quisque, id quod quisque potest et

Suppetat hoc, pisces calamo prædabor; et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.

Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est?
Hortorum in manibus dona probata meis.
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, et junco brassica vincta levi;

valet, Edit, ferro ferit; tela *frangunt;* boat Cælum fremitu virum. » Silius I, 539: « Inde inter nubes ventorum turbine cæco Ultrix injusti *vibravit* lancea belli; » et versu 647: « ... fluctus, Si prohibere piget, vestras *effringet* in urbes. » Vide Rupert. ad Livium II, 3.

37. *Hoc. Suppetat hoc* pro *Detur hoc, Si liceat*, absolute posito *suppetere*, ut *contingere* et alia, an veteres dixerint, quia nimis incertum est, critici corrigunt: « Suppetat *hic*, pisces calamo prædabor. » *Hic* nempe calamus. — *Institor.* Institorem mittit patronus per domos, ut merces offerat; (Gall. *un commis marchand.*) *Mundus in demissis tunicis*, quo feminis placeat, dum nugas vendit. Ovidius, Art. Amat. I, 421: « Institor ad dominam veniet discinctus emacem, Expediet merces teque sedente suas. »

39. * *Pastorem.... curare.** Nec se nec alios viri docti persuadent, quum *pastorem curare* interpretantur *agere pastorem*, vel ex Codicibus paucis, in quibus *Pastorem ad baculum possum curvare*, « me pastorem curvare ad baculum. » Ayrmannus et Lennepius: « *Pastor me* ad baculum possum *curvare;* » sed cujus formæ ubinam exempla? Ideo fortasse mallem cum Lachmanno: « *Pastor ego et* baculum possum *rurale* vel idem Sirpiculis medio pulvere ferre rosam; » (pastorem quoque se esse, qui, ut pastores solent, baculum gerat et plenis calathis rosas.) *Baculum agreste* Ovidius, Metam. XV, 655; *silvestre* Metam. II, 681; *pastorale* Silius Ital. XIII, 334; *rurales falces* Cæsar, Bell. Gall. III, 14. Cæterum *medio pulvere* est *per campos*, de quo vocabulo dubitantes interpretes video. *Pulvis*, campus. Noster I, 22, 6: « Sic, mihi præcipue, *pulvis* Etrusca, dolor, Tu projecta mei perpessa es membra propinqui. »

42. *Hortorum in manibus dona probata meis.* Ut, quod præcipue curet, non addat, hortorum grata sibi dona in manibus suis satis ostendere.

43. *Cucurbita tumido ventre.* Virgilius, Georg. IV, 122: « tortusque per herbam *Cresceret in ventrem cucumis.* » — *Me notat.* Parum apte, ut videtur, pro *Decla-*

Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meæ.

At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti præmia Tuscis,
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.

Sed facias, divum sator, ut Romana per ævum
Transeat ante meos turba togata pedes.

Sex superant versus; te, qui ad vadimonia curris,
Non moror; hæc spatiis ultima meta meis:
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,

rat qui sim. Lachmannus conjicit: « Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre *Mi nitet*, et junco brassica vincta levi; » ut ante versu 13: « Prima *mihi variat* liventibus uva racemis. »

48. *Nomen ab eventu*, nomen indicium rei: Vertumnus a *Vertendo*.

49. *Et tu, Roma, meis... contudit arma Tati.* Varro de Ling. Lat. IV: « In Suburana regionis parte princeps est Cœlius mons, a Cœlio Vibenno, Tusco duce nobili, *qui cum sua manu dicitur Romulo venisse in auxilium contra Sabinum regem.* » Et paulo post: « *ab eis* (Tuscis) *dictus vicus Tuscus*, et ideo ibi Vertumnum stare, quod is deus Etruriæ. » Cæterum non dissentit a Varrone Propertius, quum *Lucumonium* sive *Lucumonem* (carm. 1, 29) pro Vibenno Cœlio appellat: hoc solum, nomen proprium grammaticus posuit, dignitatis nomen poeta; nam Lucumones sunt reges sive principes Tusci.

53. *Labentes acies*, fractos, fugatos Sabinos. — *Tela caduca*, missa irrita.

55. *Per ævum.* Vide III, 4, 19. — *Ante meos pedes.* Meminimus loqui statuam, quæ, ut solet, eminet in basi.

57. *Sex superant versus* (*te, qui ad vadimonia curris, Non moror*): *hæc spatiis ultima meta meis.* Sex nec amplius, inquit, quos adjiciam, versus sunt (te quemcumque audientem res gravis postulat, non moror); finis hic erit historiæ meæ.

59. *Stipes acernus eram*, etc. Sic

Ante Numam grata pauper in urbe deus. 60
At tibi, Mamuri, formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est, operi non datur unus honos.

apud Horatium sat. I, 8, 1, Priapus : « Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum, Quum faber, incertus, scamnum faceretne Priapum, Maluit esse deum. »

61. *Mamuri.* Mamurius faber, qui Numæ excudit sacra ancilia. Vide Ovid. Fast. III, 383 sq. — *Osca tellus*, quæ te sepultum habet, *artifices ne terat manus*, ne te premat artificem, ne tibi sit gravis. Osci, gens Campaniæ.

63. *Fundere me*, liquefacto metallo; *tam dociles in usus*, tam varios in usus numinis. Quippe, *Unum opus est, operi non datur unus honos*, (una sub forma multiplicem agnoscunt et mirantur veneranturque deum; confer vers. 1.) — Vertumni lege fabulam apud Ovidium, Metamorph. XIV, 641 sqq.

CARMEN III.

ARETHUSA LYCOTÆ SUO.

Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,
Quum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit e lacrymis facta litura meis;
Aut si qua incerto fallet te litera tractu,
Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo,
Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoa decolor Indus aqua.

1. *Arethusa.... Lycotæ;* Ælia Galla marito suo militanti Postumo. Vide III, 12, 12.

4. *Hæc erit e lacrymis facta litura meis.* Ovidius, Heroidd. III, 3 : « Quascumque adspicies, lacrymæ fecere lituras. »

5. *Incerto tractu litera*, quam male certa manus duxerit.

7. *Te modo*, etc. Lycotæ varia belli itinera cum dolore enarrat. *Iteratus ortus*, bis Oriens lustratus; quomodo *iterare æquor* Horatius Carm. I, 7, 32. Scilicet, quantum videtur, anno 731 Ælium Gallum ducem in Arabiam secutus erat Postumus; iterum anno, quo scribit hanc epistolam Galla, 734, Augustum ipsum per Asiæ provincias, cui, quum Syriam attigisset, Phraatem belli metu remisisse captivos et signa Romana ex Dione LIV, 8, discimus. Cf. Propert. IV, 6, 79—80. Nec *Bactra* igitur, nec *Seres*, nec *Indos vidit* Postumus, sed Augusti laudes quærens poeta bellum ad has usque gentes perductum canit. — *Sericus hostis munito equo;* cataphractus Sericus; vide III, 12, 12. *Seres*, Indi, trans Taurum montem. — *Hibernique Getæ.* An fortasse Daci, de quibus triumphum egit M. Crassus anno 726? — *Britanniam* pro remota quavis gente nominat; neque enim Britannis intulit Augustus bellum, sed destinavit solummodo. Vide Dion. LIII, 22, ad ann. 727. *Britannia picto curru.* Vide II, 1, 76. — *Ustus Indus Eoa aqua*, ad aquam Eoam (ad Eoum mare). Ablativus ut I, 14, 1 : « Tu licet abjectus *Tiberina* molliter *unda*, etc. » II, 2, 11 : « Mercurio

Hæcne marita fides? hæ pactæ sunt mihi noctes,
Quum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo;
Et Stygio sum sparsa lacu; nec recta capillis
Vitta data est; nupsi non comitante deo.
Omnibus heu! portis pendent mea noxia vota;
Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas,
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,

et *sanctis* fertur Bœbeidos *undis* Virgineum Brimo composuisse latus.» II, 13, 55 (ex emendatione Lachmanni): «Illic *formosis* jacuisse *paludibus*, illuc Diceris effusa tu, Venus, isse coma.» Cf. I, 3, 6. *Ustus* autem *decolor*, decolor, quia ustus. Ovid. Herr. XI, 44: «et *tectus tutus* ab hoste fuit.» Noster II, 25, 27: «*Mendaces* ludunt flatus in amore *secundi*.» Cf. I, 4, 10.

11. *Marita fides*, maritalis, ut *marita sacra* III, 20, 26, et *maritæ faces*, IV, 11, 33. — *Hæ pactæ sunt mihi noctes?* Sic inde ab anno 1481 critici *hæ pactæ* et *sunt*, quorum illud verum puto, hoc sinceri libri non agnoscunt et enervare sentimus solummodo versum. Mentelianus cum aliis *et pactæ mihi noctes*. Fortasse verum erit de Lachmanni conjectura: «Hæcne marita fides? *hæ pactæ a te* mihi noctes? — *Quum rudis* (ignara adhuc viri; sic *rudes animos* vidimus III, 15, 5) *urgenti brachia victa dedi* (me tibi urgenti victam). *Dare brachia*, ut *dare manus* IV, 11, 88, hoc est, cedere, parere.

13. *Quæ fax mihi omen prætulit.... Et Stygio lacu sum sparsa* (aspersa Stygiis undis). Festus, sub *Fax*: «*Facem in nuptiis* in honorem Cereris *proferebant*, *aquaque adspergebatur nova nupta*, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut aquam atque ignem cum viro communicaret.» — *Nec recta* (uti debuit) *vitta* capiti imposita est. — *Nupsi non comitante deo*, averso Hymenæo.

17. *Omnibus portis pendent mea noxia vota. Vota*, dona, ut I, 16, 44, II, 19, 18; *noxia*, quæ nedum prosint, nocere videantur. *Portæ*, templorum portæ. Sic versu 57: «Flore *sacella* tego.» — *Lacerna*. Vide III, 12, 7. — *Castris tuis*, tibi militi.

19. *Occidat* (Ah pereat), *immerita qui carpsit ab arbore vallum*, qui primus accedere vallum castris arbores voluit. *Immerita*. Vide II, 4, 3. — *Rauca per ossa*. Ossa sive potius cornua fecit bellum primas tubas. — *Ocno dignior, qui funem torqueat, æternusque tuam, aselle, pascat famem*. Ocnus, Socratis pictoris tabula, Plinio

Æternusque tuam pascat, aselle, famem!
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles adterit hasta manus?
Hæc noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas!
Diceris et macie vultum tenuasse; sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi quum noctes induxit Vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,

teste, Hist. Nat. XXXIV, 11 : « ... et piger, qui appellatur *Ocnos*, spartum torquens, quod asellus adrodit. » Ad quem locum Harduinus Latine reddens Pausaniam, Phocic. cap. 29 : « (inter alias tabulas) Vir quidam sedens, titulus autem indicat eum Ocnum fuisse. Ipse funiculum torquet, adstante asella, quæ quod tortum fuerit assidue arrodat. Hunc Ocnon aiunt hominem fuisse industrium operique intentum, sed uxorem ei fuisse sumtuosam ac prodigam, ut quidquid is suo labore corraderet, id mox absumeretur ab illa. » Hunc igitur sortem belli inventores de voto Arethusæ habeant! — *Obliquus Ocnus*, obliquo corpore, dum torquet.

23. *Num lacertos urit lorica? Urere* sic Horatius epist. I, 10, 43, de calceo : « Si pede major erit, subvertet; si minor, *uret*. »

26. *Notæ per colla*, amoris indicium, ut vidimus III, 8, 21.

31. *Pallia in toto lecto non sidere*, non stare, disjecta per somnum. *Toto*. Vide III, 13, 35. — Ovidius, Amorr. I, 2, 1 : « Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur Strata, neque in lecto pallia nostra sedent? » — *Lucis et auctores aves non dare carmen;* nec edere gallos cantum, quo suscitant diem. Gallos Martialis quoque *cristatas lucis aves* dicit epigr. XIV, 223, 1; *matutinas alites* Noster I, 16, 46.

34. *Vellera secta in radios suos;* id est, ut recte Lachmannus, « sectam vexatamque lanam pectine ferreo, quo carminatur, ut eximantur sordes. Idem facere Arethusam, quod illa apud Tibull. I, 6, 80, *Tractaque de niveo vellere ducta putat.* » — *In radios secta* lana, quæ sit ad radios parata (*la navette;* vide Heyn. ad Virgil. Georg. I, 294). Sic IV, 2, 63 : « Qui me tam dociles potuisti fundere *in* usus. »

35. *Araxes*. Etiam III, 12, 8,

Quot sine aqua Parthus millia currat equus;
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis et hæc docti sit positura dei;
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu;
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidet una soror, curis et pallida nutrix
Pejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
Essem militiæ sarcina fida tuæ;
Nec me tardarent Scythiæ juga, quum pater altas

ad Postumum, quem esse diximus Lycotam hujusce nostri carminis: « Potabis galea fessus *Araxis* aquam. » — *Equus*; equus cum equite; nam significationem equitis vidimus esse equo III, 4, 17.

37. *E tabula ediscere pictos mundos*; ex mappis regiones orbis varias, scire de te cupiens. — *Qualis et hæc docti sit positura dei*; et doctus deus ordine quo terras nostras inter se junxerit. *Positura dei*, id est, quam statuit deus; cf. IV, 1, 116.

39. *Tellus lenta gelu*; iners, premente gelu. — *Putris*, sicca in pulverem. Virgilius: « Quadrupedante *putrem* sonitu quatit ungula *campum*. » — *Ab æstu*. Vide III, 25, 5.

41. *Curis et pallida nutrix* (nutrix et tota pallens curis suis, nutrix quamvis ipsa palleat) *pejerat hiberni temporis esse moras* (ut aliquid mihi solatii afferat, ut excuset moras tuas, per deos, quos jurat, officiose mentitur hiemem.

43. *Hippolyte*, Amazonum regina etiam apud Statium, Theb. XII, 534, 636. — *Nuda papilla*. Cf. III, 14, 15.

45. *Romanis puellis utinam patuissent castra!* Feminas in castris disciplina militaris apud Romanos non ferebat. Vide Interpp. ad Virgil. Æneid. VIII, 687.

47. *Pater Africus*. *Africo* vento hic locum non esse, eumdemque inepte *patrem* dici, Burmannum aliosque non fugit. Ita tamen libri omnes, nisi quod Groninganus *parat* pro *pater* exhibet; nam deteriores non moramur. Varia, sed parum probabilia, critici tentarunt. Scribo: « quum Pater altas *Arctoo* in glaciem frigore nectit aquas. » *Arctoas pruinas* Statius, Silv. III, 3, 71; *Arctoas nives* Seneca, OEdip. vs. 606. *Patrem* dicit Jovem, ut Virgilius ter Georg. I. Cæterum rem recte tribuit Jovi. Apud Flaccum Valerium, I, 512, Sol ad Jovem: « horrida sævo Quæ *premis arva gelu*, strictosque insedimus amnes. » Lachmannus. — Cum vers. 43—48 conf. Statium,

Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major;
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Pœnis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent; rarisque adsueta Kalendis
Vix aperit clausos una puella Lares:
Glaucidos et catulæ vox est mihi grata querentis;
Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero;

Silv. V, 1, 127, de Priscilla Abascantii: « Parva loquor; tecum gelidas comes illa per Arctos, Sarmaticasque hiemes, Istrumque, et pallida Rheni Frigora, tecum omnes animo durare per æstus, Et si castra darent, vellet gestare pharetras, Vellet Amazonia latus intercludere pelta, etc. »

49. *Aperto.* In his quum nec *apertus* conveniat pro legitimo, nec rectum sit *amor in conjuge*, quem accipiamus amorem uxoris *erga maritum*, Lachmannus una mutata litera corrigit: « Omnis amor magnus, sed *aperte* in conjuge major; » Omnis quidem amor multum valet, sed *aperte* (hoc sentio) in nupta plus, quam in amante. Burmannus cum veri specie nulla tentaverat: « Omnis amor magnus; *deserta* in conjuge major. »

51. *Nam quo.* Quonam; vide III, 11, 27. — *Crystallus*, gemma; *aquosa*, pura, translucida. Cæterum *meas manus* ex Neapolitano *Kuinoel* et Lachmannus rectissime, libri plerique *tuas.*

53. *Omnia surda tacent*, in domo; *et raris Kalendis vix aperit una adsueta puella clausos Lares*, et vix semel mense ancilla, quæ mihi una est, sacrarium reserat, ut sacrificetur Laribus. Hæc ita, si sana sunt, accipienda videntur.

55. *Glaucis catula;* dicta ab glaucis oculis.

57. *Compita*, Compitales Lares. Cf. IV, 1, 23. — *Herba Sabina*, quæ « a multis in suffitus pro ture adsumitur; » (Plinius, Hist. Nat. XXIV, 61.)

60. *Seu voluit tangi parca lucerna mero;* instillari sibi merum lucerna, quæ crepitu faustum signum dederit. Sic Hero apud Ovidium, Heroidd. XIX, 151: « Interea lumen (posito nam scribimus illo) Sternuit, et nobis prospera signa dedit. Ecce *merum* nutrix *faustos instillat in ignes;* Crus erimus plures, inquit; et ipsa bibit. » (Lucerna crepat fausto omi-

Illa dies hornis cædem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popæ.
Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed, tua sic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos,
Incorrupta mei conserva fœdera lecti;
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque quum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam, *Salvo grata puella viro.*

ne, cui, ut signum iteret, leviter instillatur merum.) Arethusa igit ir in quatuor versibus his, de quocumque signo timeat speretve, statim ad sacra confugit et agnum immolat.

62. *Succinctique calent* (avide festinant) *ad nova lucra popæ* (victimarii); quibus dare mos erat reliquias cæsæ hostiæ.

63. *Gloria adscensis* (captis) *Bactris;* hoc est, captorum Bactrorum. Ablativus, ut I, 2, 2: « Et tenues *Coa veste* movere *sinus;* » (sinus Coæ vestis.) — *Rapta carbasa lina odorato duci*, ex odorato duce spolium subucula linea. Carbaso velantur Indi apud Curtium VIII, 9, 21. Vide interpp. ad Plin. Hist. Nat. XIX, 1. Burmannus de vexillis aut tentoriis male cogitat. — *Lina carbasa.* Vide III, 3, 32. — *Dux odoratus*, Orientis odoribus perfusus.

65. *Quum.* Vide IV, 10, 40. — *Subdolus arcus.* Vide III, 9, 54.

67. *Sed* (*tua sic domitis Parthæ telluris alumnis Pura triumphantes hasta sequatur equos*) *Incorrupta mei conserva fœdera lecti;* sed (hac te sola lege reducem post domitos Parthos ire in triumpho hasta pura spectabilem velim) conserva mihi lecti mei incorruptam fidem. — *Triumphantes equos*, currum triumphantis ducis. — *Hasta pura* (sine ferro), insigne bellicæ virtutis præmium; vide interpp. ad Virgil. Æn. VI, 760. — *Lecti fœdera*, ut etiam III, 20, 21: « Namque ubi non certo vincitur *fœdere lectus.* »

71. *Arma votiva*, tua a me vota Marti. Ultra *portam Capenam* Martis erat templum. — *Quum tulero portæ.* Vide IV, 11, 102. — *Salvo grata puella viro*, salvo pro viro, ob viri salutem.

CARMEN IV.

TARPEIA.

TARPEIUM nemus et Tarpeiæ turpe sepulcrum
Fabor, et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix, hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire jubebat oves.

Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis

1. *Turpe Tarpeiæ sepulcrum; turpe*, monumentum exsecrandi sceleris. — *Fari*, dicere, canere. — *Antiquus Jupiter*, ut II, 30, 28.

3. *Lucus*, sive *Tarpeium nemus* vs. 1. Pignorius (Symbol. Epistol. pag. 199) Streniæ lucum in Tarpeio monte intelligendum esse docet, ex quo Tatius rex post initam pacem primus verbenas anni novi auspices accepit. — *Hederoso antro consitus* (hederosum ad antrum), ut altero versu *nativis aquis* (ad nativas aquas) *multa arbor obstrepens*. — *Erat... obstrepit*. Vide III, 13, 35.

5. *Silvanus* pro deo quolibet nemorum. — *Fistula*, pastoris calamus.

7. *Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno. Hunc fontem*, si fides interpretibus, has *nativas aquas* versus 4, quod prorsus est ineptum. Vide enim : fons, qui postea Streniæ fuit, in colle Tarpeio situs est; collem Tatius obsidet, nondum igitur occupat, qui nihilominus jam nunc fontem istum a Romanis defensum claudit vallo et aggere! Cæterum magna in his versibus confusio est fontium, ut non magis, quam hic, versu 14 et 15 et 24 intelligere liceat. — *Castra coronat suggesta humo*, circumdat aggere. Statius Thebaid. II, 526: « et humi posita arma tenentes Exspectant, densaque nemus statione *coronant*. »

9. *Quid tum Roma fuit?* (o parvam tum urbem Romam!) *quum*

Quum quateret lento murmure saxa Jovis,
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina Foro?
Murus erant montes; ubi nunc est Curia sæpta,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Hinc Tarpeia deæ fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.

Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?

Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas.

tubicen Curetis vicina saxa Jovis lento murmure quateret, Jupiter in saxo suo quum proximas audiret Sabinorum tubas. *Curetem* (Sabinum) dicit pro Tatio.

13. *Murus erant montes*, colles pro mœnibus. — *Ubi nunc est Curia sæpta*, Curia Romana, a Tullo Hostilio condita; *sæpta*, id est, *cum muris suis*: Ubi nunc ædes Curiæ. — *Bellicus* Sabinorum *equus*.

15. *Hinc Tarpeia deæ fontem libavit*. *Deæ*, Vestæ, tertius casus: In sacra deæ. *Libare fontem*, haurire aquam. Libat vas aut manus liquorem, quem summum, hoc est, de summo fontis excipit. Ovidius Metam. I, 371: « Inde ubi *libatos* irroravere *liquores* Vestibus et capiti, etc. » (Cephisi aquam haustam manu). — *At illi*. *At*, porro: Quum hausisset aquam, illi fictilis urna urgebat caput. Sic IV, 7, 11: « Spirantisque animos et vocem misit: *at illi* Pollicibus fragiles increpuere manus; » Os aperit umbra Cynthiæ; dum aperit, illi fragiles increpuere manus.

17. *Et satis*, etc. Hoc distichon Burmannus, Broukhusio præeunte, totius carminis pœnultimum fecit: Vulpius inepte πρόληψιν esse affirmat, (quum primum de re statuimus, tum enumeramus singula). Sed quocumque loco reponatur, prava sententia est, sive Tarpeiæ judicio seu suo huic sceleratæ puellæ unam mortem satis fuisse neget. Fortasse fuerit: « at illi Urgebat medium fictilis urna caput. *Ei scelus! urna* malæ potuit *sors* esse puellæ, Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas! » *Sors*, quod sorte datum est; vide Flaccum Valerium I, 478, Claudianum de Rapt. Proserp. II, 220. Lachmannus.

19. *Proludere*; dum sese exercet, pugnam fingere. — *Arma* (scutum, ensem) *per* galeæ *jubas levare* (quæ jactat superbus). *Picta arma* (quomodo etiam Virgil. Æn.

Obstupuit regis facie et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Sæpe illa immeritæ causata est omina lunæ,
Et sibi tinguendas dixit in amne comas.
Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis;
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi:
Ignes castrorum, et Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,
Dum captiva mei conspicer ora Tati!
Romani montes, et montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo.

VIII, 588, XI, 660, et *versicoloria* Æn. X, 181) intellige ex Nostri IV, 10, 21: « *Picta* nec inducto fulgebat parma *pyropo;* » (*pyropus*, æs auro additio, quod imitatur flammas.) *Picta* igitur, varieta metallis.

23. *Sæpe illa*, ut ex arce descenderet videretque Tatium, *immeritæ lunæ causata est omina*, mentita est sua noctis mala somnia, *et sibi tinguendas dixit in amne comas*, et caput sibi in amne purificandum esse dixit. *Immerita luna*, quæ somnia nulla miserat. Vide II, 4, 3.

26. *Romula*. Vide III, 3, 32.

27. *Capitolia primo fumo nubila*, Capitolium nubilum primis terræ vaporibus. *Fumus*, vapor, nebula. Ovidius, Metam. I, 571: « per quæ Peneus.... Dejectuque gravi tenues agitantia *fumos Nubila* conducit. » Valerius Flaccus VIII, 453: « Si Pagasas vel Peliacas hinc denique nubes Cerneret, et Tempe viridi lucentia *fumo*, Hoc visu contenta mori; » (per Penei fumum, quo rorat, Tempe lucentia.) *Primum* autem *fumum* intellige vesperi, non matutinum; nam versu 31 *ignes* Sabinorum, quos prospicit, alloquitur, et versu 65, post amoris querelam: « *Experiar somnum;* de te mihi somnia queram. » — *Rettulit brachia*. Vide similia III, 7, 60.

30. *Vicino non patienda Jovi*. *Patienda* referendum non ad vulnera, sed ad ipsam Tarpeiam: De colle flevit illa vulnus suum (amoris vulnus), indigna, quam vicinam sibi ferret Jupiter.

31. *Tatiæ*. Vide III, 3, 32.

Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum, in patrios Scyllam sævisse capillos,
Candidaque in sævos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Quum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados exstinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat: lacrymis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est et perfida; quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicæ nossem cantamina Musæ!

37. *Meos in castra reponet amores*, in castra Sabinorum me cum amore meo. — *Cui Tatius dextras jubas ipse collocat*, cui Tatius amat componere in dextrum collum jubas.

39. *Scyllam*. Apte adducta Nisi et Scyllæ historia, hoc est, patris, quem prodit filia (vide III, 19, 21), ubi de prodendo patre Sp. Tarpeio, qui præerat arci, Tarpeia cogitat. Cæterum Nisi filiam hic Noster, quomodo Virgilius et Ovidius (eclog. VI, 74 sqq., Amorr. III, 12, 21—22), unam eamdemque facit cum altera Scylla Phorci filia, quam quum Glaucus amaret et Circe Glaucum, hæc despecta et accensa rivalitatis odio fontem, quo lavari solebat Scylla, venenis inficit, cui, statim ac tetigit aquam, inferior pars corporis latrare canibus incipit; exhorrescit misera deformitatem suam, seque in mare præcipitat. — *sævos canes*. Vide Heyn. excurs. ad Virg. Eclog. VI, 74.

41. *Fraterni monstri cornua prodita*, Minotaurum fratrem, ab Ariadna proditum. Vide I, 3, 20, — *Quum patuit* Theseo *torta* Labyrinthi *via*, *lecto stamine*, filo, quod errantis gradum rexit.

43. *Quantum ego crimen factura sum*, quantum paro dedecus, *Ausoniis puellis!* — *Virgineus focus*; focus virginis Vestæ, quem servant virgines. — *Focus*, ut III, 13, 42.

45. *Pallados ignes*, ignes Vestæ, cujus in templo Palladium servatum. Vide Ovid. Fast. VI, 435 sq.

48. *Tu cave*, Tati, *rorida jugi terga*. *Rorida* intellige ex sequente disticho. *Ros*, aqua, etiam apud Ovid. Metam. III, 164. Cf. Propert. II, 26, 2.

50. *Fallaci limite*. *Limes*, cursus aquæ, ut mox carm. 9, 60.

Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet; non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Sic hospes, pariamne tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptæ ne sint impune Sabinæ!
Me rape, et alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere; nuptæ,
Vos medium palla fœdus inite mea.
Adde, Hymenæe, modos; tubicen, fera murmura conde.
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera labsa cadunt.
Experiar somnum; de te mihi somnia quæram:
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, et incerto permisit brachia somno,

52. *Hæc quoque formoso lingua tulisset opem;* uti Jasoni Medea.

53. *Te toga picta decet* (toga triumphi), *non quem*, non istum (Romulum) quem *sine matris honore*, destitutum matre, *dura lupæ papilla nutrit*, nutrivit; (sic *audit*, audiit, IV, 9, 39) cf. III, 22, 13. Cæterum *togam* illam acu *pictam* non nisi Tarquinius Priscus dedit, vel Tullus Hostilius, quam poeta Romuli jam temporibus notam fuisse fingit.

55. *Pariamne.* Sic Neapolitanus *pariamne;* Groninganus cum aliis *pariam tua ne:* quod statim appareret, particula *ne* turbat sententiam. Lego: « Sic hospes *pariámve* tua regina sub aula! » (utinam vel a te excepta hospes vel regina conjux tua te faciam patrem!) quamquam fortasse non rectissime Tarpeia *hospitem* se dicit Tatii.

57. *Si minus* (si nolis hoc), at saltem raptas Sabinas cogita. De locutione *si minus* vide Cortium ad Plin. epist. I, 3, 2. — *Vices.* Vide I, 13, 10.

59. *Nuptæ* (Romanorum uxores Sabinæ), *vos medium inite fœdus* (hoc est, vos inter acies mediæ; cf. similem formam II, 34, 57) *palla mea* (conjugio meo, quod reconciliationis omen et pignus sit). *Pallam* intellige nuptialem ex *nuptis*, quas alloquitur. Forma non absimilis III, 17, 15.

61. *Modos*, cantus, carmen.

63. *Quarta buccina*, quæ quartam vigiliam canit. Nocturnam militiam scimus in quatuor partes divisam esse. — *Labsa cadunt.* Conf. III, 15, 34.

67. *Incertus somnus*, agitatus et

Nescia se furiis adcubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacæ felix tutela favillæ,
Culpam alit, et plures condit in ossa faces.

Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisos fertur aperta sinus.
Urbi festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse, dies;
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Quum pagana madent fercula deliciis,
Quumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,

anxius. — *Nescia se furiis adcubuisse novis;* nescia quas ex somno conceptura est furias amoris novas. *Adcubare furiis novis*, hoc est, cum furiis novis cubare; vide notata IV, 11, 21.

69. *Tutela Vesta Iliacæ favillæ. Iliaca favilla*, sacer ignis, quem Æneas attulit. Vide Heynii Excursum IX ad Virgil. Æneid. II. — *Vesta tutela.* Vide III, 19, 15. — *Culpam alit*, flagitium, criminosum ardorem. *Alere culpam*, plane ut Virgilius Æneid. IV, 2, *alere* amoris *vulnus venis. Nutrire amorem, nutrire ignes*, Ovidius Metam. I, 496, VI, 493.

71. *Illa ruit*, Tarpeia post somnum de colle ad hostium castra. — *Strymonis*, Thrax Amazon, ab amne Thracio Strymone. — *Abscisos.* Quod habent scripti consensu, *abscisso aperta sinu*, ferri non poterat; Broukhusius correxit *abscisos aperta sinus*, recte, quamquam nec satis fuit. Scribe cum Lachmanno, cujus in Codice *absciso* legitur: « qualis.... Strymonis *abscisos* fertur aperta *sinus.* » *Sinus aperta*, nudo sinu; *abscisos*, quum adurant sibi mamillam dextram Amazones.

73. *Urbi*, etc. Distingue: « Urbi festus erat (dixere Palilia patres; Hic primus cœpit mœnibus esse) dies; » festus erat dies anniversarius urbis conditæ. Vide IV, 1, 19.

76. *Quum pagana madent fercula deliciis;* rustici quum lautius epulantur, quum se mensæ deliciis reficiunt.

77. *Quumque super raros*, etc. et pastorum ebria turba quum transilit alacris flammantes stipulas. Ovidius etiam, ubi de Palilibus canit, Fast. IV, 781 : « Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede. » *Raros acervos* apud Nostrum intellige ex intervallis hac illac visendos. — Hunc usum Gallia nostra quibusdam in partibus hodieque servat.

79. *Romulus excubias*, etc. In hoc disticho ratio non constat, nisi cum Broukhusio subintelligimus Romulum inter ac Tatium pa-

Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata, convenit hostem;
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos : sed Juppiter unus
Decrevit pœnis invigilare suis.
Prodiderat portæque fidem patriamque jacentem;
Nubendique petit, quem velit ipse, diem.
At Tatius, neque enim sceleri dedit hostis honorem,
Nube, ait, et regni scande cubile mei.

ctas inducias. — *Intermissa tuba*, qua significantur vigiliæ : vs. 63.

81. *Hoc Tarpeia suum tempus rata ; suum*, opportunum paratæ perfidiæ. — *Pacta* cum Sabinis *ligat. Ligare pacta*, quali metaphora Ovidius *nectere cum aliquo jurgia* Amorr. II, 2, 35 : « Sed tamen interdum *tecum* quoque *jurgia nectat.* » — *Pactis ipsa futura comes*, in exsequendis pactis ipsa futura hostibus comes.

83. *Mons erat adscensu dubius*, difficilis, quippe lubricus ; vss. 49—50. — *Canes occupat* (invadit) *ense*. Sic *occupare* IV, 10, 14 ; apud Ovid. Metam. VIII, 399, Fast. I, 575. — *Vocalis*, clamosus.

85. *Omnia præbebant somnos*. Male, si voluit hoc sensu : *Loca omnia monstrabant somnum*. Quare ego post Marklandum Lachmannumque nullus dubito, quin scriptura sit corrupta, ejusdem Lachmanni sequor ingenium corrigentis : « Omnia præbebant *somni* » (hostibus aperta dabant), quomodo Silius Ital. IV, 723 : « omnia *somni* Condiderant. » — *Pœnis suis ;* debitis sibi, quas Tarpeia daret. Cf. IV, 1, 116. — Omitto narrationis hic et per totum carmen vitium, ex abrupta et dissecta oratione formam duram et jejunam ; sed Propertium quis agnoscat versu 83 : *Mons erat adscensu dubius, festoque remissus?* Tam paucis verbis duplicem ejusdem rei tam disparem imaginem poni, montis, qui dum Sabinis ascensu difficilis est, pariter conviviis et festo Romanorum perstrepat! Cujus censuræ quidem nec immunis est alius hic versus IV, 8, 52, « Nec mora, quum totas resupinat Cynthia valvas, *Non operosa comis, sed furibunda decens*, » ubi capillos cum animo, incomtum caput cum furore jungit.

87. *Prodiderat portæ fidem ;* portam, in qua fides ac tutela arcis. Ovidius, Amorr. III, 1, 50 : « *Liminis* adstricti sollicitare *fidem.* » — *Patriam jacentem*, jacentem pressam somno. — *Ipse*, hoc est, Tatius. Recte dedit Heinsius pro *ipsa*, quod habent scripti.

90. *Regni mei cubile*, quod te regni mei consortem faciat.

Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
*A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustæ præmia sortis habes. *

93. **A duce Tarpeio... sortis habes.* * In his si vitium esset unicum, facile tollerem cum Bassano ita: « A *nece Tarpeiæ* mons est cognomen adeptus; » sed alterum versum quis intelligit, *O vigil, injustæ sortis habes præmia?* Lachmannus tentat: « O vigil, *injuste* præmia sortis habes; » ut turpis exitus tulisse Tarpeiam immeritum præmium dicat, quæ nomen suum monti reliquerit. *Vigil*, portæ custos, ut illam Ovidius, Fast. I, 261, *levem*, malefidam, *custodem* dicit; cujus tamen custodiæ quum antea mentio nulla sit, nec placeat *vigil* ita positum, incertissima demum Guyeti conjectura sit *O virgo;* totum distichon recto judicio *Kuinoel* spurium cogitasse videri possit. Cæterum, « ita dissimilis sui in hoc libro Propertius est, ut, quæ ab ipso, quæ ab aliis venerint, nusquam facile dicas; et in hoc præsertim carmine dubia omnia atque incerta sunt: » Lachmannus. — De Tarpeiæ fabula vide Plutarchum in Romulo; Dionysium Halic. II, 38—40; Livium I, 11; Ovid. Metam. XIV, 775 sqq.

CARMEN V.

LENA ACANTHIS.

TERRA tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
  Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
  Turpia jejuno terreat ossa sono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
  Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
  Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,

1. *Terra tuum spinis*, etc. Jurgia et imprecationes in tumulum lenæ Acanthidis, quæ Propertii amicam puellam corrumpere tentaverat. — *Et, quod non vis, umbra tua sentiat sitim.* Lenæ exprobrat quod fuerit vino dedita, cujus etiam tumulum vult esse amphoram vers. 73. — *Quod non vis.* Dictum, ut *quod nolim* in his Ovidii, Heroidd. XX, 100 : « nihil est violentius illa, Quum sua (*quod nolim*) numina læsa videt. » Formula est, si quid ne fiat, optamus. Utitur Cicero ad Divers. II, 3, ad Attic. VII, 17.

3. *Nec sedeant cineri Manes;* nec cineribus Manes tui insideant, una cum cinere quiescant, sed irrequieti ferantur vagi. — *Ossa*, Manes, umbram. Sic *ossa* I, 19, 20; II, 13, 58; IV, 11, 20; IV, 11, 58. Hoc ipso libro IV, 7, 12, Cynthiæ mortuæ *fragiles* sunt *manus* (*fragiles*, sonantes, quippe osseæ). Vide not. IV, 11, 8.

5. *Docta vel Hippolytum mollire Veneri negantem;* Hippolytum mollire Veneri artibus tuis, *negantem* (qui se negat) Veneri. Horatius, Carm. I, 35, 22, ad Fortunam : « Te Spes et albo rara Fides colit Velata panno; nec comitem *abnegat*, Utcumque mutata potentes Veste domos inimica linquis; » (nec abnegat se comitem.) Vide II, 32, 60. — *Docta* lena *mollire*, ut mox carm. 6, 24 : « *Signa*que jam patriæ *vincere docta* suæ. » Sic *audax* cum infinitivo, hoc ipso carmine 5, 13, *inops* II, 10, 23, *serus* III, 5, 25, *nobilis* IV, 10, 42, etc. — *Avis.* Vide not. IV, 1, 40.

7. *Neglecto rumore mariti;* spreta fama, quidquid de marito salvo narraret. — *Lascivus Antinous;* quem ipsa Penelope in turba procorum nominat apud Ovidium, Heroidd. I, 92.

9. *Poterit.* *Poterit* hoc lena per artes magicas, quas intelligimus ex sequentibus distichis.

Et vólucris nidis esse noverca suis.
Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.
Audax cantatæ leges imponere lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo,
Posset et intentos astu cæcare maritos.
Cornicum immeritas eruit ungue genas,
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.

11. *Quippe et*, *moverit* illa *ad fossam* (admoverit illa fossæ magicæ) *Collinas herbas* (quas de sepulcris herbas extra portam Collinam legerit), *stantia* (segetes, arbores, quidquid exstat ac prominet terra) *diluerentur currenti aqua* (subitæ tempestatis vi). *Scrobes* effossa in sacro magico etiam apud Ovidium, Metam. VII, 243; conf. Horat. sat. I, 8, 26, epodd. V, 29 sqq. *Collinæ herbæ*, herbæ ex sepulcris, quæ sunt ad Collinam portam, ubi Vestales supplicio dari, quæ virginitatis legem violassent, auctor est Festus in *Sceleratus Campus*. In majore versu *moverit* potes accipere *si moverit*, omisso *si*, ut III, 2, 9, « *Quod non* Tænariis domus est mihi fulta columnis » (*Quod si non*), et apud Virgil. Æneid. VI, 31, « tu quoque magnam Partem opere in tanto, *sineret dolor*, Icare, haberes » (*si dolor sineret*); quamquam, vel non addita particula *si*, structura recta et apertus sensus est : *Moverit* lena *ad fossam Collinas herbas*, (Libuerit ei tentare vim herbarum magicam;) dictum, ut hoc ipso carmine, superiore distichо : « Illa *velit*, poterit magnes non ducere ferrum. » (Velit illa, fiet quod volet.) Sic Ovidius, Fast. I, 315: « *Institerint* Nonæ, missi tibi nubibus atris Signa dabunt imbres, exoriente Lyra; » hoc est, *Adveniant* (quomodo nos, « *Viennent* les Nones »), non de vulgari interpretatione *Si advenerint*. — *Stantia*. Vide IV, 9, 35.

13. *Cantata luna*, incantata. Ovidius Amorr. II, 5, 38, « Aut ubi *cantatis Luna* laborat equis. » *Cantata falx* Medeæ apud eumdem, Heroidd. VI, 84. — *Fallere terga sua lupo*. Vide III, 22, 36, et cf. Virgil. eclog. VIII, 97. — *Nocturnus lupus*, qui per noctem errat. Sic *nocturna Cytæis* II, 4, 7. — *Intentos maritos*, intentos feminis suis.

16. *Cornicum*. Etiam apud Ovidium Metam. VII, 274, Medea in medicamine magico miscet « *Ora caputque* novem *cornicis* sæcula passæ. » — *Genas*. Vide III, 12, 26. — *Immeritas*. Vide II, 4, 3. — *Nostro de sanguine*. *Sanguis* pro morte, ut II, 9, 40. — *Hippomanes*, venenum etiam apud Tibull. II, 4, 58 : « Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,... Et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores, *Hippomanes*

Exornabat opus verbis, ceu blanda perurat,
Saxosamque terat sedula culpa viam:
Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa,
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coæ textura Minervæ,
Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
Myrrheaque in Parthis pocula cocta focis;

cupidæ stillat ab inguine equæ. » *Hippomanes* igitur, Veneris humor in equa. Vide interpp. ad Plin. Hist. Nat. VIII, 42 (al. 66), XXVIII, 11 (al. 49). — Sed nunc, ubi locus est, corrige mecum errorem incogitantiæ, qua libro II, 27, 6, hunc versum *Hippomanes fœtæ*, etc. in exemplum duplicis genitivi adduxi, quum recta structura sit *hippomanes semina*, *semina* per appositionem, nam Græco vocabulo ἱππόμανες terminatio non mutat per varios casus.

19. *Exornabat opus..... culpa viam.* Locus difficilis, fortasse corruptus, certe non elaboratus si sanus est: *Exornabat*, inquit, turpis illa *verbis* (astutis sermonibus) *opus* suum (rem sibi propositam, hoc est, flagitium, quod immitteret simplici puellæ animo), *ceu blanda perurat* (quomodo blande fallax incenderet non diffidentem), *et sedula culpa* (sedula culpæ insinuatio) *saxosam viam terat* (tereret novam adhuc et asperam viam, hoc est, pudicitiam indocilem ac repugnantem virginis). Helena apud Ovidium, Heroidd. XVII, 146: « Felices, quibus usus adest! ego nescia rerum *Difficilem culpæ suspicor esse viam.* »

21. *Doroxanium.* Nomen ex Codicum varie corrupta scriptura verum non verum a Turnebo confictum, ut sit puellæ, quam lena perderet.

23. *Coæ Minervæ textura*, Coæ vestes, *Minerva* pro texendi arte, ut II, 9, 5. *Euryppylus* autem rex olim insulæ. — *Textura Coæ Minervæ Euryppyli.* Vide II, 27, 6 — *Signa secta ab Attalicis toris;* effigies acu pictæ, sectæ ab Attalicis, quibus sunt ornamento, splendidis stragulis. Vide II, 13, 22, II, 32, 12. *Putria signa* hæc, vetusta putria (cf. IV, 9, 28), quæ, ut in multis solet, traherent ab annis maximum pretium suum.

25. *Seu quæ venalia pocula mittunt Thebæ;* calices vitrei ex Ægypto. Vide interpp. ad Martial. epigr. XII, 74, « Quum tua *Niliacus* portet *crystalla* cataplus, etc. » — *Et myrrhea cocta in Parthis focis.* Plinius aliter Hist. Nat. XXXVII, 2, contra Propertium et recentiorum multos, qui murrhina illa, tanto olim pretio, fuisse artis opera crediderunt: « Oriens murrhina mittit. *Inveniuntur* enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maxime Parthici regni. » *Inveniri* igitur ea apud Parthos, non *coqui.* Murrhina, quantum constat, cavata vasa ex lapide, qui non absimilis achati;

Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
Frange et damnosæ jura pudicitiæ.
Et simulare virum pretium facit. Utere causis:
Major dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
Post modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris emto,
Fac simules puros Isidis esse dies;
Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle,
Natalem Maiis Idibus esse tuum.
Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quidlibet: has artes si pavet ille, tenes.

quorum lapidum genus omne complectimur nunc vocabulo *fluor* (*fluate de chaux*, *phthorure de calcium*).

27. *Provolvere deos*, proculcare; quos juraveris, intrepide violare deos.

29. *Et simulare virum, pretium facit.* Addunt interpretes, virum *venturum*: Prodesse etiam feminis, si, quum rogat eas amator, reditum mariti simulent (conf. II, 23, 19—20). Nec prorsus rejicio quidem, ut in carminibus his multa esse toleranda scio. Tamen Lachmanni stat observatio, de vulgari linguæ usu aliud esse *simulare virum*. Ovidius, Metam. VI, 26: « Pallas *anum simulat*, falsosque in tempora canos Addit, et infirmos baculo quoque sustinet artus. » An igitur scribamus cum Heinsio: « Et simulare *iram*, pretium facit? » — *Utere causis;* fictis rationibus, cur differas amantem.

31. *Utilis ira*, profutura tibi amantis ira. — *Mercata pax*, pax emta pretio.

34. *Isidis puros dies*, castos de religione Isidis. Vide II, 33, 2.

35. *Ingerat*, etc. Junge cum versu 33: « Denique ubi noctem promiseris, religionem Isidis simula; Iole autem et Amycle ancillæ tuæ amatori omni modo ingerant (tundant amatori aures), illa Apriles Idus, hæc Idus Maiias esse natalem tuum. » Natali puellæ die mittebat amator munera. Conf. Ovid. Art. Amat. I, 429: « Quid? quasi natali quum poscit munera libo, Et quoties opus est, nascitur ipsa, sibi. » Martialis, epigr. VIII, 64: « Ut poscas, Clyte, munus exigasque, Uno nasceris octies in anno, Et solas, puto, tresve quatuorve Non natalitias habes Kalendas. » — *Apriles esse tibi natalem;* Idus Apriles. Vide III, 8, 1.

37. *Cathedra;* sella feminis propria, cujus essent brachia pro pulpito scribentibus. Vide Rupert. ad Juvenal. sat. 1, 65. — *Scribe quidlibet*, quod ille diffideat; scribere te finge ad alium. — *Tenes*, jam tuus est.

Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeæ delectent probra sequacis;
Nempe tulit fastus ausa rogare prior:
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Quum ferit astutos comica mœcha Getas.
In mores te verte viri: si cantica jactat,
I comes, et voces ebria junge tuas.
Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec adtrita, si ferat æra, manu;
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cretati medio quum saluere foro.

39. *Morsus circa colla.* Ut III, 8, 21—22. *Litibus alternis quos putet esse datos*, quos rivalem tibi fecisse cogitet.

41. *Nec te delectent probra* (nec te juvet turpe factum) *sequacis Medeæ*; Medeæ, quam non puduerit Jasonem sequi: conf. II, 34, 8.

43. *Sed potius* te juvet Thaidos exemplum, Thais illa *mundi* (culti) *Menandri pretiosa* (magno emta amatoribus), *Quum ferit astutos Getas mœcha comica* (ipsa Thais mœcha, in comœdia Menandri; vide II, 6, 3). — *Pretiosa.* Conf. III, 13, 1. — *Ferit;* III, 3, 50. — *Getæ*, commune servorum nomen apud comicos.

45. *Si cantica jactat.* Vide III, 8, 1. — *Jactare cantica.* Vide II, 1, 77.

47. *Si* quis *pulset inanis; inanis*, qui secum munera afferat nulla. *Pulsare*, ut II, 14, 21.

50. *Nauta nec adtrita.* Lachmannus *neque*: « Nauta *neque* adtrita, si ferat æra, manu; » regula nova posita, quam ex ejus notatis vix non persuadeor servatam veteribus poetis esse, saltem ævi Augustei, *neque* in versu nisi ante vocalem, *nec* nisi ante consonam stare, paucis exceptis vocabulis, quæ superatam usu regulam ostendunt. Vide Lachmannum ipsum. — *Æs*, pecunia, ut mox vs. 56.

51. *Aut quorum*, etc. aut isti, quibus de collo barbaro pendet titulus, quum saliunt cretati medio foro. Servos venales intellige, expositos cum *titulo*, hoc est, tabula, in qua descripta esset hominis industria. — *Barbara colla*, colla servorum ex gentibus barbaris. — *Cretati* (cretatis sive gypsatis pedibus) *medio quum saluere foro* (currere et subsilire jussi, quo melius ab emtoribus inspicerentur). Plinius, Hist. Nat. XXXV,

Aurum spectato, non quæ manus adferat aurum.
Versibus auditis quid nisi verba feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine ære lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino cocta jacere Noto.
His animum nostræ dum versat Acanthis amicæ,
. . . . . .
Sed cape torquatæ, Venus o regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos,

17, ubi de variis *cretæ* generibus agit, « Esse et vilissimam dicit, *qua pedes venalium* trans mare advectorum *denotare* instituerint majores. » Conf. Tibull. II, 3, 62; Juvenal. sat. I, 111.

54. *Versibus auditis*, etc. Notat lena Propertium.

56. *Surda sine ære;* muta, voce carens, cui non accedit aurum.

58. *Utere.* Absolute, ut I, 13, 34. — *Libare*, auferre, detrahere. — Tibullus I, 8, 47 : « At tu, dum primi floret tibi temporis ætas, Utere; non tardo labitur illa pede. » Ovidius, Art. Amat. III, 62 : « Dum licet, et veros etiam nunc editis annos, Ludite; eunt anni more fluentis aquæ. »

59. *Victura Pæsti rosaria* (credita, quibus esset vivendum) *jacere cocta* (usta marcida) *sub matutino Noto.* — *Pæstum*, in Lucania, cui tanta apud veteres fama ex rosis suis bis anno florentibus. Vide interpp. ad Virgil. Georg. IV, 119. — Cf. Senecam, Hippol. vs. 761 : « Anceps forma bonum mortalibus, Exigui donum breve temporis, Ut velox celeri pede laberis! Non sic prata novo vere decentia Æstatis calidæ despoliat vapor.... Res est forma fugax : quis sapiens bono Confidat fragili? dum licet, utere. »

62. Lacuna hic est ab editoribus, Mureto auctore. Scripti Codices ineptum agnoscunt versum : *Per tenues ossa sunt numerata cutes.*

63. *Columbæ guttura secta* (cæsam columbam) *ante tuos focos* (*focus;* vide III, 13, 42). — *Ob meritum.* Veneris meritum dicit mortem lenæ, quæ sequitur. — *Torquata columba* est, cui pinxit natura cinctum collum torque. Cf. Martial. XIII, 67, 1.

65. *Tussim collo concrescere. Tussis*, humor, ex quo tussis.

Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas.
Horruit algenti tegula curta foco.
Exsequiæ fuerant rari furtiva capilli
Vincula, et immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Quum fallenda meo pollice clatra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo;
Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum cædite saxis,
Mixtaque cum saxis addite verba mala.

67. *Atque* illam *exspirare animam in tegetes paternas. Teges;* matta, culcita straminea, quæ lenæ pro lecto fuerit. *Grabatos tegetesque* jungit Martialis epigr. VI, 39, 4. Has Noster lenæ *paternas* appellat, hæreditariam ejus turpem inopiam significans. — *Horruit algenti foco curta tegula.* Acanthidem, dum cruciaretur morbo atque exspiraret animam, ne parvum quidem habuisse ignem in suo curtæ tegulæ foco. *Tegula* sive potius *testa* cum accensis carbunculis, focus pauperibus etiam apud Petron. cap. 136. — *Curtus*, truncus, ut mox vs. 73, et IV, 7, 26. — *Horrere* de frigore; vide Ovidium, Art. Amat. II, 213; Juvenalem, sat. I, 93.

69. *Exsequiæ fuerant* (pompa funeris) *furtiva vincula rari capilli* (vitta, quam habuit furto, ornamentum calvo capiti); *et mitra situ pallida* (lurida, cui mutavit colorem situs; sic *pallescere* de ebore, hoc est, trahere luridum colorem, IV, 7, 82); *et canis nimis experrecta* (experrecta vigilax) *in dolores nostros* (inimica amori meo), *quum fallenda* mihi *clatra forent* (*clatra*, quibus defensa domina). — *Clatra* dedit Beroaldus ex Codicum corruptis vocabulis *caltra*, *coltra*, *cultra*, ut opinor, vere. Grammatici quidem *clatros* tantum dici affirmant; sed eadem erat licentia II, 33, 37, quum neutrum vocabulum *serta* Propertius mutaret in *sertas*, et *pulverem hanc* scriberet et *hunc colum* pro *hoc pulvere*, *hac colo* I, 22, 6, II, 13, 35, IV, 1, 72, IV, 9, 48. Vide not. IV, 11, 50.

73. *Sit tumulus lenæ amphora;* hoc est, in tumulo amphora, velut cippus. Vide vs. 2. — *Urgeat hunc* (tumulum) *supra caprifici vis.* Caprificus, sepulcrorum arbor, radicibus penetrantibus, quæ vel saxa diffringant. Vide Juvenal. sat. X, 145; Martial. epigr. X, 2, 9. *Urgeat tumulum supra caprificus*, ut II, 13, 33: « Et sit in exiguo *laurus superaddita busto.* »

75. *Quisquis amas, cædite.* Vide III, 5, 15. — *Verba mala*, diras. — Cum Propertio confer Ovidium, Amorr. I, 8, ubi pariter in lenam invehitur, et cum utroque nostrum satirarum scriptorem Régnier, *sat. XIII* (*Macette*).

CARMEN VI.

APOLLO ACTIUS.

Sacra facit vates; sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes; alio sint aere noxæ:

1. *Sacra facit vates.* Scriptum carmen exeunte anno 738 (vide Propertii Vitam Chronolog. ad 739), in pompa quinquennali anniversaria pugnæ Actiacæ. Vicerat Augustus ad Actium a. d. IV Non. Sept. ann. 723, Apollinis, ut ipse prædicabat, singulari tutela. — *Sacra.* Vide II, 10, 24. — *Vates*, vates ego Propertius. — *Sint ora faventia sacris.* Ut *Favete linguis* apud Horat. Carm. III, 1, 2; quæ solemnis erat in sacris publicis formula, ne vulgus aliqua voce mali ominis rem divinam læderet, porro, ut religiose præstarent omnes silentium. *Favete linguis* igitur, hoc est, *Silete.* — *Focos.* Vide III, 13, 42.

3. *Cera Romana certet Philetæis corymbis;* id est, cum Phileta de corona poetæ. *Ceram Romanam* intellige Romanum ingenium, vel magis proprie tabellas, in quibus hoc suum carmen scribit Propertius. De Phileta vide III, 1, 1. — *Cyrenæas aquas.* Duplex in his vocabulis notio sacerdotis et poetæ. Pertinet *aqua* ad sacrum (lustralis aqua), unde mox versu 7, *Spargite me lymphis;* tum *Cyrenææ* aquæ sunt Callimachi Cyrenæi (vide II, 1, 40), hoc est, notæ olim Callimacho (vide III, 1, 6).

6. *Laneus orbis,* vitta lanea, ut III, 6, 30.

8. *Tibia eburna Mygdoniis Cadis,* eburna Phrygia. *Tibia Cadis*, ut *lapis Paro* vel *Paria urbe*, III, 9, 16. *Mygdonii Cadi*, gens et urbs Mygdoniæ apud Strabonem lib. XII, hoc est, Phrygiæ, quam antiquo ævo Thraces Mygdones partim occuparunt (vide interpp. ad Horat. Carm. II, 12, 22). — *Carmen libet tibia. Libare*, fundere in honorem dei, quod intelligimus de carmine *dare* vel *edere*. *Libare honores deo* Statius, Silv. IV, 6, 76.

9. *Ite procul, fraudes*, etc. Quomodo apud Virgilium Sibylla :

Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis ædem;
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina : Cæsar
Dum canitur, quæso, Juppiter, ipse vaces.
Est, Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Iuleæ pelagus monumenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.

« Procul o, procul este, profani. » — *Pura laurea;* Apollinis laurea. — *Iter vati novum*, mihi vati novum, quod nunc primum experior.

11. *Ædem Palatini Apollinis;* descriptam II, 31. Vide not. ad vs. 67. Cæterum, inquit Lachmannus, « hoc quoque carmen Propertium Dierum vel Fastorum operi inserere voluisse suspicor, quod inprimis versus 67 confirmat, ultimo carminis decimi simillimus. »

14. *Juppiter, ipse vaces. Vacare*, attendere, omni cura, quæ nos teneat, cessante. Ovidius, Amorr. II, 2, 2, ad eunuchum Bagoen : « Dum perago tecum pauca, sed apta, *vaca.* »

15. *Est*, etc. Locus laboris multi apud editores, sed in quo præter structuram nihil esse difficile optime docet, qui primus intellexit, Lachmannus : « *Est pelagus*, Iuleæ carinæ monumenta, *fugiens* Athamana *ad* portûs *litora* Phœbi (Qua sinus murmura condit Ioniæ aquæ), via nautarum votis non operosa. » — *Pelagus, Actia monumenta Iuleæ carinæ*, (pelagus monumentum Augusto victoriæ Actiæ) *fugiens ad Athamana* (Epirotica) *litora*, id est, quod Epiri cavat litora sinum faciens; quo sensu Horatius Carm. I, 34, 16 : « ...Myrtale Libertina, fretis acrior *Hadriæ Curvantis* Calabros *sinus.* » — *Pelagus, Actia monumenta;* hoc est, pelagus Actium, monumenta. Sic IV, 8, 24 : « Atque *armillatos colla Molossa canes;* » (Molossos canes armillatos colla.) Vide III, 17, 31. — *Pelagus monumenta*, singularis numerus cum plurali, ut III, 7, 37 : « Natura *insidias pontum* substravit avaris. » — *Litora portûs*, ut III, 21, 23 : « Inde ubi Piræi capient me *litora portûs* » (pro quo viri docti, nec minus recte quidem, ex Groningano et altero : « Inde ubi Piræi capient *mea lintea* portus. »); Catullus LXIV, 74 : « Egressus curvis e *litoribus Piræi;* » Lucanus IV, 586 : « Clupeam tenuit *stationis litora* notæ. » — *Athamana Phœbi litora*, in quibus templum Apollinis; cf. III, 11, 69; Virgil. Æn. III, 275. — *Pelagus* autem *via non operosa nautarum votis*, liberum et apertum mare navigantibus. Quod jam erat libro III, 11, 71, hoc disticho : « At tu, sive petes portus, seu, *navita*, linques, *Cæsaris in toto sis memor Ionio.* »

Huc mundi coiere manus : stetit æquore moles
Pinea, nec remis æqua favebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter acta manu :
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum et radiis picta tremebat aqua ;
Quum Phœbus, linquens stantem se vindice Delon,
Nam tulit iratos mobilis ante Notos,
Adstitit Augusti puppim super, et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyræ :
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,

19. *Mundi manus*, advectæ copiæ. — *Moles pinea*, navium moles ingens. — *Nec remis* (classibus) *æqua favebat avis* (*avis* pro omine, fortuna, ut IV, 1, 40).

21. *Classis Teucro Quirino damnata*, quam divus Quirinus damnaverat. Sic apud Horat. Carm. III, 3, 23, *Ilion Junoni et Minervæ damnatum ;* Sil. Ital. IV, 228, « Ibant in Martem terræ dominantis alumni *Damnati superis*, nec jam reditura juventus. » *Quirinus Teucer*, Quirinus Trojana origine.

23. *Augusta*. Vide III, 3, 32. — *Plenis velis Jovis omine*, favore, tutela. — *Signa jam docta vincere patriæ suæ*, pro patria sua. Confer IV, 5, 5.

27. *Quum Phœbus, linquens stantem se vindice Delon* (*Nam tulit iratos mobilis ante Notos*), *Adstitit Augusti puppim super ;* hoc est, Delon auctore se firmam ac stabilem, quæ diu vaga per mare jactata est ventis. Fabula ex notissimis est.

29. *Nova* (mira, insolita) *flamma*. Lætum prodigium micantis flammæ est, nihil aliud, opinor. Heynius quidem ad Virgil. Æn. VIII, 681, « Hinc Augustus.... Stans celsa in puppi ; geminas cui tempora flammas Læta vomunt, *patriumque aperitur vertice sidus*, » ex utroque loco accipit *Julium sidus super Augusti caput*. Sed quod Virgilius diserte et aperte dicit, quis agnoscat apud Nostrum, nisi vim singulis verbis interpretatio faciat ?

31. *Non ille adtulerat crines*. Vide III, 7, 60. — *Aut inerme lyræ carmen ; inerme*, quod pacis est, non belli. Ovidius in Ibide, vers. 2 : « Omne fuit Musæ *carmen inerme* meæ. » *Carmen lyræ*, ut II, 1, 9, de qua forma vide II, 10, 23.

33. *Sed quali*, etc. Non placi-

Egessitque avidis Dorica castra rogis;
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait: O longa mundi servator ab Alba,
Auguste, Hectoreis cognite major avis,
Vince mari: jam terra tua est: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ nunc te vindice freta
Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent, pro! turpe Latinis:
Principe te, fluctus regia vela pati!
Nec te, quod classis centenis remiget alis,

dus, inquit, non fluente coma, non cithara sonans Apollo venerat; sed quali vultu terribili Agamemnona intuitus est, quum propter raptam Chryseida immissa peste *egessit rogis* (funeribus exhausit) *castra Dorica*. Cf. III, 18, 29—30. — *Non adtulerat*..... *Sed quali*, etc. Vide III, 22, 37. —*Egesta rogis castra*, ut *egestas alternis mortibus urbes* Statius, Thebaid. I, 37.

35. *Aut qualis solvit* (dissolvit telis suis, h. e. necavit) *Pythona serpentem per flexos orbes* (sic junge *Pythona per orbes*, id est, per orbes Pythona flexum), *imbelles quem timuere lyræ* (hoc est, Musæ cum timidis lyris).

37. *Mundi servator ab Alba*. Sic *Mezentium ab oris Tyrrhenis* Virgil. Æn. VII, 647; *Acronta ductorem Cænina ab arce* Noster IV, 10, 9.

40. *Hoc onus ex humeris meis*; pharetra, sagittæ.

43. *Murorum Romulus augur*. Mihi, ut Burmanno et aliis, approbat Bentleius (ad Horat. Carm. III, 3, 65) rationes suas, cur lectionem hanc Codicum corruptam judicet, quocum igitur lego *murorum Romulus auctor*. — *Ire Palatinas non bene vidit aves*, bono nullo vicit augurio vulturum; melius erat, si non urbem conderet.

45. *Et nimium*, etc. Hic etiam viri docti aut explicare conantur quod non intelligunt, aut sine causa emendatione opus esse judicant. Scilicet res omnis erat ex interpunctione recte an male posita. Lege cum Lachmanno: « Et nimium remis audent (pro!) turpe Latinis: Principe te, fluctus regia vela pati! » *Audent nimium turpe Latinis remis*, rem nimis turpem: Istos (Cleopatram et Antonium), quod Latinæ classes nimium sibi turpe non ferant, audere: principe te, regia vela mare pati!

47. *Nec te*, etc. Nec te terreant, inquit deus, innumeræ hostium naves, proræque cum trucibus

Terreat : invito labitur illa mari ;
Quodque vehunt proræ Centaurica saxa minantes :
Tigna cava et pictos experiere metus.
Frangit et adtollit vires in milite causa ;
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest ; committe rates : ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, et pharetræ pondus consumit in arcus :
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi ; dat femina pœnas ;
Sceptra per Ionias fracta veluntur aquas.
At pater Idalio miratur Cæsar ab astro ;
Tum deus : En nostri sanguinis ista fides !
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ
Plauserunt circa libera signa deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaei,

Centaurorum figuris : nam et invito vehuntur mari, et figuræ istæ solummodo picturæ sunt. — *Alæ*, pro velis dictæ sunt, opinor, ut apud Virgil. Æneid. III, 520, *velorum alas ;* nisi mavis intelligere remos, ut quidam volunt. — *Centaurica.* Guyetus correxit, quocum cæteri : « Quodque vehunt proræ *Centauros* saxa minantes. » Optime ; quamquam de Lachmanni sensu nec ejiciamus Codicum omnium lectionem *Centaurica : Proræ vehunt minantes saxa Centaurica* (*minantes*, casus quartus), id est, Centaurorum figuras minantes saxa. Vide III, 17, 30 ; IV, 6, 17. — *Quod remiget* versu 47, et hoc nostro *Quod vehunt.* Vide I, 2, 9, II, 1, 51. — *Experiere pictos metus* esse ; picturas ad terrorem.

53. *Ego temporis auctor*, qui te adesse tempus doceo. Unde mox vs. 57 : « Vincit Roma *fide Phœbi.* »

60. *Tum.* Impressi libri : « At pater Idalio *miratus* Cæsar ab astro : *Sum* deus ; en nostri sanguinis ista fides. » *Miratus* ex emendatione, ut videtur, Mureti ; *Sum* ex manuscriptis omnibus, sed inepte, ubi nihil plane ad rem, si jactaret Cæsar numen suum. Revocemus igitur scriptam lectionem *miratur*, porro in minore versu scribamus cum Lachmanno *Tum deus.* — *Idalium astrum*, hoc est, Veneris, quæ prolem habuit gentem Juliam.

62. *Plauserunt circa libera signa marinæ deæ. Circa libera signa*, jam libera, quibus parata servitus, si vincerentur. *Signa*, ut vs. 24. Nolim interpretari cum Mitscherlichio (ad Horat. Carm. I, 37, 1) de liberis lætitiæ signis, quæ plauserint Nereides ; quo sensu deceptus *circa* hoc versu absolute positum adduxi II, 15, 45.

63. *Illa*, Cleopatra. Vide III, 6,

Hoc unum, jusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias!
Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditiæque fluant per mea colla rosæ;

25. — *Hoc unum, jusso non moritura die;* felix in hoc solum, quod non moritura esset decreto die. *Jussus dies*, dies quem volebat Augustus, hoc est, triumphi.

65. *Di melius!* etc. Hoc distichon multis ironice dictum videtur: « Di melius fecerunt: quam turpis enim et indignus nomine Romano triumphus, in quo mulier, etc. » Sed ita quidem inepte addere Propertium *unam* mulierem, non attendunt. Immo: « Di melius vellent! femina *vel una* quam insigne triumphi ornamentum erat, si per easdem urbis vias duceretur, per quas olim Jugurtha ductus est! » *Di melius!* de malis avertendis formula, quam et in votis, ut hic, positam esse Livineius docet.

67. *Actius hinc traxit Phœbus monumenta.* Suetonius, August. cap. 18: « Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolin apud Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit; et ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis Neptuno ac Marti consecravit. » (Ipsi Apollini consecratum locum tradit cum Strabone Dio.) His honoribus adde templum in Palatio dedicatum publicatumque anno 726, de quo Noster vs. 11. — *Quod ejus una sagitta vicit decem rates.* Frigidum prorsus ingenium poetæ, quo tanto plus ipse Apollini detrahit, quanto plus conatur majestatis addere.

71. *Candida nunc subeant molli luco convivia. Subire*, ut apud Virgilium, Æn. VIII, 125: « Progressi *subeunt luco*, fluviumque relinquunt. » *Convivia luco subeunt*, quæ feruntur in lucum, ut *spatiari* et *ire* dicimus pompam, quæ ducitur (vide III, 11, 37). *Candida* autem *convivia*, quæ de more celebrantur albis vestibus. Sic *candidam pompam* Ovidius in sacris Robigalibus, Fast. IV, 906: « Obstitit in media *candida pompa* via. » Jam porro *candidus* pro felici, ut *candida nox* et *candida omina* apud Nostrum II, 15, 1, IV, 1, 67. — *Blanditiæque.* Vocabulum corruptum, nec Latinum, qualiter interpretari conantur, *rosas blanditias* per appositionem, vel *blanditias rosæ*, id est, rosarum. Nec quidquam dico de Scaligeri emendatione (si vocari hoc emendatio possit) *Blanditæque rosæ* pro blandis. Melius alii *Blandusiæque* vel *Blandinæque;* sed obest, quod nihil de rosis Blandusiæ, sive potius *Bandusiæ*, tradunt veteres. Quare ego

Vinaque fundantur prælis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritet Musa poetis;
Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros;
Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat:
Hic referat sero confessum fœdere Parthum;
Reddat signa Remi: mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropæa suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas;
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

cum Lachmanno legerem: « *Blandæ utrimque* fluant per mea colla rosæ; » ex librorum contracta scriptura *Blandutnq. Utrimque*, læva dextraque parte. Sic Ovidius Metam. IX, 90: « Una ministrarum fusis *utrimque* capillis Incessit. »

74. *Spica Cilissa*, crocus; optimus erat ex Coryco monte Ciliciæ; hoc versu, unguentum croci. *Spica*, ut etiam Ovidius appellat Fast.

76, de flore, cujus ex interiore parte dependent fila (*les étamines*), quæ spicæ comam imitantur.

77. *Sicambri*, gens ad Rhenum, paulo post Actiacos hujus anni ludos editos ad pacem adacta. — *Meroe*, Nili insula Æthiopum, quorum *fusca regna* debellata anno 732. *Cephea* (Cepheia) *Meroe*, ab antiquo rege Cepheo, Andromedes patre.

79. *Confessum Parthum* (victum se fassum) *sero fœdere*. Claudianus, de VI Consul. Honorii, 249: « Nulla est victoria major, Quam quæ *confessos* animo quoque subjugat *hostes*. » Ovidius, Metam. V, 215: « atque ita supplex, *Confessasque manus* obliquaque brachia tendens, Vincis, ait, Perseu. » Sic *fassum* absolute dicunt eum, qui fatetur culpam. Vide Ovid. Pontic. IV, 2, 23, Amorr. III, 9, 35. — *Signa Remi*. Vide III, 11, 52; II, 1, 23. Reddidit signa Phraates ann. 734.

81. *Pharetræ Eoæ* pro gentibus pharetratis Asiæ.

83. *Si quid sapis. Sapere*, sentire, intelligere. Vide Nostrum II, 13, 42, et Ciceronem passim. — *Nigras inter arenas*, inter arenas tumuli, quas *nigras* dicit, ut alia sunt apud poetas quæcumque mortis; *niger ille dies* II, 24, 33, *nigra lumina rogi* IV, 3, 14, *nigra sepulcri janua* IV, 11, 2, *atræ Esquiliæ* (Esquiliæ, locus olim ad sepulturas) apud Horat. sat. II, 6, 32. — Cf. not. I, 3, 6.

86. *In mea vina*, pocula. *Vina* pro vino, ut I, 14, 2, III, 17, 10, IV, 2, 30, et passim. — De pugna Actiaca lege Virg. Æn. VIII, 675 sqq.

CARMEN VII.

UMBRA CYNTHIÆ.

Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit;
  Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremæ nuper humata viæ,
Quum mihi somnus ab exsequiis penderet amoris,
  Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
  Eosdem oculos; lateri vestis adusta fuit;
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
  Summaque Lethæus triverat ora liquor.
Spirantisque animos et vocem misit: at illi
  Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
  In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburæ,

1. *Sunt aliquid Manes.* Vide III, 7, 18.

3. *Fulcrum*, lecti fulcrum. — *Humata nuper ad murmur extremæ viæ;* ad Anienis undam, extrema Tiburtina via. Vide vs. 85 sq. — *Penderet. Somnus pendens ab exsequiis*, defixus in exsequias, quibus veluti suspenditur; somnus, in quo dormientem funeris imago ex recordatione sequitur. *Exsequiæ amoris* sunt ipsius Cynthiæ, quomodo libro I, 17, 20, *amorem* suum *positum* (tumulatum) dicit, hoc est, se ipsum amantem. — *Lecti frigida regna*, cælibem lectum frigidum.

10. *Summa ora*, labra, quæ sunt oris pars summa.

11. *At illi.* Vide IV, 4, 15. — *Illi fragiles manus increpuere pollicibus*; quippe quæ, ut in ira solet, brachia protendit, pugnos, quos intentat, pollicibus premens. *Fragiles manus*, sonantes; vide IV, 5, 4. *Fragilis* de sonitu. Virgilius eclog. VIII, 82: « Sparge molam, et *fragiles* incende bitumine *lauros;* » et Georg. I, 76: « Aut tenuis fœtus viciæ, tristisque lupini Sustuleris *fragiles calamos* silvamque sonantem. »

15. *Furta.* Vide III, 23, 18. — *Subura vigilax.* Subura, vicus ur-

Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Sæpe Venus trivio commissa, et pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes.
Unum impetrassem, te revocante, diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Læsit et objectum tegula curta caput.

bis ad Cœlium montem, seram in noctem semper clamosus ac strepens, in quo permixti caupones, impudicæ, quidquid turpe et putidum. Cynthiæ igitur domicilium fuit, ut ipsa docet.

18. *Alterna manu*, alternatim descendentibus per funem manibus. Venustum distichon.

19. *Sæpe Venus trivio commissa*, in trivio commissa; quomodo *commissos ludos*, *commissum Martem*, dicimus. — *Vias pallia nostra fecerunt tepidas*, nos tepefecimus jacentes cum nocturnis palliis.

21. *Fœderis heu taciti!* heu secretum amoris fœdus! *Heu* cum secundo casu, ut Græcis familiare est. Nec aliter Plautus, Mostell. III, 3, 9: « Di inmortaleis! *mercimoni lepidi!* Si hercle nunc ferat Sex talenta magna argenti pro istis præsentaria, Numquam adcipiam. »

23. *Inclinare*, condere. — *Oculos euntes;* abeuntes, puto; figurate pro morientibus, quomodo lingua nostra diceres « des yeux qui *s'en vont.* » — *Unum* saltem a Parcis *diem, te revocante, impetrassem.* Sententia similis II, 27, 15—16.

25. *Nec crepuit fissa..... tegula curta caput.* Propertii locus, ut alii veterum non pauci, in quo nobis ignorantia rerum, quæ tum in usu fuerint, certum sensum eripit, relicta solummodo quærentibus obscura conjecturarum via. Quare igitur nihil affirmo, sed, positis duobus versibus hic, ubi Codices exhibent, difficile erit persuadere sibi cum interpretibus aliis *custodem* appositum mortuo, qui *fissa arundine* (fistula vel crotalis) *propter* (juxta) Cynthiam *crepuerit*, suum ita significans officium vigilis; omnino: Ne custos quidem funebri lecto meo datus est, quin *et objectum caput læsit curta tegula* (quod alii de lapidibus missis in mortuam accipiunt, alii de tegula cogitant, quæ pro pulvillo turpiter capiti supposita fuerit). Vide nunc an non rectius faciant, qui sedem hujus distichi post versum vicesimum statuunt: « Sæpe Venus trivio commissa, et pectore mixto Fecerunt tepidas pallia nostra vias. *Nec crepuit fissa me propter arundine custos, Læsit et objectum tegula curta caput.* » Ita

Denique quis nostro furvum te funere vidit?
Atram quis lacrymis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
Jussisses lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernæ;
Sensi ego, quum insidiis pallida vina bibi;

jam non de custode post morem loquetur Cynthia, sed de janitore domus suæ, cujus numquam vigilantia obstiterit amoris dolis, quo fere modo versu 74: *Patuit, nec tibi avara fuit* nutrix Parthenie. Scilicet: « *Nec propter me* (quum ad te noctu per fenestram descenderem), *crepuit custos fissa arundine* (sonitu fissæ arundinis de fuga mea monuit domum; ut *arundinem fissam* intelligamus genus quoddam fistulæ in hunc usum ostiario;) *læsit et objectum caput curta tegula* (nec umquam conjectæ in te, quibus arcereris, de tecto meo tegulæ.) Alii *arundinem* volunt esse virgam suspensam ostio (de qua Seneca, Constant. Sap. cap. 14, Petronius cap. 134), quam Propertio, quum intrare vellet, numquam opus fuerit diffindere crepantem in custodis humeros.

27. *Furvum*. Sic recte Passeratius et Heinsius. *Curvum* habent Codices, quod de senectute dici equidem scio, de mœsto incedentis habitu quis firmaverit exemplo?

29. *At illuc* (at saltem ex domo ad portas) *jussisses* (tibi jubendum erat), *lentius ire funus meum*; nempe, ut aliquo pudoris sensu exiguum iter protraheres.

31. *Cur ventos non ipse rogis petisti?* Ductum ex Homero, Iliad. ψ, 194 sqq., ubi Achilles ad rogum Patrocli ventos, qui flammam excitarent, invocat.

33. *Injicere mercede nulla hyacinthos. Mercede nulla*, gratuito, pro quibus injectis præmium referres nullum. — *Piare busta fracto cado* sacrificare bustis fuso mero. Vide IV, 1, 50.

35. *Lygdamus*. Cynthiæ servus III, 6, Propertii IV, 8, 37. — Hunc Lygdamum Cynthia cum quadam Nomade, amica, ut videtur, Propertii nova, auctores sibi mortis fuisse declarat: « Igne torqueatur verna Lygdamus (sensi, quum mihi perfide venenum datum est), Nomas autem, quæ socia criminis, arcanas tollat salivas suas: utriusque scelestas fuisse manus tormentorum vis docebit. » — *Candens lamina*, sive, ut vs. 38, *testa ignea*, cruciatus instrumentum etiam apud Cicer. II in Verr. V, 63. — *Pallida vina*, venenata, ex quibus imbibimus pallorem mortis; sic *lurida aconita* Ovidius Metam. I, 147, et

At Nomas arcanas tollat versuta salivas :
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quæ modo per viles inspecta est publica noctes,
Hæc nunc aurata cyclade signat humum,
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus ;
Cæditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente, meæ conflavit imaginis aurum,
Ardenti e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti :

livida veneno adipata Juvenalis sat. VI, 631. — *Arcanas salivas* intellige magicas, quas, ut a se pœnam sceleris deprecaretur, versuta Nomas ter in sinum despueret (de qua veterum superstitione vide Plinium, Hist. Nat. XXVIII, 4); *tollere* autem, supprimere : At tutari se desinat astuta venefica occultis artibus. — *Dicet.* Vide II, 32, 35. — *Damnatas manus*, scelestas. Petronius cap. 80 : « ... et adtulissem mihi *damnatas manus*, si non inimici victoriæ invidissem. » Sic *damnare manus*, scelerare, Silius Ital. IX, 124.

39. *Quæ modo hæc* Nomas publice se dabat omnibus, *nunc signat humum aurata cyclade*, cumulata a te donis incedit cum auratis vestibus. — *Viles noctes.* Vide III, 13, 1. — *Cyclas*, tenuis vestis fluens, cujus ad inferiorem oram assutus limbus (κύκλος) aureus.

41. *Quasillum* sive canistrum intellige, quod lanam factam excipit. *Iniquum* est, quoties graviore penso onerat hera ancillam. — Regnare igitur in domo sua fingit Cynthia vilem istam, quam ancillis heram novam dederit Propertius. Sequentia confirmant, in quibus Petale et Lalage, et verss. 74—75 Parthenie et Latris, nomina servarum sunt, quas habuit Cynthia.

44. *Codicis immundi vincula. Codex*, stipes ligneus, cui servus insidet vinctus, ut redimat culpam. Vide Juvenal. sat. II, 57 ; Turneb. ad Plaut. Pœnul. V, 3, 34.

45. *Tortis suspensa capillis.* Burmanno, ubi tam facilis et apertus sensus est, aliquid reconditi magis placet ; nimirum capillos tortos non esse ipsius servæ, sed flagellum ex intortis capillis, quo misera cæditur. Non magis ego in hoc Burmannum sequar, quam in re simili Mitscherlichium supra IV, 6, 62.

47. *Aurum imaginis meæ*, circumductum meæ imagini. *Imago*, facies picta (*un portrait*).

Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego Fatorum nulli revolubile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytæmnestræ stuprum vehit, altera Cressæ

51. *Juro ego Fatorum nulli revolubile carmen (Tergeminusque canis sic mihi molle sonet), Me servasse fidem.* Codex Groninganus: « Juro ego Fatorum nulli *revocabile* carmen; » sed cujus auctoritas hic non persuadet, scriptis cæteris magis servantibus Propertii ingenium hac forma *revolubile carmen*, id est, quod ut revolvant (bis canant) Fata, nemini datur. Valerius Flaccus III, 408: « Ensifer hic atraque sedens in veste Celeneus..... *Carmina* turbatos *volvit* placantia Manes. » Statius, Silv. V, 3, 182: « cui Chalcidicum fas *volvere carmen*, Lanea cui Phrygii est coma flaminis. »

57. *Altera.* Contra sensum loci; nam nihil diversi inter feminas, quæ sunt in scelere similes. Quare Livineius, viris doctis sequentibus: « Una Clytæmnestræ stuprum vehit, *unaque* Cressæ Portat mentitæ lignea monstra bovis. » Sed de structura orationis laboro; nam in his, quod interpretibus *unam navem* intelligere placet, quis probet, quum de nave nihil dictum sit? Dicta autem hæc erant: « Nam *gemina* est *sedes* turpem *sortita* per amnem, Turbaque diversa remigat omnis *aqua*; » quæ neque ipsa satis clara sunt, nisi quod *sortita sedes* (*quæsita* enim ex Groninganо nolim) quin passive dicatur, non dubito, de quo usu Forcellinium vide in Lexico. Nam si geminam turbam sedes sortitam esse intelligere velles, ut apud Valerium Flaccum II, 483, *sortitaque Lethen Corpora*, deberet esse: *sedes sortita per amnem Turba, et*, etc. non *Turbaque*. Burmannus geminam sedem indicari vult, quæ in cymba Charontis vectoribus assignetur; quod quomodo ex sequentibus manifestum esse contendat, non capio. Malim igitur intelligere geminam, piorum et impiorum, sedem ad *turpem* fluvium (ad amnis inferni litora); quia duas rates esse, quibus animæ ad sedes suas vehantur, in sequentibus aperte dicit. Tum vero ex illis, « Turbaque *diversa* remigat omnis *aqua*, » proximum versum explico: « Una aqua Clytæmnestram Pasiphaenque et harum similes ad sedem sceleratam portat: altera turba coronato phaselo ad campos Elysios vehitur. » Hoc sententiarum filum secuti, facile reperiemus, quod ad Codicum scripturam *altera* propius, quam *unaque* Livineii, accedat. Repono: « Una Clytæmnestræ stuprum vehit, *ac rate* Cressæ Portat mentitæ

Portat mentitæ lignea monstra bovis.
Ecce, coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritæ
Narrant, historiæ pectora nota suæ.
Hæc sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores;
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrymis vitæ sanamus amores.

lignea monstra bovis. » *Aqua* Clytæmnestram *vehit* ac *portat* rate Pasiphaen. Ovidius, Art. Amat. III, 386: « Nec *vos* Campus habet, nec vos gelidissima Virgo, Nec Tuscus placida *devehit amnis* aqua. » Lachmannus.

61. *Qua fides* (lyra, cithara), *quaque æra rotunda Cybebes* (Phrygia cymbala), *plectraque Lydia, sonant mitratis choris* (tertius casus); id est: Qua mitrati chori sonant lyra plectrisque et cymbalis. *Numerosa fides*, fides numerose canora, ut ipsum Horatium *numerosum* dicit Ovidius, Trist. IV, 10, 49.

63. *Sine fraude maritæ Narrant.* Sensum hic, de quo desperaverant critici, nisi varie corrigerent, Lachmannus addita post *Narrant* distinctionis nota ex ipsa Codicum scriptura explicat: *Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritæ Narrant*, hoc est, se maritas sine fraude. Ovidius, Metam. IX, 545: « *superata fateri* Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis; » me superatam. Conf. III, 6, 40. — *Pectora historiæ suæ nota*, per appositionem, quomodo passim *pectora cara, fortissima, junctissima*, legimus. *Nota historiæ suæ*, hoc est, historiâ suâ. Secundus casus pro sexto, familiare etiam poetis loquendi genus. Horatius, Carm. I, 22, 1: « *Integer vitæ* scelerisque purus Non eget Mauris jaculis, etc. » sat. I, 9, 11: « O te, Bolane, *cerebri Felicem!* aiebam tacitus. »

65. *Maternis catenis.* Vide III, 15, 24. Conf. III, 22, 29.

67. *Magnum ausas esse sorores; magnum*, immane, hoc est, immaniter. Neutri forma, ut II, 15, 53.

69. *Sic*, id est, Inter recordationes has, dum sic invicem revocamus fata nostra, *sanamus mortis lacrymis* (nostris post mortem lacrymis) *amores vitæ* (vulnera quæ nobis in vita fecit amor). Cæterum, qui *mortis lacrymas* hoc versu recte dici nolunt, reputent parumper secum Propertii illud IV, 4, 90:

Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie : patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab usu est,
Ne speculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi : laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
Mollia contortis adligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,

« At Tatius.... Nube, ait, et *regni* scande *cubile* mei. »

72. *Doridos herba*, pro veneficiis. *Doris*, quantum licet conjicere, nomen sagæ, quam consuluit Nomas.

73. *In tremulis annis*, in sera ætate. — *Patuit tibi. Patere*, dare alicui facilem accessum ; sic Ovidius Metam. X, 483 : « O si qua. *patetis* Numina *confessis*, merui, etc. »

75. *Latris, cui nomen ab usu est* ; ab λατρεύω, servire.

77. *Et quoscumque versus fecisti nomine meo*, meo sub nomine. — Ex hoc loco patet, non recte vulgo primum tantum librum nomine Cynthiæ inscribi, quod quatuor (tres in hac editione nostra) aut certe tres (duo) priores sibi vindicant. Nec sane Martialis primum librum significat solum, epigr. XIV, 189 : « *Cynthia*, facundi *carmen juvenile Properti*, Accepit famam, nec minus ipsa dedit. » Certe juvenem fuisse Propertium, quum moreretur, in præfatione demonstramus (vide Vitam Chronolog. pag. 29 init.). *Monobibli* nomen, quod Codices Martialis Propertiique agnoscunt, iisdem libris, qui quasi unius instar haberent, impositum fuisse censeo, ut eo aut a quarto quintoque (tertio et quarto) aut a quinto (quarto) certe, qui nihil ad Cynthiam pertinet, segregarentur. Lachmannus. — *Ure mihi*, in honorem meum. — *Laudes* has *meas habere* tecum (retinere) *desine*.

79. *Hederam, quæ pugnante mihi corymbo* (obnitentibus in sepulcrum corymbis), *ossa mihi contortis comis adligat* (ossa mea lædit implicans sinuosis ramis). — *Hedera*, inquit Plinius, Hist. Nat. XVI, 34, « inimica arbori satisque omnibus ; *sepulcra*, muros *rumpens*, etc. »

81. *Anio spumifer* ; quem vidimus cadentem de scopulis in lacus III, 16, 4. Cf. Ovid. Amm. III, 6, 46. — *Incubare* de fluvio, vel quia extenditur, vel quia *cadit in lacus*, sup. l. c. — *Pomosa arva* Ti-

Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hic carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra.
Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Quum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur; nox clausas liberat umbras;
Errat et abjecta Cerberus ipse sera.
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti;
Nos vehimur; vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliæ: mox sola tenebo;
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

buris. *Pomosum Tibur* etiam Columella, de Hort. Cultu X, 138; *pomaria Tiburis* Horatius, Carm. I, 7, 14. — *Et numquam Herculeo numine pallet ebur.* Celum Tiburis servasse ebori perpetuum nitorem suum, tradit præter alios Silius Ital. XII, 229: « Quale micat semperque novum est, quod Tiburis aura Pascit, ebur. » — *Pallet.* Vide IV, 5, 70. — Rem Noster poetice trahit ab *Hercule*, qui deus Tiburis.

84. *Vector currens.* Viri docti de cymba per amnem capiunt: intelligo ego equitem per viam (per Tiburtinam viam dictum versu 4), quamquam, fateor, novum est et sine exemplo fortasse *vector* pro equite, nullo vocabulo addito. Sed hoc solummodo novum est: at hercle longe aliud, si *currat* vector cymba, qui *ab urbe* Tibur tendit, hoc est, iter facit adverso flumine. Vide Propertium ipsum I, 14, 4, ubi diserte de Tiberis utraque navigatione prona et adversa: « Et modo tam celeres mireris currere lintres, Et modo tam *tardas funibus ire* rates. »

85. *Aurea Cynthia.* Vide II, 31, 1.

87. *Somnia venientia piis portis*, corneis. De gemina Somni porta, cornea, quæ veras umbras, eburna, quæ simulacra falsa mittebat, vide Heyn. ad Virgil. Æn. VI, 894.

90. *Sera.* Vide mox IV, 11, 26.

91. *Luce jubent leges..... reverti.* Conf. Virgil. Æn. V, 738 sq. — *Nos vehimur; nos* revocati ad Orcum Manes, *vehimur*, renavigamus Stygis undas. — *Vectum nauta recenset onus;* turbam suam, de numero sedulus.

94. *Et mixtis ossibus ossa teram.* Vide III, 20, 6. *Ossa*, ipsa ossa.

CARMEN VIII.

PROPERTIUS FURTIVIS IN AMORIBUS CAPTUS A CYNTHIA.

DISCE, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Quum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam raræ non perit hora moræ,

1. *Disce, quid hac nocte* (nocte supera) *fugarit aquosas Esquilias* (in quibus habeo domum, vide III, 23, 24), *Quum vicina turba* (tota vicinitas) *novis agris cucurrit* (ex quo verbo *currere* intellige alterum *fugare; fugam*, id est, *cursum*); omnino : « Quid subverterit Esquilias concursantium tumultu. » Causa hujus insanæ noctis Cynthia, ut mox videbimus, quæ, dum Propertius furtiva gaudia capit, Lanuvio necopina redit, furensque sævit in omnem domum. — *Aquosas Esquilias.* Interpretor udas multis fontibus, ex versu 58, « Territa *vicinas* Teia clamat *aquas*, » id est, ex vicinis fontibus aquas. — *Agri novi*, Esquiliæ ipsæ, olim sepulcretum deforme, sed nunc *ager novus*, regio nova urbi addita, quas Mæcenas purgaverat. Horatius, sat. I, 8, 14 : « Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes Albis informem spectabant ossibus agrum. »

3. *Lanuvium*, oppidum Latii ad Appiam viam, cum templo ac solemni cultu Junonis Sospitæ. Vide Rupert. ad Silium, VIII, 360. — *Lanuvium est tutela draconis.* Vide III, 19, 15. — Draconis historiam tradit Ælianus XI, 16 : « In Lanuvio sacer est lucus magnus et opacus, juxtaque ipsum ædes Junonis Argolidis. In eodem luco latibulum est amplum ac profundum, draconis cubile. In lucum quotannis virgines certis diebus ingrediuntur, quæ mazam gestant manibus, oculos fasciis devinctæ. Eas recta ad latibulum divinus quidam spiritus deducit. Progrediuntur illæ sensim ac pedetentim sine offensione, ac si detectis oculis viderent. Quod si virgines fuerint, cibos tamquam puros et deæ grato animanti convenientes admittit draco : sin minus, non attingit, corruptas esse intelligens et divinans. » (Ex versione Gesneri.) — *Hic ubi non perit* (non amittitur publico videndi studio) *hora tam raræ moræ* (tam raræ *commorationis* ad serpentis antrum; vide III, 14, 26) : Quo turbam avidam rapit anniversarius (*rarus* porro) spectaculi dies. — *Perire.* Ovidius, Heroidd. XVII, 175 : « *Tempora* ne *pereant* ultro data, præcipis, utque Simplicis utamur commoditate viri. »

Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
  Qua penetrat — virgo, tale iter omne cave, —
Jejuni serpentis honos, quum pabula poscit
  Annua, et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
  Quum tremere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
  Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
  Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.

5. *Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu, Qua penetrat (virgo, tale iter omne cave,) Jejuni serpentis honos.* Sic distinguendum. — *Qua sacer descensus cæco hiatu abripitur* (ubi descensus solemnis in cæcum antrum abripit puellas), *Qua penetrat jejuni serpentis honos* (cum quibus pariter descendit cibus jejuno serpenti donum). — *Virgo, tale iter omne cave*; similem omnem experientiam, tam incertam, tam lubricam. Cæterum, in carminibus his libri quarti condonemus Propertio difficultatem sensus junctam cum dictionis vitio: « Hic *ubi* tam [illegible]ræ moræ hora non perit, *Qua* (ubi) sacer descensus hiatu cæco abripitur, *Qua* (per quem cæcum hiatum) penetrat jejuni serpentis honos; » nisi sit fortasse: Ubi non perit *hora*, *qua* descensus abripitur *hiatu*, *per quem* penetrat, etc.

10. *Tremere. Tenera* Scaliger ex Codice suo, quem recentibus mixtum emendationibus comperimus: « Quum *tenera* anguino creditur ore manus. » Quod scripti boni omnes habent, non est deterius: « Quum *temere* anguino creditur ore manus. » In utraque lectione *ore* pro *ori* est, qualia apud Propertium permulta agnoscunt interpretes, licentiam, Ennio fortasse aut Lucilio concessam, ævo Augusteo male tribuentes. Subjicimus pleraque Propertii, quæ ita interpretando corruperunt: libro I, 4, 22, « heu *nullo limine* carus eris; » I, 8, 22, « Quin ego fida *tuo limine* verba querar; » I, 18, 12, « ut non altera *nostro Limine* formosos intulit ulla pedes; » II, 18, 26, « Turpis *Romano* Belgicus *ore* color; » III, 6, 20, « Est pœnæ *servo* rumpere *teste* fidem; » III, 6, 24, « Si placet, insultet, Lygdame, *morte mea* » (*morti meæ* reponit Scaliger); IV, 7, 77, « Et quoscumque *meo* fecisti *nomine* versus, Ure mihi. » Non est igitur, ut hic *ore* pro casu tertio accipiamus, et Propertio potius, quam librariis, errorem adscribamus. Recte, ut puto, in Codicibus aliis correctum est: « Quum *tremere* anguino creditur ore manus; » in serpentis ore. Lachmannus.

13. *Redeunt in colla parentum*, pudicitiæ honore lætantes. Cæteris, quas draco notaverat impuras,

Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis :
  Causa fuit Juno, sed mage causa Venus.
Appia, dic, quæso, quantum te teste triumphum
  Egerit, effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit quum rixa taberna ;
  Si sine me, famæ non sine labe meæ.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per impuros frena movere locos.
Serica nam taceo vulsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes,
Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,
  Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Quum fieret nostro toties injuria lecto,

pœna decreta erat Æliano teste.

15. *Manni* sunt agiles et elegantes equi, statura breviores. *Detonsi*, sectis jubis. — *Causa fuit Juno, sed mage causa Venus ;* eundi ficta causa Juno, vera causa erat Venus. Draconis spectaculum igitur erat ipso die, quo sacrum Junonis Sospitæ. — *Mage*. Vide I, 11, 9.

17. *Appia*. Lanuvium ad Appiam viam situm esse diximus vs. 3. De via ipsa vide II, 32, 6. — *Dic, quantum te teste triumphum egerit*, etc. *Triumphum* intellige impudentiæ spectaculum, id est, triumphalem Cynthiæ cursum per mediam turbam cum homine perdito, de quo mox versu 23. — *Turpis rixa quum in taberna sonuit*. De qua re et inter quos turpis hæc rixa, non satis apparet.

21. *Spectaclum* Cynthia (quæ se daret spectaculum omnibus) *primo temone pependit* (aurigæ occupavit locum pendens in equos). *Primus temo*, pars temonis prima, hoc est, ad rotas, quomodo *primi Lares* vs. 50 de vestibulo domus.

23. *Serica nam taceo*. Sic Beroaldus, quod ego non magis quam Lachmannus verum puto ; sed ita sunt corrupti Codices, ut, præcipue in talibus versibus, satis hoc esse videri possit. — *Carpenta Serica*, carpentum obductum velis Sericis. — *Vulsus nepos*, depilatus et erasus. *Nepos*, ut sæpe, infamis. — *Canes ;* canes ad carpentum latrantes, tumultum tam decoræ pompæ additus. — *Canes armillatos Molossa colla*. Vide IV, 6, 17. — *Armillatos colla*, torquatos. — De canibus *Molossis* (quos mittit Epirus) vide interpp. ad Virgil. Georg. III, 405. — *Qui*, nepos. *Dabit* iste *immundæ saginæ venalia fata* (se vendet vitamque suam lanistæ), *barba pudenda ubi vincet erasas genas* (quum ejus in ore vincet barba radendi artem ; quum semel invito se vir factus erit). *Immunda sagina*, gladiatorum sagina, spurcus cibus.

Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ,
Sobria grata parum : quum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos,
Candida : sed potæ non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quæris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex,
Et Methymnæi Graia saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

29. *Vicina Aventinæ Dianæ*, quæ in Aventino ad templum Dianæ habitat. — *Quum bibit, omne decet;* placet ea, quidquid agat.

31. *Tarpeios inter lucos*, in lucis inter Capitolium et Campum. — *Candida*, venusta; sic *candida Tyro* II, 28, 51. Vide III, 24, 8.

34. *Furta* (gaudia) *mea*. Vide III, 23, 18.

35. *Secretam herbam* intellige locum in hortis secretum. — *Quæris concubitus*, sedem cujusque? *Lectulus* enim est discubitorius, et *concumbere* sic erat positum IV, 1, 4.

37. *Lygdamus ad cyathos*, minister ad cyathos. Horatius, Carm. I, 29, 8 : « Puer quis ex aula capillis *Ad cyathum* statuetur unctis? » — *Vitri æstiva supellex;* vitrum, id est, vitrei calices, quæ proprie supellex æstivi temporis. Sic *æstivum vitrum* Virgilius in Copa, vs. 29. — *Et Methymnæi Graia saliva meri*. *Saliva* pro sapore. Plinius, Hist. Nat. XXIII, 1, seu 22 : « Sua cuique *vino saliva* innocentissima, sua cuique ætas gratissima, hoc est, media. » — *Methymnæi*. Vide I, 14, 2. Methymna, urbs in Lesbo.

39. *Nilotes tibicen erat*, Ægyptius puer tibicen. Vide Rupert. ad Juvenal. sat. XV, 49. — *Phyllis*. Recte videtur Burmannus reponere *crotalistria Phidis*, ne confusio sit cum altera Phyllide vs. 29. — *Et rosa*, flores, quorum scimus usum in conviviis.

41. *Nanus*. Nanos petulantia et jocis suis fuisse inter recreationes veterum, docet Suetonius in Tiberio, cap. 61. — *Jactare manus ad cava buxa*, saltare ad tibiam. *Jactare manus*, ut *movere* Ovidius, Remed. Amor. vs. 334 : « Fac saltet, nescit si qua *movere manum*. » *Jactare in numerum brachia* Lucre-

Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quærente secundos,
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora cæco:
Lanuvii ad portas, hei mihi! solus eram:
Quum subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et levia ad primos murmura facta Lares.
Nec mora, quum totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
Palluerantque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, et, quantum femina, sævit:
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.

tius IV, 773; *diducere molli gestu* Noster II, 22, 5. — *Truncas manus;* breves, quæ videantur mutilæ.

43. *Sed neque*, etc. Omina varia malum noctis exitum Propertio nuntiant: Sed nec lucernis constabat flamma, quamvis infusse oleo essent (vide omen simile apud Ovidium, Metam. X, 6—7), *Recidit inque suos mensa supina pedes*, supina inversis pedibus.

45. *Venerem... canes. Venus*, talorum jactus felicissimus, ut *canis* pessimus. Vide interpp. ad Suetonium, August. 71.

47. *Cantabant* mihi *surdo*, mihi *cæco pectora nudabant* Phyllis et Teia: *Lanuvii ad portas, hei mihi! solus eram* (ubi Cynthia, ibi sola totaque mea mens erat).

50. *Et levia murmura facta ad primos Lares. Levia murmura* accipe cum Lachmanno de Cynthia, quæ, quid suspicetur quidque faciendum sit, comitibus insusurrat. *Primi Lares*, prima domus pars, vestibulum. Ovidius, Fast. I, 137: « Utque sedens vester *primi* prope limina *tecti* Janitor egressus introitusque videt. »

51. *Totas.* Vide III, 13, 35. — *Non operosa comis, sed furibunda decens.* Vide IV, 4, 83.

53. *Remissos inter digitos; remissos* (resolutos) metu. Vide III, 9, 54. — *Palluerantque ipso labra soluta mero;* et jam (id est, ante quam mihi caderet poculum) labra mea palluerant *soluta ipso mero* (in ipsum merum; quæ, ut biberem, jam erant soluta).

55. *Fulminat illa oculis.* Ovidius, Amorr. I, 8, 15: « *oculis* quoque *pupula* duplex *Fulminat.* » — *Spectaclum non minus capta urbe;* non minus, quam imago captæ alicujus urbis. Idem Ovidius, Trist. I, 3, 26: « Si licet exemplis in parvo grandibus uti, Hæc facies Trojæ, quum caperetur, erat. »

Phyllidos iratos in vultum conjicit ignes;
Territa vicinas Teia clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis et insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis tunicisque solutis
Excipit obscuræ prima taberna viæ.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
Et mea perversa sauciat ora manu;
Imponitque notam collo, morsuque cruentat,
Præcipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, geniumque meum prostratus adorat.
Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
Quum vix tangendos præbuit illa pedes,
Atque ait: Admissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe, quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,

57. *Iratos ignes*, lucernas irata manu. — *Teia*, ut in incendio, *clamat vicinas aquas*; not. ad vs. I.

59. *Elata lumina*, quæ in tumultu efferuntur domo, cum quibus quisque ruit per viam. — *Quirites*. Appellatio gravis et poetica lepide inserta ridiculæ historiæ. — *Omnis semita*, via.

63. *Exuviæ* sunt direptæ istarum comæ ac scissæ vestes. — *Gaudet in*. Vide II, 4, 18.

65. *Imponitque notam collo, morsuque cruentat*; et cruento morsu notat collum meum.

68. *Pluteus*. In lecto tricliniari est dorsum (*le dossier*); in cæteris, latus ad parietem (*la ruelle*). Ad pluteum cubat mulier; vir *spondam* (exteriorem partem) occupat. — *Plutei fulcra*, pedes, quibus innixus pluteus.

72. *Quum*. Accipe: « Tum demum supplicibus palmis veni ad fœdera, *et* illa mihi vix præbuit tangendos pedes. » Copula eadem erat III, 7, 40: « Saxa triumphales fregere Capharea puppes, Naufraga *quum* vasto Græcia tracta salo est; » *et* Græcia vasto salo tracta est naufraga. Vide IV, 10, 40. — *Tangendos. Tangere pedes*, amplecti.

74. *Quæ nostræ legis formula erit*. Sequitur ista lex tribus distichis.

75. *Umbra Pompeia*, porticus umbrosis columnis. Vide II, 32,

Nec quum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ sidat operta moræ.
Lygdamus in primis, omnis mihi causa querelæ,
Veneat, et pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges : respondi ego, Legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein, quemcumque locum externæ tetigere puellæ,
Suffiit, et pura limina tergit aqua ;
Imperat et totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita, mutato per singula pallia lecto,
Et sponda et toto solvimus arma toro.

11. *Umbram* sic Martialis et Ovidius de hac porticu, Epigr. XI, 47, 3, Art. Amat. I, 67. — *Cultus*, ornatus et cultus in veste. — *Nec quum sternet arena lascivum forum*, nec quum stratum arena forum ad ludos; (nec quando erunt publici ludi in foro). — *Quum*. Vide III, 13, 44. — *Lascivum forum*. Ovidius, Trist. II, 279 : « Ut tamen hoc fatear, *ludi* quoque *semina præbent Nequitiæ*..... Martia *quum* durum *sternit arena solum*. »

77. *Ad summum theatrum ;* ad theatri caveam summam, qua spectabant feminæ. Vide Sueton. August. 44. — *Aut lectica* (vectæ puellæ lectica) *sidat moræ tuæ* (inter eundum sidat humi posita, id est, consistat), quæ tibi faciat moram. *Mora* proprie est commoratio, ut vs. 4. — *Operta lectica*, clausa. Liber Neapolitanus *aperta;* id esset, quæ aperit se ad colloquium.

85. *Totas iterum mutare lacernas. Iterum mutare*, hoc est, posita lacerna mea, induere aliam. *Iterum*, ea fere significatione, qua *rursus* II, 29, 21. — *Totas lacernas* (vide III, 13, 35); quidquid lacernæ, id est, vestis exterioris, habui; nam lacerna proprie superinduitur togæ. — *Sulfuris igne*. De qua purificatione vide interpp. ad Claudian. VI Consul. Honorii, vs. 324 sqq. ubi totus ritus exponitur. — *Imperat... tetigit*. Vide similia III, 13, 35.

87. *Per singula pallia*, stragula. — *Solvimus. Solvere arma*, finire bellum. Deducta locutio, ut annotat Lachmannus, a *solvendis litibus, certaminibus*, etc. vide Lucan. X, 262, Stat. Achilleid. II, 337, Propert. IV, 4, 59. Sed fortasse quia res ita nimis erat facilis, Heinsio melius visum est obscœnum sensum inferre : « et toto *movimus* arma toro. » — Quod initio versus est, *Et sponda*, reposuit idem Heinsius. Codices inepte *Respondi, et toto*.

CARMEN IX.

HERCULES SANCUS.

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad eductos, pecorosa Palatia, montes,
Et statuit fessos, fessus et ipse, boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes : furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Aversos cauda traxit in antra boves.
Nec sine teste deo : furem sonuere juvenci ;

1. *Amphitryoniades;* Amphitryonis filius, sive potius Jovis, Hercules. — *Qua tempestate*, tempore quo. — *Erythea.* Vide III, 22, 9.

3. *Eductos.* Variant in lectione Codices. Grominganus, *Venit et adductos;* Neapolitanus *et ad victos; in adductos* Mentelianus cum cæteris plerisque. Haud dubie verum est quod Lachmannus : « Venit *ad eductos*, pecorosa Palatia, montes ; » ut *eductum* Apennini *dorsum* Lucanus II, 428, *eductam sub astra turrim* Virgilius Æneid. II, 460. In libris impressis est *ad invictos*, ex emendatione, ut videtur, olim repositum. — *Montes, pecorosa Palatia;* mons Palatinus, qui tum pascua pecori. Cf. III, 9, 49.

5. *Suo flumine. Velabri flumen* appellat Tiberim exundantem et effusum Velabro. Vide not. IV, 2, 7.

8. *Furto polluit ille Jovem ;* Jovem hospitalem, hoc est, jus et fidem hospitii. Vide interpp. ad Virgil. Æneid. I, 731.

10. *Qui per ora tria dabat* (vomebat) *partitos focos* (ignes). Cacum tricipitem fingit, quem Virgilio satis est semihominem dicere Æneid. VIII, 194.

12. *Aversos*, qui per signa pedum inversa fallerent.

13. *Nec sine teste deo*, Jove. — *Furem sonuere juvenci*, mugitu suo prodiderunt furem. Sed quanto melius hoc poetæ, *sonare* (mugire)

Furis et implacidas diruit ira fores.
Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus; et Alcides sic ait: Ite, boves,
Herculis ite boves, nostræ labor ultime clavæ,
Bis mihi quæsitæ, bis mea præda, boves;
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
Nobile erit Romæ pascua vestra forum.
Dixerat; et sicco torret sitis ora palato;
Terraque non ullas fœta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineæ loca clausa deæ, fontesque piandos,
Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceæ velabant limina vittæ;
Putris odorato luxerat igne casa;
Populus et longis ornabat frondibus ædem;

furem! — *Et implacidas* antri *fores diruit ira* Herculis.

15. *Pulsus.* Vide III, 1, 25. — *Mænalius ramus*, ex arbore Mænali. *Ramus*, clava, cf. vs. 17. — *Sic ait. Sic* intellige ex notatis I, 22, 6: Hoc facto, Quum occidisset monstrum.

17. *Boves, clavæ nostræ ultime labor. Boves labor.* Vide similia III, 19, 15. — *Quæsitæ.* Vide III, 18, 5. — *Bis mea præda;* primum ex Geryone, nunc victo Caco recuperatæ. — *Et sancite mugitu longo arva boaria;* hæc vestra, boves, arva, quæ nobile Romæ forum aliquando erunt. Forum Boarium dicit, cujus nominis refert originem ad Herculis boves. — *Pascua vestra erit forum.* Vide IV, 1, 14.

22. *Fœta.* Epitheton loco non suo positum. *Fœta* quidem *terra* est verno tempore, et sacra, quæ sequuntur, Bonæ deæ celebrata esse Kalendis Maiis constat; sed terra vel fœta quidni aquam præbeat? Immo *arida*, vel simile quid. — *Inclusas puellas;* inclusas æde Bonæ deæ, sive *Femineæ*, ut mox vs. 25, de qua vide præter alios Macrobium, Saturn. I, 12.

24. *Lucus ab umbroso orbe fecerat nemus;* hoc est, satus in umbrosum orbem. — *Ab.* Confer III, 25, 6. — Locutionem ineptam *Lucus fecerat nemus* non solam ejusmodi esse apud Nostrum, vidimus I, 11, 10.

25. *Fontesque piandos. Viris* retrahe ex altero versu, de qua forma dictum III, 8, 1. *Fontes piandos viris*, id est, expiandos, si vir ex illis bibisset; cf. verss. 55—56, 59—60.

27. *Velabant... luxerat.* Vide III, 13, 35. — *Putris casa. Casa*, sa-

Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora deo:
Vos precor, o luci sacro quæ luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis,
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum; Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ,
Et numquam ad natas irrita tela feras,
Atque uni Stygias homini luxisse tenebras?
. . . . . .
Quid, si Junoni sacrum faceretis amaræ?
Non clausisset aquas ipsa noverca suas.

cellum, ut versu 56, et IV, 1, 6. *Putris* de vetustate, ut II, 25, 7.

32. *Jacit verba.* Vide II, 1, 77. *Verba minora deo*, pro deo minora; preces. — *Minora deo* (quam deus) *verba;* id est, quam verba dei. Vide III, 22, 36.

33. *Quæ luditis.* Nam ridentes audierat vs. 23. — *Defessis viris;* iis, qui fessi sunt.

35. *Circaque sonantia lymphis.* Burmannus tentat, *circum antra sonantia lymphis;* recte, sed parum verisimile est. Quid, si participium hoc *sonantia*, utcumque mirum pro *locis sonantibus*, consimili exemplo firmabimus? Vide porro illud Nostri IV, 5, 12: « Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas, *Stantia* currenti diluerentur aqua. » In quibus *Stantia* nude positum non magis ferebant critici. Hercules igitur egentem se aquæ errare queritur, et quidem circa loca lymphis sonantia. — *Cava manus suscepto flumine;* aqua suscepta, quantum manus capiat.

37. *Tergo qui sustulit orbem;* cælum, Atlantis onus. Sic *orbem* pro cælo intt. ad Virg. Æn. III, 512. — *Terra recepta*, recuperata, quam latronibus et *natis feris* (vs. 40), hoc est, monstris, quoties nascerentur (surgerent), purgaverat Hercules. — *Tela numquam irrita ad feras.* Vide II, 10, 3. — *Atque uni homini* (mihi uni inter homines) *luxisse* (apparuisse) *Stygias tenebras.* — Sequitur in scriptis libris versus positus hic sensu nullo, qui sextus sexagesimus carminis est: « Accipit hæc fesso vix mihi terra patet. »

43. *Quid, si...?* Recte ab Heinsio repositum ex Codicibus nonnullis. In vulgari scriptura laxum nodum orationis vide: « *Quod* si Junoni

Sin aliquam vultusque meus sætæque leonis
  Terrent, et Libyco sole perusta coma;
Idem ego Sidonia feci servilia palla
  Officia, et Lydo pensa diurna colu,
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
  Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides : at talibus alma sacerdos,
  Puniceo canas stamine vincta comas :
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo;
  Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
  Quæ se submota vindicat ara casa.
Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
  Fortia dum posita Gorgone membra lavat.

sacrum faceretis amaræ, Non clausisset aquas ipsa noverca suas. » Immo debuit esse : « Quod si *vel* amaræ Junoni sacrum faceretis. »

45. *Sætæ leonis*, leonis hæc mea pellis pro veste.

47. *Idem ego servilia feci officia et pensa Lydo colu*, in Lydia apud Omphalen. Cf. III, 11, 17-20. — *Lydo colu.* Vide IV, 1, 72.

49. *Cepit. Captum pectus fascia*, plane ut IV, 11, 34 : « Mox ubi... Vinxit et *acceptas* altera *vitta* comas. » — *Apta puella.* Ex his intellige versum superioris carminis IV, 2, 23, ubi Vertumnus : « Induc me Cois : fiam *non dura* puella; » (apta et vera puellæ figura.) *Durus*, incompositus, rudis. Ovidius, Fast. III, 537, de plebe lætante inter Annæ Perennæ festum : « Et ducunt posito *duras* cratere *choreas*, Cultaque diffusis saltat amica comis. » In Remed. Amoris, vs. 337 : « Barbara sermone est? fac tecum multa loquatur : Non didicit chordas tangere? posce lyram; *Durius incedit?* face inambulet; » (artem mollis incessus nescit?)

52. *Stamen*, infula, ut Silius Ital. III, 25.

53. *Parce oculis*, abstine, ut *parcere metu* et similia. Meminimus superstitionem hanc veterum, orbari virum lumine, quicumque sacris Bonæ deæ intulisset oculos. Hac *metuenda lege piari* (expiari) *aram, quæ se submota casa vindicat* (quæ se in ædicula remota ab omni profano conspectu defendit). *Ara se vindicat* vel tuetur, nempe ab iis, quibus interdicta est; *viris* dictis priore versu.

57. *Magno Tiresias adspexit Pallada;* Tiresiæ magno stetit (ut III, 18, 30) vidisse nudam deam. — *Posita Gorgone*, ægide. — *Vates Tiresias*, quem Pallas quum privasset oculis, res futuras prædicere voluit. Vide Gierig. ad Ovid. Metam. III, 316.

Di tibi dent alios fontes : hæc lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus : ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia jura labris :
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit ; hæc fesso vix mihi terra patet :
Maxima quæ gregibus devota est Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Hæc nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater, salve, cui jam favet aspera Juno ;
Sancte, velis libro dexter inesse meo !
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatii composuere Cures.

60. *Hæc lympha puellis una fluit ; una* (unice, solummodo ; vide not. III, 9, 8) puellis fluit. — *Lympha secreti limitis. Limes.* Vide IV, 4, 50.

61. *Postes opacos*, obscuros, quos inumbrant arbores ; cf. vs. 29. — Altero versu quam pulchre dictum hoc, *Nec tulit iratam sitim jactua !*

64. *Ponit jura.* Cf. III, 9, 24. Virgilius, Æn. I, 264 : « Bellum ingens geret Italia, populosque feroces Contundet, *moresque* viris et mœnia *ponet.* » — *Jura tristia* ; tristia feminis, quibus vetat aram suam Hercules (vs. 69).

67. *Ara Maxima, quæ gregibus repertis devota est* (quam nunc a me positam recepti armenti monumentum esse volo), *hæc numquam puellis veneranda pateat* (*numquam pateat*, dictum ex superioribus his : « hæc fesso vix mihi terra *patet.* » Ludit in verbo Hercules.)

71. *Cui jam favet aspera Juno*, nunc quum inter deos sit receptus Hercules. *Aspera Juno*, immitis, *noverca* vs. 44, quæ fortem animum per tot labores experta est. — *Libro meo*, Fastis his meis. Vide not. IV, 1, 1.

74. *Sic*, ideo (ab orbe *sancito*), *Sancum* illum *composuere* (constituere) *Cures.* — *Tatii Cures*, Cures Tatii regnum ; *Tatius* adjective, ut IV, 4, 31. — Confer cum Propertii carmine Livium I, 7 ; Virgilium Æn. VIII, 190 sqq. ; Ovidium Fast. I, 543 sqq.

CARMEN X.

JUPITER FERETRIUS.

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
  Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires:
  Non juvat e facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
  Hujus, et exuvio plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Cæninum Acronta petentem
  Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Cænina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic, spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
  Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas librantem spicula turres

1. *Incipiam.* Vide II, 1, 31. — *Arma trina*, opima arma (spolia, quæ sunt *arma victa* vs. 47), *recepta de ducibus tribus*, Acronte, Tolumnio, Virdumaro (verss. 7, 37, 41). Difficilis igitur et rarus hic honos, quem ter nec amplius tota respublica ostendat.

4. *Corona e jugo lecta. Jugum* pro monte, ut III, 9, 8, ubi non absimilis figura est.

5. *Imbuis.* Vide III, 15, 6. — *Et exuvio.* Contra libros omnes *et exuviis plenus* in vulgatis est editum. Groninganus, Mentelianus, alii, *et eximio, et exuiuo* Neapolitanus, unde recte, opinor, Lachmannus: « et *exuvio* plenus ab hoste redis. » *Exuvium*, vocabulum novum, ut alia sunt Propertii, de quibus vide IV, 11, 50. Certe nihil facit ad rem, sit necne cæsus hostis *eximius*; hoc unice facit, si hostium ducem dux Romanus cædat.

7. *Cæninum Acronta*, ducem Cæninensium, *petentem portas*, Romæ mœnia.

9. *Herculeus.* Acron *Herculeus*, quum Cæninenses omnisque Sabina gens originem suam ad Herculem vel Sancum retulerit. Vide Silium Ital. VIII, 420. — *Ductor ab arce.* Vide IV, 6, 37.

11. *Ex humeris Quirini*, Romuli.

13. *Librantem spicula*, jactabundum in armis, dum provocat ad certamen Romulum. — *Ante cavas turres* nostras; sub mœni-

Romulus, et votis occupat ante ratis:
Juppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat; et spolium corruit ille Jovi.
Urbis virtutisque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra Lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo;
Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis cæde Tolumni,
Vincere quum Veios posse laboris erat,
Nec dum ultra Tiberim belli sonus, ultima præda
Nomentum, et captæ jugera terna Coræ.

bus. — *Occupat.* Vide IV, 4, 84. *Votis ante ratis;* id est, Ante quam hostem occupet, rato voto quod facit Jovi: *Hæc hodie tibi victima corruet Acron.* — *Corruit ille Jovi spolium*, cujus exuviæ referrentur Jovi. — *Acron spolium.* Vide III, 19, 15.

17. *Urbis virtutisque parens;* urbis nec minus virtutis Romanæ pater. — *Castra aprico Lare frigida. Lar* de situ castrorum sub aperto cælo.

19. *Idem eques et frenis*, etc. Hoc et sequens distichon ad unum Romulum male referunt, in quibus obiter incultos nascentis gentis mores tangit poeta. Similis locus IV, 1, 27—28. — *Aptus eques frenis*, aptus regendo equo. — *Et galea hirsuta comta lupina juba.* Vide IV, 1, 138. Burmannus quidem et Lachmannus ex Codice Groningano reponunt *hirsutis jubis*, sed qui magis transformant quam tollunt correctione hac vitium. Vide totum distichon quales nunc reddat sonos: « Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris, Et galea hirsutis comta lupina jubis. »

21. *Nec inducto.* Lachmannus *neque.* Vide IV, 5, 50. — *Parma picta pyropo.* Vide IV, 4, 20. — *Præbebant cæsi boves baltea*, ex crudo boum corio secto baltea rudi militi erant. — *Lenta baltea*, ut *lentum vimen* et similia.

23. *Cossus*, Cornelius Cossus. — *Quum* (tempore quo) *laboris erat* (operosum armis nostris) *vincere Veios posse, nec dum ultra Tiberim belli sonus* (et quum nondum ultra Tiberim prolatus belli sonus), *ultima præda Nomentum et terna captæ Coræ jugera* (et ultima nobis præda captum Nomentum aut Cora). *Jugera terna* pro binis, quæ vulgo miles ex hostium captis agris accipiebat (vide Rupert. ad Juven. s. XIV, 163); sed recte hic de Scaligeri sensu *terna jugera*, quæ tum *ultima præda* fuerint, hoc est, summa, maxima. Cæterum *jugera terra* habent scripti boni omnes, quod ipse Scaliger correxit et Lipsius. — *Nomentum* et *Cora*, Latii oppida.

O Veii veteres, et vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro:
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portæ dux Veius adstitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit; plano sistit uterque gradum.
Di Latias juvere manus: desecta Tolumni
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica quum vasti parma relata ducis

28. *Aurea sella*, qua reges vestri jus dicerent.

29. *Nunc intra muros;* supple *vestros ex vestris ossibus. Intra muros*, ubi cincta olim urbs mœnibus. — *Lentus pastor*, qui lento gradu lentas oves ducit. Sic *tardi bubulci* apud Virgil. eclog. X, 19. — *Et in vestris ossibus arva metunt* (in sepulturis vestris, inter ossa vestra, agricola messem secat). — Ovidius, Heroidd. I, 53: « Jam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus. Semisepulta virum curvis feriuntur aratris Ossa; ruinosas occulit herba domos. » Lege Virgilium, sive potius Musam ipsam, Georg. I, 493 sqq.

32. *Sua fretus ab urbe.* Conf. III, 25, 6.

34. *Ductum opus*, cuniculos. Nos etiam militari lingua *des ouvrages.* Describit cuniculum Claudianus, Rapt. Proserp. II, 163 sqq.

35. *Forti melius* (Fortem magis decet) *campo concurrere.* Sed lege cum Broukhusio et Marklando magis poetice: « *Fortis* melius concurrere campo; » hoc est, *Fortes*, de scribendi forma ævo Augusteo. — *Plano*, in plano. Sic Virgil. Georg. II, 273.

38. *Romanos equos lavit* (respersit) *sanguine desecta Tolumni cervix. Equos*, equites. Vide III, 4, 17. Proprie autem *equites*, inter quos tribunus militum Cossus erat. — Rem narrat Livius IV, 19—20.

39. *Claudius* (M. Claudius Marcellus) *hostes Eridanum trajectos arcuit* (Gallos Insubres Virdumaro duce). Vide Livii Epitom. XX; Virgil. Æneid. VI, 856—860. Pugnam Cluverius ponit ad oppidum Clastidium, Ital. Ant. I, 10. — *Quum.* Viris doctis placet reponere *cui*: « Belgica *cui* vasti parma relata ducis Virdumari; » sed nec minus, fortasse etiam magis, parti cula illa *quum* Propertium decet, qui locis innumeris usurpat: vide I, 5, 14; I, 10, 5; I, 22, 5; II,

Virdumari; genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gæsa rotis;
Illi virgatis jaculanti ut ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu, quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

9, 15; II, 32, 16; II, 33, 9; II, 34, 37; III, 7, 40; III, 9, 41; IV, 3, 65. — *Parma Belgica;* hoc est, ut videtur, olim Belgis propria, quam cæteri Galli deinceps imitati sunt. — *Vastus dux Virdumarus;* procerus, ingens. — *Nobilis fundere.* Confer IV, 5, 5. — *Gæsa.* Tela sunt Gallorum longiora. Vide Heyn. ad Virgil. Æn. VIII, 662. — *Tectas rotas* intelligе tectum currum, cujus per temonem currens nunc dimicat essedarius, nunc hoste instante in curtum ipsum velut in arcem se recipit. Lege Cæsarem a Broukhusio allatum, de Bell. Gall. IV, 33.

43. *Jaculanti ut ab agmine.* Vulgarem hic scripturam auctoritas Scaligeri firmavit: « Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes, Belgica cui vasti parma relata ducis Virdumari: genus hic Rheno jactabat ab ipso, Nobilis e tectis fundere gæsa rotis. Illi virgatis *jaculantis* ab agmine braccis Torquis ab incisa decidit unca gula. » Scilicet *Illi jaculantis* positum pro *Illius*, cujus licentiæ doctrinam evertunt Lachmanni notata IV, 8, 10. Porro ne quis cum scriptis apud Burmannum tribus reponat, « Illi virgatis *jaculanti ex* agmine braccis, » nimis incerti, quippe recentes, libri sunt; ut probanda ejusdem Lachmanni conjectura videatur, ducta pariter ex antiqua lectione, pariter ex ingenio Propertii, cujus intersectam scribendi formam novimus: « Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes, Belgica *quum* vasti parma relata ducis Virdumari (genus hic Rheno jactabat ab ipso, Nobilis e tectis fundere gæsa rotis), Illi virgatis *jaculanti ut* ab agmine braccis Torquis ab incisa decidit unca gula; » (quum relata parma Virdumari est, ut illi ab agmine suo jaculanti unca torquis ab incisa gula decidit.) — *Agmen virgatis braccis,* braccatum pictum lineis. *Virgata* Gallorum *sagula* Virgilius, Æn. VIII, 660. — *Unca torquis* est, quæ curva circumducitur collo.

45. *Causa Feretri*, etc. Cognomen Feretrii, ab hoste *feriendo*, vel ab exuviis *ferendis*. — *Hæc arma victa*, detracta victo. Cæterum opima spolia dicta esse non modo quæ dux manu sua, sed quæ vel gregarius miles hostium duci detraheret, docet in Animadv. Hist. cap. 7, Perizonius.

CARMEN XI.

CORNELIA PAULLI UXOR APUD INFEROS.

DESINE, Paulle, meum lacrymis urgere sepulcrum:
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ deus audiat aulæ: 5
Nempe tuas lacrymas litora surda bibent.
Vota movent superos: ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

1. *Paulle.* L. Æmilius Paulus, consularis et censorius, cujus uxor Cornelia, Scipionis et Scribonia filia, ann. 738 præmatura morte obiit. — *Urgere;* recte; lacrymis urgetur sepulcrum, cui Paulus incumbit mœrens. — *Januam* intellige sepulcri, ut apud Ovidium, Trist. III, 2, 24; Albinovanum ad Liv. vs. 69. — *Nigra.* Vide IV, 6, 83.

3. *Quum semel infernas leges intrarunt funera. Intrare leges*, ut *intrare quietem* Statius, Silv. II, 2, 140: « At tua securos portus blandamque *quietem Intravit* non quassa ratis; » *intrare fragores* Flaccus Valerius V, 482: « cui non jusso tot adire voluptas Monstra maris? cui Cyaneos *intrare fragores?* » — *Non exorato stant adamante viæ;* stant portæ negantes reditum, adamantinæ non exoratæ umquam. *Viæ* pro portis, quæ dant viam. Sic Ovidius, Metam. XIV, 776: « Tatiusque patresque Sabini Bella gerunt; *arcisque via* Tarpeia *reclusa*, Digna animam pœna congestis exuit armis; » hoc est, *prodita portæ fide*, ut in eadem historia Noster IV, 4, 87. — *Adamante.* Vide III, 11, 9. — Virgilius, de sede scelerum apud inferos, Æn. VI, 552: « Porta adversa ingens, *solidoque adamante columnæ*, Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro Cœlicolæ valeant; » (hoc est, postes ex adamante.)

5. *Te licet*, etc. Plutonem, quum eris umbra, fatiga precibus tuis, ut lucem revisas: hoc erit nihili; lacrymas tuas bibent surda Stygis litora.

8. *Herbosos rogos. Umbrosos* dedit Santenius, qui Propertianam Burmanni magistri annotationem hoc extremo carmine morte interceptam absolvit: « Obserat *umbrosos* lurida porta rogos; » non sine scriptis addicentibus quidem, sed interpolatis, de quibus passim dictum. Porro viri docti, Livineii expositione, qui *rogos* pro umbris et Manibus poni contendit, ut par

Sic mœstæ cecinere tubæ, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput. 10

erat, rejecta, huic scripturæ, quasi e libris optimis derivata esset, confisi, dum vitium non in medio, sed in extremo versu quærunt, varia substituere, *umbrosos locos* vel *choros*, *umbrosas domos* egregie sane Hemsterhusius, Marklandus autem audacior cæteris: « *Obsidet umbrosos* lurida *Parca locos.* » Sed hæc ingenii conamina evertit scripta lectio Codicum, *herbosos* in melioribus, Groningano, Neapolitano, Menteliano, *rogos* in omnibus: « Obserat *herbosos* lurida porta *rogos*, » quam ego unice veram aio esse: ut facilis, elegans, propria videatur dictio, non postulo. Scilicet *rogum* pro sepulcro posuit, ut et III, 7, 9: « Et mater..... Nec pote cognatos inter humare *rogos*, » ubi Catullum interpretem vide adductum in notis. Contra *sepulcrum* pro rogo Lucanus III, 11: « Visa caput mœstum per hiantes Julia terras Tollere, et *accenso* furialis stare *sepulcro.* » Sed hæc quidem minus mirabilia erunt *sepelire* etiam et *humare* pro *cremare* dici cogitantibus. Sed dignum observatione est, aliud etiam in hoc loco ausum esse Propertium, *rogum* vel sepulcrum pro Orco dicere. Nam ita intelligendum esse præcedentia evincunt: « ubi *portitor* æra recepit, » inquit, hoc est, quum Charonti naulum solutum est, « Obserat herbosos lurida porta *rogos.* » Solemne autem est et Propertio et aliis, *ignem* et *sepulcrum* ponere pro locis inferis. Supra II, 28, 49—56: « Sunt *apud infernos* tot millia formosarum.... has omnes *ignis* avarus habet. » Hic, vs. 2, januam videtur sepulcro tribuere: « Desine, Paulle, meum lacrymis urgere *sepulcrum*: Panditur ad nullas *janua* nigra preces. » Primo versu propria significatione *sepulcrum* posuit. Alibi est *sepulcrum* pro Manibus, ut apud Catullum XCVI, 1: « Si quidquam *mutis* gratum acceptumque *sepulcris* Accidere a nostro, Calve, dolore potest. » Ita enim Propertius II, 13, 57: « Sed frustra *mutos* revocabis, Cynthia, *Manes*; » et Catullus ipse CI, 4: « Et *mutum* nequidquam adloquerer *cinerem*; » et Tibullus II, 6, 34: « Et mea cum *muto* fata querar *cinere.* » Nam et *cinis* pro Manibus: sed et *ossa* pro iisdem aliquoties Noster. Quin et tumulari umbras facit Ovidius, Fast. VI, 491: « Mœsta Learcheas mater *tumulaverat umbras.* » *Sepulturam* pro statu Manium Propertius dicit II, 28, 25: « Quod si forte tibi properarint fata quietem, Illa *sepulturæ* fata beata tuæ: Narrabis Semelæ, etc. » Eam ipsam dicit *mortem* IV, 7, 69: « Sic *mortis* lacrymis vitæ sanâmus amores. » Eodem pertinet, quod III, 18, 31, Marcelli corpus non ad rogum, sed ad Charontem portari jubet: « At *tibi*, *nauta*,... Hoc animæ *portent corpus* inane suæ; » et in hoc carmine, vs. 3: « Quum semel *infernas intrarunt funera leges*; » et III, 5, 14: « Nudus *ad infernas*, stulte, *vehere rates.* » Jam igitur, si *rogum* hic pro Orco posuit Propertius, potuit et *umbrosum* dicere, ut in quibusdam Codicibus est: sed *herbosum* maluit, quia sepulcra herbosa sunt, quæ *porta obserari* dicit.

Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur, onus.
Damnatæ noctes, et vos, vada lenta paludes,
Et quæcumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det pater hic umbræ mollia jura meæ.
Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
Is mea sortita vindicet ossa pila.

Hæc diserte, ut solet, qui Propertio tam multa præstitit, Lachmannus.

9. *Sic* (ideo, de lege hac fati; vide I, 22, 6) *mœstæ tubæ cecinere* (funebrem suum edidere sonum), *quum subdita fax inimica* (qua rogus incensus) *caput nostrum lecto* ferali *detraheret* (me præcipitaret umbram ad Orcum). Cave enim particulam *Sic* pro Ita positam accipias, ut in iis aut quæ præcesserunt, aut quæ sequuntur, lugubre ipsum carmen Cornelia referat, quod flentes parentes ad mortuæ rogum cecinerint. — De *mœstis tubis* vide II, 13, 20.

11. *Currus avorum;* Scipionum triumphalis.

14. *En sum, quod digitis quinque levatur, onus;* pulvis in urna, leve pondus. Conf. II, 9, 14, III, 12, 13.

15. *Damnatæ noctes;* abominandæ, invisæ. Statius Theb. II, 520: « Monstrat silva nefas: horrent vicina juvenci Gramina; *damnatis* avidum pecus abstinet *herbis.* » — *Paludes, vada lenta;* pigræ, stagnantes undæ. — *Implicat* Stygis *unda* limosa *pedes* quomodo Statius, Thebaid. II, 2, ubi de inferis quoque sermo: « undique pigræ Ire vetant nubes, et turbidus *implicat aer.* » — *Quæcumque unda*, ut III, 7, 58.

18. *Det pater hic* (*hic*, apud Orcum) *mollia jura umbræ meæ. Pater*, rex, Pluto.

19. *Aut si quis*, etc. aut si mortuorum *judex* (causarum cognitor, quæsitor) *sedet quis Æacus urna posita* (apposita, parata, quæ judicum ipsorum nomina continet); *Is vindicet* (sibi vindicet) *ossa mea* (umbram, Manes, vide IV, 5, 4), *sortita pila* (sorte lectis, quos habeam judices). Judicium Cornelia sibi fidenter postulat, quippe quæ mox, vs. 47: « Mi natura dedit leges a sanguine ductas, *Ne possem melior judicis esse metu.* » — *Judex Æacus*, quæstionis judex, *quæsitor*, hoc est, ille, qui causam disponit curatque judicium. Sic Minos apud Virgilium, Æneid. VI, 432, quum *urnam movet*, et inclusa judicum nomina sortitur, qui de crimine ferunt sententiam. — In minore versu *Is* cum Heinsio legendum. Vulgo: « Aut si quis..., *In* mea sortita vindicet ossa pila. » Sed *vindicare in aliquem* pro *de aliquo cognoscere*, uti Heynio interpretari

Adsideant fratres juxta et Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces; taceant Ixionis orbes;
Fallax Tantaleo corripiare liquor;

visum est (ad Æneid. VI, Excursu XI : « Pluto mitem de me sententiam ferat, aut quæsitor ab eo datus Æacus *cognoscat de me* »), quidquid insolenter dictum, ut alia a Propertio, contendat, lingua certissime non admittit. — *Aliquis Æacus*, ut *quæcumque unda* vs. 16, *quælibet urna* vs. 49. — *Pila* ; pilæ cum inscriptis nominibus judicam. *Sortita* passive, ut IV, 7, 55.

21. *Adsideant fratres juxta*, etc. Hoc distichon optimi quique Codices ita scriptum exhibent : *Adsideant fratres juxta Minoia sella* (vel *Minoida sellam*) *Eumenidum intento turba severa foro*. Nam *Minoia sella* in plerisque legitur, *Minoida* in Groningano et aliis paucis. Sed sive hoc, sive illud probes, particulam copulativam deesse patet; quæ quo loco ponenda esset, criticis dubium fuisse video. Scaliger eam cum Codice suo, scriptis assentientibus nonnullis aliis, longi versus fini applicavit : « Adsideant fratres : juxta *Minoia sella*, *et* Eumenidum intento turba severa foro. » Quos igitur fratres dicit? Nempe Æacum et Rhadamantum. Sed de Æaco jam dixerat : « Aut si quis posita judex *sedet Æacus* urna. » Altera lectio, *et* itidem posito in fine versus, priore melior non est : « Adsideant fratres juxta *Minoida sellam*, *et* Eumenidum intento turba severa foro. » Pars altera Codicum *et* post *juxta* interserit ; male, si *Minoia sella* scribimus : « Adsideant fratres juxta, *et Minoia sella* ; » sed optime ita : « Adsideant fratres juxta *et Minoida sellam* Eumenidum intento turba severa foro. » Non assident fratres, sed Eumenides juxta Minois sellam (juxta Minoem) ejusque fratres. *Adsideant turba*, ut III, 17, 28 : « Unde tuum *potant* Naxia *turba* merum. » *Adsidere* autem, hoc est, *sedere*, vel, ut accuratius loquamur, *sedere in aliquo loco* (Gallice *prendre place*). Cicero, Academ. I, 4, 14 : « Et simul, *adsidamus*, inquam, si videtur. » Terentius, Heaut. I, 1, 71 : « Domum revortor mœstus atque animo fere Conturbato atque incerto præ ægritudine. *Adsido* ; adcurrunt servi ; soccos detrahunt. » Sic *adstare* pro *stare* Tibullus I, 10, 8 : « Faginus *adstabat* cunis Sisyphus ante dapes. » Propertius III, 7, 11 : « Sed tua nunc volucres *adstant* super ossa marinæ. » Libro IV, 10, 31 : « Forte super portæ dux Veius *adstitit* aream. » *Adcubare* quoque et *adcumbere* pro *cubare* ; ut libro Nostri I, 3, 3 : « Qualis et *adcubuit* primo Cepheia somno ; » apud Virgilium, Georg. III, 333 : « aut siculbi nigrum Ilicibus crebris sacra nemus *adcubet* umbra. » Lachmannus. — Juxta tribunal igitur custodes assident Furiæ, *intento foro*, concilio, (dum agit causam Cornelia, silentibus inferis.)

24. *Tantaleo*. Scaliger Græcam esse formam docet pro *Tantalo*. Tu interim scribe cum Aurato et Heinsio : « Fallax Tantaleo *corripere ore* liquor. »

Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
  Et jaceat tacita labsa catena sera.
Ipsa loquor pro me : si fallo, pœna sororum,
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropæa decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exæquat turba Libones,
  Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox, ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
  Vinxit et acceptas altera vitta comas;
Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili.
  In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, verendos,
  Sub quorum titulis, Africa, tonsa jaces;
Te, Perseu, proavi simulantem pectus Achilli,

26. *Sera ;* sera catenæ, id est, catena ipsa, ut carm. 7, 90; *tacita*, quam humi jacentem non concutiat latrans iratus Cerberus.

27. *Ipsa loquor pro me*, ipsa ego hac in causa mea; mitto oratoris uti præsidio. — *Pœna sororum* (Danaidum) *urna*.

29. *Si cui* umquam *fama decori fuit per avita tropæa* (decora fama per illustres avos), *Afra regna loquuntur Numantinos* meos (satis prædicat Africa, satis Hispania paternos meos; Scipiones, quorum inprimis Africanum minorem, Carthaginis excidio et capta Numantia clarum.

31. *Altera maternos*, etc. Numantinis avis altera virorum illustrium turba maternos Libones exæquat : paternis avis haud inferiores materni sunt. *Libo*, Soribonise gentis cognomen.

33. *Prætexta ubi cessit maritis facibus ;* hoc est, mea puellæ vestis nuptiarum faci. — *Maritæ*. Cf. IV, 3, 11. — *Altera vitta*, quæ virginalem sequitur, hoc est, nuptæ. Vide IV, 3, 16. — *Acceptas comas*. Vide IV, 9, 49.

36. *In lapide hoc*. Nimis ineptum *In lapide hoc*, nec defendendum ex iis, quæ ad vers. 8 notavimus. Recte corrigunt viri docti : « In lapide *huic* uni nupta fuisse legar. » Lachmannus. — *Uni fuisse nupta*. Res erat in tumulis addita inter laudes mortuæ. Meminimus formulam : UNIVIRA VIXIT.

38. *Sub quorum titulis*, *Africa*, *tonsa jaces*. Intellige publica monumenta in honorem majorum posita cum inscriptis rebus gestis, *titulis*, sub quibus Africa victa tonso capite. Capillos tonsos scimus fuisse servitutis indicium.

39. *Te, Perseu*. Sic cum Santenio scribe; *Te Perseu*, pro quo *Et Persen* inepte Codices : « *Testor* majorum cineres,... *Et Persen* proavi simulantem pectus Achillis, Quique tuas proavo fregit Achille do-

Quique tuas proavo fregit Achille domos;
Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:
Quin erat et magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Ne possem melior judicis esse metu.
Quælibet austeras de me ferat urna tabellas:

mos.» Immo: « Testor avos meos, sub quibus victa Africa; testor et illum, qui te, Perseu, fregit, domosque tuas; » hoc est, L. Æmilium Paulum Macedonicum, quem, ut observat Santenius, « non tantum affinitate per maritum, sed procul dubio etiam cognatione tangebat Cornelia, quum et Africanus major in matrimonio habuerit Æmiliam, M. Æmilius Lepidus aliam Corneliam, et Pauli Macedonici filius ab Africano minore adoptatus fuerit. » *Kuinoel* de conjectura Heynii dedit, sed contra veri speciem omnem: « *Qui* Persen proavi simulantem pectus Achillis *Et tumidas* proavo fregit Achille domos. » — *Qui te fregit simulantem pectus Achilli proavi;* Achillis proavi malum imitatorem; *domosque tuas Achille proavo; domos*, tam magnam tuam ac potentem domum; (quomodo sæpe ex plurali numero affectatio et tumor.) — *Achilli.* Vide II, 9, 13.

41. *Me neque censuræ legem mollisse;* enervasse indulgentia, quam mihi pro moribus meis a marito peterem. — *Nec ulla.* Lachmannus *neque.* Vide IV, 5, 50. — *Focos erubuisse.* Vide II, 31, 14.

43. *Exuviæ*, tropæa. — *Cornelia damnum exuviis.* Vide III, 19, 15. — *Quin erat et.* Compositio verborum de Groningano Codice; nec magis ego, quam Broukhusius, propter numerum assentiar scriptis cæteris, in quibus: « Quin *et erat* magnæ pars imitanda domus. »

45. *Nec mea mutata est ætas; ætas*, vita, ut, I, 6, 21. *Mea* autem *ætas* aut *vita mea*, hoc est, Ego ipsa; ut I, 2, 31: « His tu semper eris *nostræ* gratissima *vitæ;* » (*vitæ nostræ*, mihi.) A quibus nec alienum hoc II, 8, 16: « an usque In *nostrum* jacies verba superba *caput?* » et II, 20, 10: « Sint *mea* vel Danaes condita *membra domo.* » Quare igitur Cornelia, Quamdiu vixi, inquit, vixi semper eadem. — *Inter utramque facem*, nuptiarum et rogi.

47. *Leges;* quæ tenerem vitæ præcepta. — *Ne melior esse possem judicis metu.* Horatii confer sententiam in epistolis I, 16, 52: « Oderunt peccare boni virtutis amore; Tu nihil admittes in te formidine pœnæ. »

49. *Quælibet austeras*, etc. Severitatem rogare se judicum, non indulgentiam; qui utcumque sine venia ferant sententiam, numquam fore se dedecori castis, quibus as-

Turpior adsessu non erit ulla meo;
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybeben,
Claudia, turritæ rara ministra deæ;
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi:
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
Defensa et gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat; et lacrymas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen!

sederit, vel tibi Claudia, vel Æmilia tibi. — *Adsessu* vel *assessu*; vere, ne dubita, Muretus ex *assensu* vel *ascensu* Codicum. Sin hoc vocabulum alibi non legitur, inquit Lachmannus, « nec *memoratorem* (III, 1, 33) aut *sevehi* (III, 3, 21) dixit alius quisquam præter Propertium. » (Notavimus alia passim apud Nostrum exempla dictionis novæ: adjectivum *Naicus* II, 32, 40; *eloquium* pro colloquio III, 22, 41; *increpitare aliquid alicui* III, 25, 14; *vector* pro equite IV, 7, 84; *clatra* IV, 5, 72; *exuvium* IV, 10, 6.) — *Claudia*. *Claudia* et sequente disticho *Æmilia* Vestales, quarum altera in accusatione violati numinis Vestæ ut aliquo prodigio se pudicitiæ servasse legem ostenderet, navem alligato cingulo traxit et adduxit inhærentem Tiberi, altera exstinctum ignem resuscitat injecta super aram parte avulsa vestis. — *Turritæ deæ ministra Claudia*, quum ferret navis, quam traxit, Magnæ deæ statuam. *Turrita dea*. Vide III, 17, 35. — *Vel cui*, etc. Structura: *Vel* tu, *cui*, *quum Vesta reposceret commissos ignes*, *alba carbasus* (vestis) *exhibuit* (reddidit) *vivos focos*.

56. *In me mutatum quid velis* (mutatum in melius), *nisi fata* (præter meam tam tibi acerbam mortem)?

59. *Ille increpat* (cum dolore narrat), me *dignam nata sua sororem vixisse; nata* Julia, quam habuerat Augustus ex Scribonia, nec nisi quatuordecim annis post relegavit propter mores. — *Increpat*. Vide II, 20, 6. — *Ire* de lacrymis; cf. Ovid. Heroidd. VIII, 62, XIII, 52. — *Deus* Augustus, ut III, 4, 1.

61. *Generosos vestis honores*. Intellige vestem, quam publicum honoris signum statuerat lex matribus trium liberorum. Vide Turnebum, Advers. XXIII, 7. — *Nec mea de sterili*, etc. nec sum ego rapta de sterili domo. — *Rapina mea*. Vide IV, 1, 116.

63. *Lepide*, *Paulle*, Corneliæ

Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censuræ nata paternæ,
Fac teneas unum, nos imitata, virum,
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis tot mea fata malis.
Hæc est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo, communia pignora, natos:
Hæc cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum

filii. — *Meum post fata levamen*, post mortem solatium.

65. *Vidimus et fratrem* (P. Cornelium Scipionem) *sellam geminasse curulem* (bis magistratu functum curuli sella). Ædilitatem dicit et præturam.—Vide quæ Barth. de hoc loco, sup. pag. 27. — *Quo facto consule, rapta tempore soror.* Nihil ineptius hoc versu, sive *sororem* intelligas *raptam Tempore*, sive quæ *tempore*, hoc est, *tempestive*, *opportune*, rapta sit. Varie sed parum feliciter viri docti corrigunt, *ex tempore, festo tempore, fati crimine*, etc. Tu cum Lachmanno repone: « *Consul* quo *factus* tempore, rapta soror. » Scriptum olim in Codicibus erat *fact⁹*; unde mox *facto*; et *Consule* pro *Consul*, ut eodem casu jungerentur. Simile vitium II, 34, 45, ubi *Antimacho* et *Homero* perperam, pro *Antimachus* et *Homerus*. Consul Scipio creatus est ann. 738, cum L. Domitio.

67. *Nata tu specimen* (nobile documentum moribus tuis) *censuræ paternæ*; confer vers. 41. De hac tamen censura Velleius, II, 95, 3: «...censura Planci et Paulli, acta inter discordiam, *neque ipsis honori, neque reipublicæ usui fuit.*»

69. *Et serie fulcite genus*; domum, liberorum serie. — *Aucturis tot mea fata malis.* Locus vexatissimus, et haud dubie male affectus. Non juvat tempus terere in examinandis virorum doctorum molimínibus. Hoc video, quo plura hic immutentur, tanto magis a veritate aberrari. Fortasse non inepte scribemus ita: « Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti Solvitur, aucturis tot mea fata *meis*; » ut Cornelia se libenter mori dicat, quum ampla nepotum spe sua fata majora factum iri videat. De *fatis magnis*, et *ingentibus*, et *majoribus*, Bentleius ad Horatium disputavit, epist. II, 1, 6. Lachmannus.

71. *Hæc est*, etc. Hoc esse feminis decoræ vitæ ultimum præmium, si post *emeritum* (exstinctum) *rogum*, libera jam fama, celebrentur.

Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adjice matris.
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris sine testibus illis,
Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
Somniaque in faciem credita sæpe meam.
Atque, ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
